UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli Novarvm Epistolarvm Libri Septem

Francisco <de Javier>

Romæ, 1667

urn:nbn:de:hbz:466:1-46129

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2678.

J. VI
34.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# S. FRANCISCI XAVERII

## E SOCIETATE IESV

INDIARVM APOSTOLI

NOVARVM

# EPISTOLARVM

## LIBRI SEPTEM

Nunc primùm ex autographis, partim Hispanicis, partim Lusitanicis, Latinitate & luce donati

A PETRO POSSINO EIVSDEM SOC.

Collegij Sctⁱ Jesu. paderborn. ibyr

ROMÆ,
Ex Typographia Vareſij. MDCLXVII.
SVPERIORVM PERMISSV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO

DOMINO

SFORTIÆ PALLAVICINO

S. R. E. CARDINALI

*Petrus Possinus è Societ.* IESV, *Felicitatem.*

QVod aliquid Eminentia Tua dignum in meas bono casu manus venerit, rara nec mihi negligenda occasio visa est adeundi continuò Tui; meãque in Te præcipuam observantiam, ac summam venerationem, pretioso & Tibi haud dubiè placituro munere testandi. Equidem alias expertus benignissimam Humanitatem Tuam; scio confidere potuisse me, haud quaquam aspernaturã

Eminentiam Tuam vel tenues exilis ingenioli fœtus, si offerrẽ: Sed novum ab eo beneficium, captare cui vetera conarer rependere, nunc quidem nolui; consultiusque ac liberalius putavi, tale quiddam, cum possem, dare, quod gratiam apud omnes sui pretio, non aliena benignitate solùm veniam haberet. In omni quidem Virorum præstantium memoria curiosa Posteritas esse solet: sed Apostolorum, præsertim & Apostolicorum, Hominum (quo in Ordine quẽ gradum teneat Xaverius, Orbi notum est) vestigijs relegendis inexplebili semper Christiana Pietas inhiavit diligẽtia. Quod

si de

si de talibus, vt ait S. Chrysostomus, interpres in hoc publici sẽsus, scire iuvaret, si qua exquiri posset industria; quà transierint, ubi habitaverint, quo genere vestitus, qua victus ratione sint usi; & quæ minuta in hunc modum vir ille summus percensẽt cætera; quantò erit optabilius, Heroum istorum illa iam maiora, usu salubriora, dictu speciosiora cognoscere: quid dixerint? quid scripserint? quas mente curas ac sensus, quæ animo ac corde Consilia, Proposita, Vota, versaverint? Me quidem, Eminentissime Domine, has modò Epistolas interpretantem incredibiliter delectabat, usurpare

oculis, ore ſuaviari, apices illa manu exaratos quæ vicies centenis hominum millibus cælum aperuit; cui Deus tantum ſuæ potentiæ communicavit, ut mortua etiam corpora vitæ redderet: at multò, vt par fuit, plus movebant ſpecimina in his extantia Virtutum Heroicarum, quæ Sancto huic viro tantum apud Deum gratiæ, tantum apud Homines gloriæ pararunt. Spirant in hiſce videlicet adhuc Chartis; illa modeſtiſſima Demiſſio, Fortitudo & Patientia invictæ, Perſeverans Conſtantia in rectè ceptis, Deſpicientia rerum Humanarum, Libertas & Candor animi, ſtu-

dium

dium salutis Hominum, Zelus flagrantissimus Divinæ Gloriæ; Caræ omnes ac commendatissimæ Tibi, Eminentissime Domine, Laudes: quæque Novis proinde Hisce Epistolis spondeant non minus facilem ad Te Admissionem, nec minus efficax à Te Patrocinium, quam simili merito Xaverianæ dudum editæ priores, in Francisco Toleto Sapientissimo Laudatissimoque Cardinali repererunt. Vale.

# REVERENDIS PATRIBVS ET CARISSIMIS FRATRIBVS SOCIETATIS IESV.

*Petrus Possinus ex eadem Societate, Salutem in Christo veram.*

HIstoriæ nostræ continuationem expectantibus Vobis,& debente me;utrimque opportuna en se facultas offert, ut Vestri desiderij consolandi, ita meæ quoque moræ purgandæ. Ac dilatæ quidem Editionis,quàm simplex tam efficax excusatio est:quod in eam necessariò incurrebant aliqua,quæ publicare nondum licet, aut expedit. Tarditatis verò solutionum,quæ vel approbandæ,vel molliendæ apud impatientes Creditores,duplex vulgò ratio est, Pignoris videlicet pretiosi oppositio,& locupletis Fideiussio Sponsoris, utraque in Vestrum delinimentum meæ cunctationi nunc subvenit:quando & in arrham non expeditæ ad diem dictam Pensionis, Archetypa quantivis pretij Cimelia traduntur: & certitudini repræsentandæ solutionis, quamprimùm productionis tempestivitas maturuerit, securissimè cavetur interpositu Vadis exceptione maioris. Xaverianarum igitur hactenus non visarum Epistolarum Collectionem Novam, pro Narrationibus substituimus

mus nondùm prodire ausis posteriorùm Anno Societatis conditæ quinquagesimo Nostri Ordinis Eventuum; & has ipsas suo tempore secuturas, simul edendis Voluminibus duobus, quæ Annales Nostros ad sæcularis usque Anni metam provehant, fidem qui faciat damus, non solùm idoneum, sed & valentem in idipsum amoliendis obstaculis iuvare, Magnum Indiarum Apostolum. Enimvero si Deum ipsum Optimum Maximum Sacris Oraculis docemur, arietem haud gravatè pro Isaaco succidaneum satis accepisse, ut Græcorum fabulas mentione non digner, Cervam pro Iphigenia non invito etiam obtrusam Numini, ad verisimilitudinem vulgaris usûs consentaneè fingentes; quidni & Vos literis S. Francisci Xaverij, quanti, ac quam venerandi Herois! ingenio compositis, manu exaratis, abundè interim compensari censeatis Descriptionem Memoriæ citerioris rerum Societatis; cum Periti consentiant: Literas Familiares Magnorum Hominum, Acta ipsorum sensaque quotidiana indicantes, præstantissimum esse genus Historiæ: &, vel summâ elimatorum arte Commentariorum, non instar solum obtinere, sed & meritum excedere. Nec vero est nostri tantùm muneris, quibus Rerum à Nostrâ Societate gesta-

gestarum Famæ transmittendarum demandata cura est, Recentia docere: Originum quoque, si quæ restat perscrutatio incumbit *ijsdem* nobis: quos utique non minus quam illum ex Evangelio *Scribam Doctum in Regno Cælorum*, *Nova* pariter *& vetera de Thesauro* Memoriæ *proferre* convenit. Quis autem neget, vel potissimam Historiæ Societatis Iesv partem, post Ignatij Fundatoris Vitam, Gesta esse Xaverij, alterius in Cœlo Nostro Luminaris Magni? Atqui horum Xaverij Gestorum Notitias omissas hæ literæ suggerunt pulcherrimas & plurimas: eædemque vulgata iam cætera ejus generis, sigillo velut quodam autoritatis irrefragabilis obsignant; ut duplici ex dote commendabiles haberi debeant: iniuriamque facturus videatur Æquitati Vestræ qui dubitaverit; quin vobis utroque nomine gratæ ac iucundæ sint futuræ. Restat ut has quâ fortunâ sim nactus, quâ diligentiâ curaverim, quantum Vos libenter cognituros creditu pronum est, breviter exponam. Alexander Philippucius Noster Anno 1658. die 12. Martij, Maceratæ pertinacissimo & dirissimo languore, spe omni humanâ recuperandæ valetudinis exclusus, invocato S. Francisco Xaverio ita mirabiliter convaluit, ut cuius diei primo manè solitis angoribus

bus morbi iam ſeſquiannui cruciatus immaniſſimè fuerat, eius ante meridiem planè robuſtus ac vegetus Sacro Solemni, concurſu eius Civitatis ingenti in gratiarum actionem celebrato, miniſtraverit. Is deinde Sancti Soſpitatoris ſui nomen adſciuit; & ut vitam imitaretur, exoratâ Maiorum veniâ, navigavit in Indiam. Sed prius inter alia omnis generis grati animi ſpecimina, me adiens, magnoperè oravit, ut in hoc Noſtro Archio Romano conquirere ne gravarer, ecquæ adhuc ineditæ S. Franciſci Xaverij Epiſtolæ laterent; tum ſi quæ reperirentur, Latinitate ac luce donare. Obſequens tam pijs votis, Indiarum Apoſtoli quinque nondum publicè viſas illic Epiſtolas reperi, manu ipſius ſcriptas; verùm cum Philippucio excuſarem: paucitate me iuſto volumine minore ab editionis tentandæ cogitatione revocari; ille in Luſitaniam ſolvens, promiſit exempla quarumdam aliarum eiuſdem manûs ibi, ut fama erat, ſervatarum, ſeſe ad me tranſmiſſurum. Nec fides abfuit. Nam paucis menſibus pervenerunt ad me ab eo Vlyſſiponem appulſo, duodecim exempla totidem Xaverianarum Epiſtolarum iſthic ex Autographis exſcripta. unde eſt prior noſtra ante hos annos quinque Novarum S. Franciſci Xaverij

Epi-

Epistolarum editiuncula formata : quæ cum, ut ex cunctis est Partibus nunciatum, placuerit ubique maximè ; patet quam benè augurari de hac liceat fermè decuplo auctiore. Porrò idem P. Xaverius Philippucius Goæ, quò deinde transmiserat, repertis longè plurium Xaverianarum literarum Chartis Archetypis, eas diligenter universas descripsit tribus exemplis, totidemque vijs misit ad me ; quarum duæ pervenerunt ; tertia intercluſa infesto casu, quàm non frustrà in talibus ea multiplicandorum exemplarium laborioſa cautio adhibeatur, ostendit. Accepi & ex Amacaensi Collegio duas alias, ab eodem Patre illuc posterius advecto. Vniversis hisce sex septemve alias adiunxi Compluto, Toleto, Conimbricâ, Mussiponto, ubi Autographa asservantur, communicatas, humanitate Noſtrorum illis in Vrbibus degentium. Omnium porrò quàm syncerissimam, quàmque perspicuissimam Latinam Interpretationem accurandam toto animo amplexus, & spatio & contentione maioribus quam quis facilè autumet, in id studium incubui. Singulas quippe non sententias solum ; sed & voces, & penè apices, nusquam festinans, expendi; præter vocabularia & libros, vivos etiam Magistros adhibens, qualium hîc

beni-

benigna est copia, Linguæ Lusitanicæ peritissimorum. Recordantur illi quoties meas ipsis dubitationes obtruserim, quot importunis quotidiè consultatiunculis, graves ipsorum occupationes haud verecundè interpellarim. Sunt in Dialecto Lusitanicâ per Indicas Colonias vigente, quidam Idiotismi cis-mare ignoti. Eorum Glossas utilissimas providâ industriâ Nostri superiùs memorati, mihi numquam satis pro suo merito, & pro meo affectu, memorandi P. Francisci Xaverij Philippucij, elaboratas, ut opportunissimè accepi, sic assiduissimè consului. Denique nihil prætermisisse mihi sum conscius eorum quæ ad nitidissimam translationem in Latinum Sermonem, Lusitanico expressorum Sancti Xaverij sensuum hisce Chartis inditorum, conferre posse quidquam arbitrarer. Res Ecclesiasticas, usitatis potius & notis formulis, quam circuitionibus ad veterem elegantiam exquisitè affectatis, efferre plerumque malui. Magis interesse ratus, talis utique tractatorem argumenti, Christianè, quam Ciceronianè loqui. Scribens Hispanicè aut Lusitanicè S. Xaverius aliquas interdum inspergit Latinas voces, immo sententias nonnusquam. Has omnes studiosè retinui, & Lectori ad peculiarem animi fructum designandas

das putavi, aliâ eas characterum formâ curans excudi, quod ut in alijs, si quæ fient, observetur Editionibus, earum Curatores rogatos velim. Tursellini Nostri secutus exemplum, qui quas edidit Xaverianas Epistolas, quatuor distinxit libris, septem & ego, paris fermè Tursellinianis molis & numeri Epistolarum, in libros discrevi has quas emitto Epistolas, *Novas* omnes meritò vocatas, etsi aliquot ipsarum quædam alibi excerpta, aut membra mutila prodierint, quod integræ nunc primum, ac planè quales è Sancti Calamo exiere, vulgentur. quænam hæ sint Indiculus ad calcem additus designat; uti & unde quorumque benignâ gratiâ, unaquæque totum hoc corpus conflantium ad me pervenerit, ad singulas ibidem profiteor. Appello autem eundem illum Indiculum *Exegeticum* quasi diceres *Enarratorium*, quòd in eo ad quasdam Epistolas enarratiunculæ aut notulæ necessariæ certis ipsarum Locis intelligendis, subiunguntur. Tantum quod in limine præfarer habui. Boni consulite, Reverendi Patres Fratresque Carissimi, meum obsequendi & gratificandi vobis fidele studium; etiam ubi forte infeliciter conantis infra votum debilitas subsederit. Valete. Scribebam Romæ Nonis Decembris Anni CIↃIↃCLXVI.

IOAN-

# IOANNES PAVLVS OLIVA

Præpositus Generalis Societatis Iesv.

CVm Novas Epistolas Sancti Patris Francisci Xaverij Indiarum Apostoli in Latinum Sermonem translatas, ac in Septem libros digestas à Patre Petro Possino Nostræ Societatis Sacerdote, aliquot eiusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestatem facimus, vt Typis mandentur, si ijs ad quos pertinet, ita videbitur. Datum Romæ 25. Novembris 1666.

*Ioannes Paulus Oliva.*

Imprimatur,

si videbitur Reverendissimo P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

*M. Episc. Ariminen. Vicesg.*

*Imprimatur,*

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Pal. Apostol. Magist.

# S. FRANCISCI XAVERII SOCIETATIS IESV INDIARVM APOSTOLI NOVARVM EPISTOLARVM.

## LIBER I.

### *EPISTOLA PRIMA.*

*Dom: Capitaneo Aſpilcuetæ Fratri ſuo Majori.* OBANVM.

MVLTIS vijs ante hos non multos retrò dies ſcripſi ad Te, Domine; gravibus me ad id impellentibus cauſis, quarum prima præcipuaque fuit officium quo Tibi obſtringor, tum pietatis veneratione coniunctæ, qualem frater, vt ego ſum, minor Majori & Primogenito Germano, ſecundum Parentum caritatem, maximam debeo; tum grati ani-

mi propter multa magnaque beneficia quibus me affecisti ; tot profectò taliaque, vt non parùm verear, ne ijs pro merito agnoscendis rependendisque impar ad extremum deprehensus, etiam ingratus, à voluntatem ex facto æstimantibus judicer. Hæc me solicitudo stimulat ad omnes indagandas rationes significandi tibi sensûs atque affectûs mei, quantâ maximâ vi fidei & veri amoris possum, mutuam reddere vicem conantis, luculentis semper se indicijs prodenti caritati erga me tuæ. in quo, cum, vt non rarò evenit, votum successu destituitur, sanè commoveor: etiam subvereri me interdum cogente quadam amoris anxietate inquietâ, vt satis fideliter ac tempestivè perferantur quas multas per quoscumque istuc euntium, operæ haud parcens, literas scriptito, meæ in te observantiæ devinctissimique testes obsequij; dum videlicet reputo quàm vastæ, eædemque varijs obseptæ commerciorum impedimentis, regiones Lutetiam & Obanum interjacent. Cuiusmodi equidem obstaculo cuipiam vicissim imputo, quòd pauciores quam vellem à te mutuas recipio, non Te scilicet ab jucundissimo & desideratissimo mihi officio cessante, sed Tabella-

bellariorum, vel fide, vel ſtrenuitate, vel fortunâ, malè reſpondentibus ſtudij erga me tui indefeſſæ diligentiæ. Nam & relatione Amicorum, & ſignis cæteris idoneis, planè perſuaſum mihi eſt, compati te ex animo ærumnis contentionis huius in ſtudijs meæ, commorationiſque peregrinæ; nec ferè minus domi iſthic tuæ, ubi omnibus abundas commodis, ſentire te labores vigiliarum mearum & difficultates quibus conflictor, quàm me ipſum Lutetiæ, quo in loco rebus ſæpe neceſſarijs egeo; non aliâ ex causâ quàm quòd Tibi optimè animato ad ſublevandum me non ſatis diſtinctè ſunt perſpectæ minutæ ac parvæ plerumque dictu, ſed eædem ſenſu moleſtiſſimæ, neceſſitates meæ. In his vna me ſuſtentat ſpes à mihi compertiſſimâ humanitate tuâ; certiſſimè autumantem fore, vt ſimul cognoveris quo & quanto indigeam, abundè ſubminiſtres quod opus fuerit, & anguſtias repente meas laxes largâ effuſione liberalitatis tuæ. Ante hos non multos dies egit otiosè mecum R. P. F. Vear iſthinc in hanc Academiam noviſſimè appulſus. Is longum & mihi dulciſſimum de vobis ſermonem ingreſſus, eò ſenſim devênit, vt non diſſimularet, delatas

ad Te à quibuſdam mihi malevolis graves de me querelas, quas etiam meo rogatu fusè totas explicuit. Si dignaris mihi credere ſanctè affirmanti falſa ea & ex vano hauſta malitiosè impingi prorsùs innocenti fraterculo; condolebis, ſcio, & facilè æſtimabis quàm acrem mendaces calumniæ doloris ſenſum optimè ſibi conſcio inuſſerint. Tamen tibi veriſſimè confirmo; patientiùs multò tuliſſe me immeritam famæ propriæ jacturam, quàm moleſtiam ex eo rumore tibi oblatam, de quâ diſtinctè referenti Patri Vear præibam animo videlicet, per me intelligens, ex notâ mihi magnitudine amoris erga me tui, fieri non poſſe quin hæc improba delatio cor tibi penitus convulneraverit. Verùm quoniam ijdem ſcelerati Sycophantæ hominem omnium innocentiſſimum ac ſanctiſſimum D. Magiſtrum Ignatium in eamdem mecum criminationem involvere non ſunt veriti, hoc primum argumentum tibi ſit vitæ ipſius inculpatæ morumque optimorum, quòd vltrò te is ſuſtinet domi tuæ convenire, & hanc à me ad id acceptam epiſtolam tibi privatim adito reddere. neque enim ſi talis eſſet qualem mendax calumniæ penicillus deformavit, ac

niſi

nisi contrà, rectissimæ conscientiæ fiduciâ ingenti niteretur, vtique committeret, vt in eorum se inermem & solum plenam potestatem daret, quos & se gravissimè læsisse meminisset, & hoc ipsis non ignoraret esse perspectum. Cæterùm vt Malevolorum obtrectationibus rejectis, liquidò intelligas, Domine mi, ac Germane Major omni observantiâ colende, quàm insigni Dei Domini nostri beneficio mihi contigerit incidere in notitiam & familiaritatem hujus ipsius Optimi Viri D. Magistri Ignatij: Ego ex animi mei sententiâ, his velut ritè obsignatis Tabulis, religiosâ testimonij fide profiteor; longè majora ejus extare merita in me, quàm quibus vel vitæ totius meæ addictissimis obsequijs ei satisfacere, aut aliquâ ex parte respondere queam. Nam & in difficultatibus rei familiaris, in quas me sæpe graves, vt dixi, tanta hæc à vobis distantia conjecit, ille mihi tum præsenti subministratione pecuniæ, tum cæterâ suâ suorumque Amicorum opportunissimè subvênit operâ; &, quod præcipui momenti fuit, præmunivit incautam Iuventutem meam adversùs exitialia pericula familiaritatum cum hominibus in Hæreses prurientibus, quales

in hâc Parisiensi Civitate multi mei æquales, ijdemque dotium pellacium, humanitatis & ingenij, specioso tectorio, labem Fidei ac Morum insidiosè velantes, extiterunt per hæc tempora. Horum in pestiferas amicitias ne pro meâ inexpertâ facilitate me induens adhæresçerem, is prævertit unus, fraudum ignotarum mihi pernicie monstrandâ; tantumque isto beneficio à me malum arcuit, quantum non incurrisse, vel universi mundi, si meæ potestatis esset, pretio atque impensâ rectè redemptum arbitrarer. Hoc quamvis solum esset D. Magistri Ignatij erga me officium; tale profectò est, vt non videam quam, aut quando, dignam ipsi pro eo mercedem, aut grati animi vicem possim exsolvere. prorsùs enim, absque illo fuisset, nunquam evitassem, quin me penitùs in consuetudinem darem Iuvenum exteriùs honestorum, intus hæresi perfidiâque scatentium; prout eventa postmodum actaque ipsorum demonstrarunt. Obsecro igitur obtestorque Te, per necessitudinem nostram, & eam quam meorum affectuum, votorum ac debitorum partem amor tibi tuus in me fraternus, vt imputes suadet, ea operam omni sedulitate officiorum, ne quidquam

vllâ in parte minùs quàm mihi præsenti poscentique exhiberes, opis obsequijque, Vir cui me fero ac fateor propter benefacta incomparabilia devinctissimum, à Te recipiat. Hoc postquam ejus causâ te rogavi, illud tuâ ipsius adijciam: utere opportunitate Tibi oblatâ fruendi colloquio ac familiaritate hominis sapientissimi & donis à Deo singularibus ornati. Summum, experto mihi crede, ex cordatis ejus monitis ac prudentissimis consilijs fructum animi consolationemque percipies. Aperi fidenter si quid te angit ægritudinis; si quid dubitas, propone; audi suadentem, consulenti obtempera: Probaturus experientiâ quàm non vana pollicear, dum te incredibiles utilitates ex virî utique Deo pleni usu convictuque hausturum auguror. de me idem mearumque hîc statu rerum quàm plenissimam potes cupere, quantamque meâ interest offerri tibi, notitiam communicabit: quod agenti velim ipsi, fidem eandem quam mihi coràm præsenti tribueres, habeas. nemini perspectiora mea intima sunt. in numerato tenet omnes articulos privatarum mearum rationum. Quo egeam, quibus mihi opus à te provisis sit, me pene ipso callet melius. Mox cum ejus indicio

compertæ penuriæ meæ ſubvenire, quod futurum certò ſcio, decreveris, eodem illo quæsò utaris largitionis ſequeſtro tuæ. Non eſt ille quidem huc rediturus, vt à te accepta Lutetiam ad me perferat: cæterùm habet in poteſtate viam certam, quâ quidvis ad nos tutiſſimè tranſmittat. Dat mecum operam in hâc urbe ſtudijs, Iuvenis Almaſanenſis mihi amicus, ad quem domo ſtatis & nunquam fallentibus penſionibus neceſſariæ pecunia pervenit. Is literas cum mandatis tractandi negotij cujuſdam proficiſcenti D. M. Ignatio ad Patrem ſuum dedit, quarum causâ reddendarum idem à Te diſcedens Almaſanum eſt iturus. Committe, quæſo te, proficiſcenti quidquid ad me pecuniæ perlatum vis. Ille cunctam fide ſummâ deponet in manibus honeſti Almaſanenſis Civis Parentis ejus mei Condiſcipuli, de quo dixi, qui quâ viâ filio ſuo curare annui victûs mercedes ſolet, eâdem, & pari genere monetæ, quam minimo intertrimento verſuræ, penſionem à te mihi deſtinatam mittet. nam hoc eum vt faciat, ijſdem literis ipſius filius, meo rogatu, diligenter petit. Oro etiam atque etiam ne nactus occaſionem tam ſecuræ tranſmiſſionis conſeneſcere me diutiùs in miſerâ ſinas inopiâ.

In

In rebus hîc noſtris domeſticis nihil habeo, magnoperè nunc quidem ſcriptu dignum, præter fugam ex hâc Academiâ Conſobrini noſtri, quam vt ſerò cognovi, curriculo inſecutus ſum; Puerum, ſi poſſem aſſequi, retracturus. Sed fruſtrà contendi. pervolato enim velocibus equis quatuor & triginta leucarum ſpatio, quantum Lutetiam & Sacram Ædem Dominæ noſtræ *de Cleri* vulgò dictam, interjacet, reflectere iter ſucceſſu deſperato ſum coactus. Rogo te ne omittas quam primum poteris; certiorem me facere, ecquid fugitivus in Navarrâ comparuerit. Valde metuo ut ad bonam unquam frugem præceps iſta in ſequiora indoles redeat. Quo apud nos loco Res Eccleſiaſtica modò ſit; quorſum, inquam, erumpere jam ceperint nuper tumeſcentes Hæreſum minæ, commodiùs & pleniùs coràm ſermone D. Mag. Ignatij cognoſcere poteris. quare de his ſcribere ſuperſedeo. Ad extremum Te, Domine, pariterque Dominam Sororem meam tuam Conjugem, millies, prout hinc poſſum, manuum cariſſimarum oſculis venerans, precor Deum, vt ambos omni proſperitate vitæ florentis cumulatos ſervet fortunetque in annos plurimos, prout veſtra utriuſque pia & generoſa

rosa corda desiderant. Sic vovebam
Lutetiæ Parisiorum VIII.kal. Apriles.

*Anni nota non exprimitur in Archetypo. Sed cum aliunde certissimum sit S. Ignatium iviſſe Parisijs in Hiſpaniam anno 1535. non eſt dubium quin hæc Epiſtola ei ad iſtud iter procincto data, ſcripta fuerit illo ipſo anno Chriſti* CIↃIↃXXXV.

Addictissimus Tibi Servus & Frater minor
*Franciſcus de Xavier.*

## EPISTOLA II.

## S. IGNATIO ROMAM

*Gratia & Amor Chriſti Domini noſtri adſit ſemper nobis auxilio & favore. Amen.*

DIe Sancto Paschæ accepi literas à Te perlatas in fasce ad Dominum Legatum missо, & cum ijs tantum gaudij ac consolationis, quantum non exprimo; Deus Dominus noster scit. In hac deinceps vita non aliter, credo, quam per literas congrediemur; in altera *facie ad faciem* cum multis amplexibus. Supereſt igitur vt hoc exiguo nobis reliquo tempore mortalis Exilij, crebris inuicem

Epi-

Epistolis consolemur. Equidem desiderari hac in parte meam diligentiam non sinam. Persuasus enim illo tuo, quo me digredientem monuisti, sapienti dicto: Colonias Metropolibus, ut Filias Matribus, usu mutuæ notitiæ connecti oportere: planè decrevi dare operam, ut & Ego, & quæcumque umquam ubivis terrarum mecum erit nostræ Societatis Pars, Tibi ac Societati Romanæ nunciorum atque officiorum commercio iungamur; sicque ad vos cuncta nostra minutè ac distinctè referamus, vt Filiolæ solent, cum Matribus rationem reddunt. Egi per otium & ex animi mei sententiâ cum D. Cardinali Invrea, prout ea de re scriptum mihi mandatum dederas. Excepit me humanissimè, offerens perofficiosè favorem nobis suum in omnibus quæ suæ potestatis forent. Bonus senex cum ab eo discederem amplexatus est me, osculantem manus eius. In medio eius quem cum illo habui sermonis abiecì me in genua, & nomine totius Societatis osculatus ei sum manus. Quantum ex ijs quæ mihi respondit intelligo, multum ille probat nostrum procedendi modum. Dominus Legatus me tot officijs cumulat, vt nunquam finis sit si enumerare velim. nec scio quomodo inducere possem

sem in animum illa admittere, nisi cogitarem, & quasi pro certo haberem, mihi ista apud Indos nihilò minore pretio quam vitâ ipsâ rependenda. In Templo Dominæ Nostræ Laureti, Dominicâ Palmarum, excepi eius Confessionem, & ei Sacram Eucharistiam ministravi. Idem præstiti multis ex eius Domo. Feci Sacrum in Sacello Dominæ Nostræ, & Bonus Legatus egit, vt secum Sacram Communionem preciperent intra Sanctam illam Aedem omnes sui Domestici. Postea die Paschæ iterùm confitenti absolutionem, & confesso Christi corpus impertij; itemque alijs ex eius familiâ probis viris & religioni deditis. Sacerdos familiaris Domini Legati multum se istic commendat orationibus vestrûm omnium. is mihi spopondit, se iturum Nobiscum in Indias. Fac salutes à me Dominam Faustinam Ancolinam; & dicas illi, nisi grave est: feciſse me unum sacrum pro suo & meo Vincentio, & cras aliud oblaturum pro ipsa. Præterea, certò sibi persuadeat, me numquam ipsius obliturum: ne tum quidem cum ero in Indijs. Meo quoque nomine revoca, quæso, in memoriam D. Petro, Fratri meo carissimo, vt quemadmodum mihi promisit coûfessurum se peccata, & Sacram Eucharistiam percepturum

pturum, sic faciat; meque literis certiorem reddat, an id, & quoties, præstiterit. Quod si velit gratificari Vincentio suo & meo; dic ei meo nomine, ut ignoscat illis qui occiderunt eius filium; quandoquidem pro illis Vincentius multùm orat in cælo. Hic Bononiæ plus occupationis habeo in audiendis Confessionibus, quam nuper isthic in S. Ludovici. Omnes impensè saluto. quod singillatim quemque ac nominatim non memoro, non est (mihi credant verè loquenti) oblivionis culpa. Bononiâ pridie Kal. Aprilis An. MDXL.

Vester in Christo Frater & servus

*Franciscus.*

## EPISTOLA III.

## EIDEM.

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri Adsit semper nobis auxilio & favore Amen.*

MVlta & continua Christi Domini Nostri beneficia experti sumus toto itinere quo

quo Româ in Lusitaniam venimus, in quo consumpsimus tres menses. Eo tanto tractu locorum & temporum, in tot tantisque difficultatibus ac laboribus, usum semper fuisse optimâ valetudine D. Legatum, & universam eius familiam à maximo usque ad minimum, res est vnde multas laudes & gratiàs Christo Domino Nostro reddî par sit. maximè quòd ultra communem suum concursum, peculiarem suæ manûs protectionem adhibuit, ad Nos cunctis periculis liberandos; uti & ad inspirandam D. Legato mentem ac prudentiam continendæ tam sanctâ Disciplinâ Familiæ suæ, vt Religiosæ Communitati similior quam sæculari Domui videretur. Id ille assequebatur frequentando ipse Sacramenta Confessionis & Eucharistiæ: unde fiebat, ut famuli eius idem ultrò, illustris exempli vi tracti, facerent, tam frequenter & tanto numero, vt cum facilè provideremus inter eundum, vix in hospitijs per loci ac temporis angustias, commoditatem affore satisfaciendi eo in genere tam multis, necesse haberem de viâ interdum deflectere, equòque desilire; ac loco idoneo captato, audiendæ parti servulorum operam præoccupare. Dum iter esset adhuc Nobis per Italiam, placuit Domino Nostro mirabiliter

Nu-

Numen ſuum oſtendere in vno ex Famulis D. Legati, Comitibus noſtris, illo ipſo quem Romæ vidiſtis conceptum propoſitum ſuſcipiendæ Vitæ Monaſticæ ſuſpendiſſe primùm ſegni & ignavâ morâ, ad extremum omiſiſſe. Rivus occurrit ingens incerti vadi. ad eum tentandum ſuâ iſtum temeritate perurgente, Nos omnes reclamabamus. fruſtra id quidem. nihilò enim minus per dubium torrentis alveum eques ille progreſſus eſt. Non multum proceſſerat, cum impetus ruentis amnis equi vires eluctatus, eum cum equite abripuit, ſpectantibus & miſerantibus è ripâ cunctis Nobis: tantumque momento in ſpatium avexit; quanto ferè intervallo veſtrum diverſorium Romanum à S. Ludovici Templo diſſitum eſt. Hîc dignatus eſt Deus Dominus Noſter audire ardentes preces quas in illo ſpectaculo ad eum fudit ſervus eius D. Legatus, rogans cum ſuis omnibus *non ſine lacrymis* pro illius infelicis ſalute humanitùs deſperatâ: Annuit Dominus, & manifeſto miraculo, preſenti exitio perditum ſubtraxit. Gerebat is in Legati Comitatu Officium Stabulo Præfecti: qui ſane cum præceps vorticibus ferretur, multò maluiſſet in Monaſterio eſſe quam vbi tunc erat. Iſque illum tum maximè ſcrupulus

ange-

angebat, memoriam ingerens omissæ opportunitatis, quam tunc frustra quantovis redemptam cuperet. Hoc ipse mihi fassus postea est; affirmans, minus se in tam acerbo casu consternatum horrore periculi præsentis, quam verbere conscientiæ acriter exprobrantis vitam inconsultè actam sine ullâ provisione mortis. Addebat, præsertim se tali articulo turbatum serâ Pœnitentiâ ingressus in Monasterium dilati, quò se à Deo vocari non dubiè senserat. Adeoque plenus his cogitationibus nobis est redditus, ut omnes vltrò admoneret ne similia peccarent. Verbis dabat pondus vultus & frons loquentis, tam ultra solitum pallore ac sensu discriminis mutata, ut redire videretur ex Inferis. Sanè de pœnis quæ ibi tolerantur multa erat eius & pathetica Oratio, qualis illius foret qui esset expertus. quibus frequenter inferebat: planè ita fieri; vt qui per vitam de se ad mortem comparando non cogitarit, ei mortis necessitate ingruente, Dei meminisse non vacaret. Hi erant boni viri sermones, non hausti ex lectione, doctrinâ, vel meditatione studij; sed propriæ sensu experientiæ dictati. Non parum, hæc reputans, commoveor incuriâ simili multorum vitæ usu nobis & amicitiâ variè notorum

rum, quos differre pariter video executionem bonarum cogitationum, sanctorumque desideriorum Deo serviendi, quibus impelli se fatentur, maléque metuo ne tempus ijs quoque tale superveniat quo tempore facere quod decreverant ardentissimè optantes, nulla ratione poterunt. Quo die Vlyssipponem pervenimus offendi Magistrum Simonem in expectatione accessus quartanæ, ea ipsa horâ statam, ut putabatur, habituri redeundi vicem. cæterùm tanta eum ex adventu meo lætitia inceſſit (non minor credo quam quâ Ego ex eius aspectu amplexuque affectus sum) ut languorem discusserit. nam nec eo die, nec deinceps vllum eius sensum habuit. Est autem ab appulsu huc nostro iam mensis evolutus. Itaque in plenam modo valetudinem confirmavit se, multumque in vineâ Domini, non sine uberi fructu, laborat. Magnus hîc numerus Hominum est amicè ac benevolè in Nos affectorum: ac sanè tantus ut molestè feram, fieri per nimiam multitudinem non posse, vt cunctis singillatim ea nos Visitationum & Salutationum officia reddamus, quæ pro notabili ac conspicuâ dignitate plerorumque, ipsis deberemus, si ea obire per tempus liceret. Notavi etiam plurimos

ad bonum propenſos, & Deo Domino Noſtro ſervire cupientes, quos ſaluberrimum eſſet iuvari quibuſdam Exercitijs ſpiritualibus, ad concipiendum Propoſitum ſtatim executioni mandandi quod *de die in diem* differunt: quoniam quantumcumque feſtinent Homines in exequendo quod faciendum norunt, vix fugiunt quin rationem reddendam morarum habeant. quare multum attentionis adhiberi convenit ad amoliendas cunctandi cauſas. Huius officij plena cognitio ſalutares multis ſtimulos admovet, per quos à veterno quodam excitati ſentiant; ſe non inventuros pacem ubi pax non eſt; præſertim ij qui contra omnem rationem procurant, Deum eò pertrahere quò ipſi volunt; recuſantes eò ire quò à Deo Domino Noſtro vocantur; ſinenteſque agi ſe ſuis potius ipſorum inordinatis affectibus, quam bonis deſiderijs in eorum mentes diuinitùs immiſſis. Digni ſane quibus miſereamur magis, quam quiſquam invideat; quippe quos ire ac niti cernimus per tam acclivem abruptamque viam: & improbo conatu laborioſi aſcenſus nihil aliud quam præcipitij periculum, imo certum ruinæ infelicis exitium quærere. Elapſis ab adventu in hanc regiam Civitatem

noſtro

nostro tribus aut quatuor diebus, accersivit Nos Rex. & benignissimè excepit. Erat solus in cubiculo cum Regina: ubi cum illis per horam, & aliquantò ampliùs, fuimus. Quæsierunt ex nobis multa singillatim de nostrâ vivendi ratione, deque casu ac modo quo cognoscere inter nos, & coire in Societatem contigit. tum quò spectarent nostra consilia prima. postremò de persecutionibus quas passi Romæ sumus. In quo valde illos delectavit cum narraretur modus quo detecta tandem est veritas. Laudabantque quòd constanter ac fortiter promovissemus rem usque ad extremum Iudicij exitum. ac significabat Rex, cupere se videre sententiam quâ sumus absoluti. Communis hic sane sensus est omnium, piè ac prudenter factum à Nobis, quòd nullâ conditione dimoveri nos passi sumus ab urgendo usque ad sententiæ ultimæ prolationem litis cursu: passimque tantum id commendant, ut non dissimulent sibi videri fore, ut nisi sic egissemus quemadmodum egimus, numquam relaturi fuissemus ex nostris ministerijs fructum ullum. Itaque finem, ut dixi, non faciunt prædicandæ illius nostræ constantiæ, usque ad sententiam, quæ veritatem denique liqui-

dam ostenderet, obfirmatè durantis. Vt ad Regem & Reginam redeam, placuit multum ipsis quod audierunt clarè de formâ ac ratione nostrarum Domuum, ministeriorumque & totius Instituti consilio ac scopo. Inter hæc Rex vocari iussit Filiam suam Dominam Infantem, & suum Filium Regni Principem, ut illos videremus. commemoravit benignissimè quot Filios & Filias sibi Dominus dedisset, quique ex illis mortui, qui superstites essent. Vterque tam Rex quam Regina summum erga nos affectum declararunt. Studiosè nobis commendavit Rex eo ipso die quo primùm eum vidimus, vt confessiones audiremus nobilium Adolescentum qui in ipsius Comitatu essent. Nam ipse Mandatum edidit, vt Nobiles Iuvenes omnes qui aulam eius frequentant, octavo quoquè die peccata Confessario aperiant. In istius executionem mandati, & in eiusmodi Adolescentes, ut nos invigilaremus seriò iniunxit. cuius curæ suæ hanc rationem dabat. Existimare se aiebat, si à puero insueverint eius loci Adolescentuli cognoscendo venerandoque Deo, deinde cum maturuerint, viros bonos & frugi evasuros. Porrò si Nobiles quales ĕsse debent fuerint, sine dubio plebem ad illorum Exem-

plum

plum se formaturam. quare spem restituendi mores omnium Sæcularium Regni, in Nobilium Puerorum probâ institutione verti. nec enim esse dubium, quin illius primi Ordinis conspecta Sanctitas bonam Regni partem imitatione trahat. Magnam nobis præbet Dei laudandi causam hic religiosus optimi Regis animus, & zelus in promovendâ gloriâ Dei Domini Nostri; tamque pia propensio in res omnes bonas ac sanctas. Nos omnes qui de Societate sumus plurimum illi debemus ob benignissimam in cunctos voluntatem, sive qui isthic estis, sive qui hîc degimus. Retulit mihi Legatus qui cum Rege egit postquam eum nos eramus allocuti, dixisse sibi Regem: sibi verò iucundissimum futurum, si omnes qui hactenus in Societatem nomen dedimus hîc apud se congregare ac habere posset; etiamsi in eos alendos ornandosque partem magnam suarum opum impendere oporteret. Scimus multos ex Amicis Nostris conari hîc impedire discessum in Indias nostrum; quòd illis videatur, plus fructus nos hîc reportaturos ex Confessionibus, sermonibus familiaribus, tradendis Exercitijs Spiritualibus, & exhortandis cunctis ad frequentes Confessiones & Communiones; denique exercendâ

hîc ſimili docendi inſtandique diligentiâ eius quâ uti in Indiâ decrevimus. Inter eos qui ſic ſentiunt eſt Confeſſarius, eſt & Eccleſiaſtes Regis, cui uterque autores ſunt ut nos hîc retineat ſpe uberioris fructûs. Diverſa quorundam aliorum oratio eſt mira de proventu ex noſtrâ operâ in Indijs ſperando loquentium. Sunt autem qui hæc dicunt idonei talium autores, qui multis annis in Indiâ fuerunt. Hi animadvertiſſe ſe affirmant, Gentes illas optimè diſpoſitas ad ſuſcipiendam Religionem Chriſti Domini Noſtri, ſi eius Interpretes ac Magiſtros nanciſcantur noſtri ſimiles, hoc eſt quorum procedendi modus tam longè ab omni ſpecie avaritiæ remotus ſit. Itaque ſi iſtam quam hîc exhibemus abſtinentiam neglectumque humanorum commodorum lucrique ac quæſtus, illic quoque teneamus, ſine ullâ dubitatione futurum aiunt, ut paucis annis duo aut tria Regna Idololatrarum ad Chriſti Domini Noſtri fidem conuertamus. Neque enim cunctaturos illos Populos in credendo nobis, ubi planè perſpexerint, nihil aliud nos quærere quam ſalutem animarum. Hæc nobis à viris talibus qui in re præſenti verſati ſint, & multis, ut dixi, annis in Indijs fuerint, aſſeverata,

ingen-

ingentem fiduciam ingenerant fructûs uberrimi ad Dei Domini Nostri obsequium inde colligendi. Multam hîc diligentiam ponimus in conquirendis Sacerdotibus, qui solo proposito sibi præmio divini obsequij & salutis animarum, ire in Indias nobiscum velint. nec in ullâ re aliâ magis hoc tempore nobis videmur inservire ac gratificari Domino Nostro posse, quàm in Socijs eiusmodi nobis adiungendis. Nam si manipulum vel duodecim solùm talium Sacerdotum congregare possemus, qui in consilij istius ac propositi Societatem unanimiter conspirare nobiscum vellent, citra omnem dubitationem est, nos magnum operæpretium facturos. Iamque aliqui eius generis hîc se nobis offerunt. Incidimus in Sacerdotem nobis aliàs Lutetiæ Parisiorum notum, qui promisit venturum se nobiscum, & usque ad mortem in vitæ ac conscientiæ societate perstiturum. Illum credimus satis certum nobis fore. dedit enim argumenta & pignora idonea constantis voluntatis. Est & alius subdiaconus, brevi Sacerdos futurus, qui se ad idipsum offert magnâ devotione. Præterea Doctor quidam Medicus familiariter nobiscum olim Parisijs versatus, promisit se

navigaturum nobiscum in Indias, ibique facultate suâ medendi eatenus tantum usurum, quatenus id conducet ad iuvandas, & ad salutarem Creatoris sui cognitionem pertrahendas animas, citra ullum quæstum temporarium. Hoc semper maximè spectamus, ut ij quos nobis adiungimus, ab omni avaritiâ alieni sint. neque id ipsum nobis sufficit, nisi ab omni quoque avaritiæ specie sint disiunctissimi: ita ut nec in nobis, nec in familiaribus nostris quidquam conspiciatur unde suspicio oboriri cuiquam possit, temporalia nos potiùs quam spiritualia captatum ac conquisitum ire. Egit Rex cum Episcopo nobis amico, itemque cum Confessario suo, de nobis ad palàm in Templis perorandum è sacro pulpito adhibendis. Id nos differebamus in aliquot dies, initium à rebus humilioribus ducere volentes. Continuimus ergo nos, nec Concionum habendarum voluntatem ostendimus; utcumque qui nos norunt magnam audiendi nostras ex Ecclesiasticis pulpitis orationes cupiditatem præseferrent. Accersivit nos quadam die Rex, & post multa alia dixit nobis; gratum sibi fore, si concionaremur. Tunc sanè ad id agendum nos obtulimus

alacri-

alacritate magnâ; non ſolum ſtudio atque officio obſequendi Maieſtati eius; ſed etiam ſpe, quâ in auxilio Chriſti Domini Noſtri fundatâ nitimur, collocandæ, Deo fauente, non inutiliter operæ ad fructum animarum. Incipiemus octavo die à proxima Dominicâ, nec dubitare nos ſinit de aliquo proſpero ſucceſſu benevolentia quam in nos præcipuam oſtendunt Cives huius Vrbis. quod etiam atque etiam Dominum noſtrum oramus, hoc eſt: *ut augeat eorum fidem qui de nobis aliquam expectationem habent.* Atque hanc ipſam opinionem quæ de nobis hîc proſpera percrebuit, ſperamus occaſionem daturam Deo Domino Noſtro, pro eius ſummâ, cui unicè confidimus, bonitate, ſi minus noſtrâ, ſaltem huius Populi tantam ad nos audiendos fidem & devotionem oſtendentis, causâ, dandi nobis ſcientiam & gratiam, *ut poſſimus conſolari eos, & quæ vel neceſſaria vel utilia ſunt ad animarum ſalutem dicere.* Vlyſſipone v. Nonas Iulij Anno MDXL.

Omnibus Vobis in Chriſto Cariſſimis

*Franciſcus.*

EPI-

## EPISTOLA IV.

## EIDEM.

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri adsit semper nobis auxilio & favore. Amen.*

POstquam scripsi valde prolixè de rebus quæ hîc geruntur, offerunt se aliqua quæ tunc exciderant. inter quæ hæc sunt: Si Breve quod tangit totam Societatem expeditum est, mitte hùc, oro Te, eius exemplum. Nam Rex & qui nos hic amant, libenter id videbunt, uti & sententiam quam pronunciavit Prætor dum nos absolvit. Rex petijt Exercitia cum desiderio illa videndi. Si exemplum eorum è correctis videretur Tibi etiam mittere, gratissimum id foret Maiestati eius. Enimvero Magnus ille Princeps valde benè affectus est erga totam Societatem: & videtur nihil non obsequij à Nobis ei deberi, pro ingenti amore quo nos prosequitur. Binas à Te literas accepi, utrasque perbreves; alteras scriptas VI. îdus Iunij, alteras Kalendis Maij. Domino Legato per-

gra-

gratum erit accipere à Te aliquam Epistolam. quas ad eum dedisti, perlatas ipsi dum esset in itinere Roma huc, vix credas quantâ curâ conservet. Si non posses scribere, fac ut quas Epistolas scribit Strada possimus ei ostendere. Hoc ipso temporis puncto accingimus Nos ad danda Exercitia duobus Licentiatis in Theologiâ, quorum unus est valde celebris Concionator, alter Pædagogus Fratris Regis, Infantis nimirum Domini Henrici. Procuramus etiam ab alijs personis non vulgaribus ea desiderari; persuasi, quò maiori desiderio ea appetierint, eò plus ex ijs vtilitatis percepturos. Est unde laudetur Deus Dominus Noster dum videmus hic multos sancta Confessionis & Communionis Sacramenta frequentantes. Statue-sis quid tibi videatur de Francisco Strada: ecquid placeat mittere eum in Academiam Conimbricensem. Nam ibi nec illi, nec alijs deerunt necessaria ad eorum studia; quantum sperare licet ex eo quod qui illic degunt valde benè inclinati sunt ad res omnes pias & bonas. quare non dubitamus quin brevi in istâ Vniversitate Collegium quoddam Nostrorum instituatur. Nos opportuno tempore non omittemus agere

cum

cum Rege de excitando Convictu Studiosorum . ad quod, opus esset doceri nos quæ tua mens sit circa formam institutionis eius, modumque in ea procedendi ; tum de eo qui isti Congregationi præfuturus est ; quâque Sodales disciplinâ teneri debent *ut crescant magis in Spiritu quam in literis* : ut cum alloquemur Regem, ei exponamus vivendi modum quem observaturi sint qui in nostris Collegijs operam literis dabunt . quo de toto argumento scribi à Te ad nos fusè pervelim . Non apparet obstiturum quidquam quominus illic ædificetur Domus excipiendis Magistris & Scholaribus ; imo & aliæ Domûs Instituti nostri . Multùm libenter qui hîc sunt facerent nobis Domos, si adessent qui eas incolerent . Episcopus Amicus noster dixit nobis : Regem nondum plane constituisse an missurus Nos in Indias sit : quòd illi videatur : nos hîc non minus servituros Domino Nostro quam illic . Institerunt duo Episcopi quorum contraria sententia est, nos nullâ ratione detineri in his locis debere ; sed mitti in Indias : quòd futurum existiment ut aliqui Reges convertantur . Nos semper intenti sumus adiungendis nobis Socijs : & credo non defutu-

futuros, prout se res sensim procedendo aperiunt. Si hîc remaneamus fundabimus aliquas Domos. Faciliùs reperientur qui aggregentur nobis ad hîc manendum, quam ad illò eundum. Si tamen iverimus; & Deus Dominus Noster annuerit nobis aliquot annos vitæ, instituemus cum auxilio eiusdem Dei aliquas Domos inter Indos & Æthiopas. Si Breve quod tangit totam Societatem non est adhuc expeditum, tamen da, quæso Te, operam ut nobis detur facultas ædificandi Domos nostræ Professionis inter Infideles. Sive autem hîc hærebimus, sive navigabimus ad Indos, per Amorem & obsequium Dei Domini Nostri obsecro Te, scribe ad nos modum & ordinem quem observare debemus in aggregandis socijs, idque *multum ad longum*; quandoquidem clarè perspicis exiguitatem nostri Talenti. unde nisi nos adiuves, ob nostram imperitiam negotiandi, omittetur occasio promovendi maius obsequium Dei Domini Nostri. Vale. Vlyssippone VII. Kal. Augusti.

*Annus & subscripeio deerant autographo, recisa à quodam, vt apparet.*

EPI-

## EPISTOLA V.

### DOCTORI MARTINO AZPILCVETÆ NAVARRO.

*Multum Reverende Domine.*

EX quo in hâc Civitate sum binas à Te literas accepi *amoris & pietatis erga me plenas*, Christus Dominus Noster, cuius amore motus es ad mihi scribendum, æquam tantæ isti Caritati & benignæ in me voluntati mercedem reddat; quando Ego, vel si cupiam, nequeo exolvere me hoc debito; nec satis vicissim respondere eximiæ tuæ in me immerentem & inopem benevolentiæ. quare agnoscens & confitens debilitatem in hâc parte meam: ac *per Dei clementiam* cuius singulare donum est seipsum nosse, intelligens *quam inutilis ad omnia sim* post aliquem mei quoad possem explendi officij conatum, *studui spem omnem & fiduciam meam in Deo ponere, videns me nemini posse æquam gratiam referre. & hoc me plurimùm solatur, quòd potens est Deus sanctæ Animæ tuæ & similibus retributionem amplissimam pro me dare.*

*dare*. quod de meis rebus; ac *præsertim de meæ vitæ instituto* præ te fers velle cognoscere, gauderem equidem offerri nobis occasionem mutui congressûs. Nemo enim me paratior est ad omnia quæ in hoc genere scire aves Tibi plenissimè communicanda. Nec despero fore ut Deus mihi Dominus noster, inter multas quibus me divina eius Maiestas benignissimè cumulat quotidiè gratias, hanc quoque adiungat eximiam, videndi semel in hac vitâ & per otium alloquendi Te, priusquam cum meo Socio in Indias solvamus. Tunc sane licebit plenissimam ex me coram audire rationem omnium eorum de quibus per tuas literas interrogas. tam multa enim illa sunt, ut *scripto id fieri commodè nequeat*. Ad id quod Epistola tua adiungit: *multa pro Hominum consuetudine de nostro Instituto dici*: hoc tantum in præsens repono: *parum refert, Doctor egregie, ab Hominibus iudicari; præsertim ab ijs qui prius iudicant, quam intelligant*. Qui has Tibi à me reddet Blasius Lopez in clientelam atque in disciplinam transcribi tuam peroptat. Hunc Ego amo plurimùm mei vicissim amantem; & pro eâ necessitudine Te rogo, ut *si preces meæ apud te quidpiam*

*piam possunt* (*possunt autem multum per Tuam Humanitatem*) excipias benignè, me tradente ac commendante, prolixum istud eius erga Te studium, quod offert; maiorem in modum cupiens, & vt Patrono Tibi obsequi; & vt Magistro dare operam. Scribe igitur illum, quæso Te, in numero tuorum: in quo præterquam rem Deo Domino Nostro, vt spero, gratam, & haud dubiè Te dignam feceris; etiam singularem à me gratiam inibis. Obstringes, inquam, me Tibi magno & peculiari beneficio, si curare bonum hunc Iuvenem, & in studijs literarum dirigere ac iuvare dignaberis, sic animo & studio paratum, ut adolescentiam suam meditationi doctrinarum, quibus Tu excellis, certum habeat impendere. Reputare Te convenit, quantum Deo debeas, qui Te isto eximio Talento insignis eruditionis locupletavit; non utique ad tuum unius fructum: sed ut multis prosis. Deus Dominus Noster nostræ pariter amborum semper custodiæ invigilet. Amen. Vlyssippone IV. Kal. Octobris Anno MDXL.

*Tuus in Christo quoadusque vixerit,*

*Franciscus de Xavier.*

EPI-

## EPISTOLA VI.

## PP. IGNATIO DE LOYOLA ET PETRO CODACIO ROMAM.

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri adsit nobis semper auxilio & favore. Amen.*

HOs raptim deproperare versus cogimur procincto & multùm festinante Cursore. Paucis igitur sic habetote: Benè valere nos & crescere. Iam sex numero hìc sumus; omnes ex notis nobis Lutetiæ Parisiorum, præter duos, Paulum videlicet & Emmanuelem de Sancta Clara. Domino enim nostro placuit in tantum fortunare vota & conatus nostros, hisce nobis sociandis adiutoribus ad celebrandum nomen eius inter Gentes quæ ipsum non noverunt. Imputamus celesti favori quem vos isthinc concilietis nobis, fructum qui hìc existit ex nostris ministerijs; longè superior facultate, scientiâ, intelligentiâque nostris. Tam multi, ijque præstantis dignitatis ad nos

accedunt aperiendæ causâ, per sacram confessionem, conscientiæ, ut tempus desit quo cunctis satisfaciamus. Dominus Princeps Henricus summus Inquisitor Regni huius, & Regis Frater, sæpius commendavit nobis, ut curam susciperemus eorum in spiritu iuvandorum qui Sacræ Inquisitionis custodiâ tenentur. Hos itaque quotidie adimus; damusque operam ut intelligant, quanto Dei beneficio in eo Pœnitentiæ Gymnasio exerceantur. Ad eos simul cunctos exhortationem habemus semel quovis die: tradimusque Exercitia primæ Hebdomadæ, magno ipsorum solatio & fructu. Multi ex illis dicunt nobis, agnoscere se singularem in ipsos Dei gratiam, quòd operâ nostrâ primùm audiant plurima scitu necessaria ad salutem animarum suarum. Ante hos paucos dies misimus ad vos literas Regis ad Pontificem & ad Oratorem in Vrbe suum, quibus commendat res nostræ Societatis ut suas proprias. Ad commendatitias eius generis in hâc Aulâ impetrandas, iam non egemus interpositione ullius: per nos ipsi sufficimus. Nunc quoque Rex, nisi esset in gravi luctu ob mortem Principis Eduardi, scripsisset iterùm ad Sanctissimum Dominum & ad Cardinalem

SS. Qua-

SS. Quatuor Coronatorum, alioſque quorum iſthic favor neceſſarius aut utilis rebus noſtris eſt. Verum ita, ut dixi, obrutus dolore ac conſternatus eſt acerbo funere Principis ſui Fratris, ut domi clauſus neminem admittat; & triſti iuſtitio negotia pendeant. Concedendum pio mœrori iuſtum ſpatium eſt. Vbi reſederit poſt paucos dies exorabimus ab optimo Rege literas quàm voletis multas ad quoſcumque deſignabitis. Quidam qui ſtudiorum curſum Pariſijs confecit, vitæ Societatem nobiſcum inijt. Nomen ei, Magiſter Conſalvus Mederes. Nondum eſt Ordinibus initiatus. Per Dei Domini Noſtri obſequium oramus, impetrate & mittite Reſcriptum Pontificium cuius vi, extra conſueta tempora, tribus diebus feſtis promoveri per ſolitos gradus ad Sacerdotium ritè poſſit; ut Sacretur Presbyter antequam ſolvamus in Indiam. Opus etiam eſſet impetrari Privilegium ſex Clericis arbitratu noſtro communicabile, utendi Breviario novo. Ea res uſum haberet nonnullum ad faciliùs alliciendos quoſdam ut nos in Indias ſequi vellent. Per Domini Noſtri amorem vos obteſtamur, curate quam celerrimè perferri ad nos Breue quo dirigimur in Indias.

Nam tempus eò ſolvendi inſtat. Magna no ſpes tenet fructûs uberis ex illâ noſtrâ navi gatione ſecuturi. Facite, oramus vos, quan primùm ſciamus, quid nos oporteat conſti tuere de ijs, qui aut Pariſijs fuerunt ſtudio rum causâ, aut eò ituri ſunt. Reſpondeat etiam diſtinctè ad ea quæ ſcripſimus de Stra da; deque conſilio excitandi Contuberni Scholarium noſtrorum in Conimbricen Academiâ. Nam ad id, & pia eius gene ris opera pronum hîc paratumque habemu favorem Procerum, & liberalitatem Locu pletum. Docete igitur citò nos, quid cir ca hæc decreveritis, ut prout iuſſeritis effi cere conemur quod videbitur *magis expedi re ad laudem Dei*. Rapit chartam è mani bus Veredarius moras increpans. Ergo quo hactenus hìc ſcripſi, ſit inſta? Epiſtolæ com munis mecum Magiſtro Simoni: huius autem communis item utrique, ſubſcriptio, quaſi ſi gilli vicem præſtet. XI. Kal. Novembris An no MDXL.

Vtriuſque nomine, Magiſter Simon.

EPI-

## EPISTOLA VII.

Cariſſimis Noſtris in Chriſto Domino Noſtro Fratribus D. Ignatio & D. Ioanni Codurio. Romam.

*Gratia & amor Chriſti Domini noſtri adſit ſemper nobis auxilio & favore. Amen.*

ACcepimus deſideratiſſimas nobis literas veſtras tanto fructu noſtrorum animorum quantum offerre Filijs debuere Felices de Matre nuncij. Cognovimus per eas videlicet de Salute ac ſtatu proſpero Societatis univerſæ; de occupationibus pijs ac ſanctis in quas vos iſthic totos impenditis; de ædificijs duplicis generis ſpiritualibus & materialibus quæ fundatis & ſtruitis, præſentibus unà Poſteriſque conſulentes, quò utrique pariter inſtructi neceſſarijs ſubſidijs *ad laborandum in vinea Domini* provehere promovereque ad finem optatum poſſint, id quod cum ſpe maximâ Deo Domino noſtro inſigniter gratificandi dudùm inchoatum eſt. Dignetur utinam Dominus noſter adjuvare nos quoque

*absentes tantùm corpore, licet præsentes animo nunquam magis quàm nunc*, ut imitemur vos, quando nobis quoque viam monstravit inserviendi Christo Domino Nostro. Hînc quæ nosse vos juvet hæc habemus: Rex quòd impensè probet nostrum procedendi modum, & quod experientiâ spiritualis fructûs ex nostris jam ministerijs extantis, in spem excitetur profectûs animorum uberioris si tales multiplicentur Operarij, decrevit fundare unum Collegium; unamque item domum Nostrorum, hoc est Societatis Iesu. His ædificandis remanent hîc tres, Magister Simon, Magister Gonzalus, & alter Sacerdos Iuris Canonici peritus. Multi alij se in dies produnt, offeruntque ad Societatem ineundam. Porrò non perfunctorium aut nutans hoc propositum Regis est istarum Domuum excitandarum; sed fixum vehemensque. quoties ex aliquo jam tempore illum adivimus, illam suam ultrò professus voluntatem est, sermonem hujusmodi primus inferens, nullâ præviâ suggestione nostrâ, aut Amicorum quos rogaverimus. ex proprio planè arbitrio judicioque in id domos istas ædificandi consilium prodit. Locum illis destinat, Civitatem Éboram. Credo illum scribere ad Pontificem, ut aliquos,

quos, aut aliquem è Societate huc mittat, qui Magistrum Simonem in his principijs adjuvent. Rex sanè ille optimus suo isto tanto affectu in nostram Societatem, cujus augmentum optat *tanquam unum ex nobis*, totum id agens solo instinctus amore ac veneratione Dei Domini nostri, magno nos sibi vicissim officio devincit profitendi ei præstandique perpetuam *propter Deum* servitutem. nihil enim minus profectò debetur tam beneficæ prolixæque voluntati, haud se intra otiosam destinationem continenti, sed ultrò ac largè in omnem de nobis optimè merendi sedulitatem occurrenti. Quo nomine quantum ei simus obstricti, nisi & agnosceremus & profiteremur, nisi, inquam, quotidianis orationibus ac sacrificijs, quoad possumus, rependere conaremur quantulum à nostrâ potest infirmitate proficisci, præstantibus meritis eorum qui nobis ad Dei obsequium adjuvandis ac fovendis sese insigniter commendant in conspectu divinæ Majestatis; gravem utique conscisceremus culpam, & fœdâ ingratissimi animi ad insignem turpitudinem labe inureremur, vitâ ipsâ indigni, quoties ulla nos dies argueret memoriam affectu obsequissimo conjunctam

Regis Lusitaniæ Ioannis Patroni ac Benefactoris nostri liberalissimi, non cum vitæ ipsius nostræ quantalibet diuturnitate coæquandæ. Paulus & alius Lusitanus, me ipsis adjuncto tertio, soluturi sumus hâc hebdomade versùs Indias. Spes magna nos tenet Dei Domini Nostri benigno auxilio confisos, uberis ex ijs terris in Ecclesiæ horrea messis inferendæ. ut sic opinemur movent quæ mirabile referuntur à Viris probis coram intuitis, quippe per annos multos in Indiâ versatis, de præclarâ dispositione Gentium illarum ad audiendos qui meliora suadeant, & salutem oblatam animarum amplectendam. dimittit nos Rex omnis generis à se gratijs plenos cumulatosque; commendatos quin etiam diligentissimè Proregi quem hoc anno mittit in Indiam, cujus ipsa Prætoria, vectura nos quoque unà cum ipso est. Sanè is se nobis perbenevolum ostendit. Adeo ut curam omnem nostræ navigationis in se sumpserit, vetueritque nos aut quemquam alium præter se ipsum de apparatu ac instrumento nobis ad istam transmissionem necessario providendo cogitare. constituit etiam jam nunc, habere nos quotidianos convivas ad prætoriam mensam. quæ commemoro, non

istud

istud quidquid est honoris aut commodi magnoperè ostentans, quasi fructus hic nos proprius delectet, quo multò libentiùs caremus: Sed ut vos intelligentes quantum ex hoc tam prolixo summi per Indiam Magistratûs affectu in nos, subsidij meritò speremus ad conversionem, quam toto animo cupimus, istarum Gentium, & ipsi pro vestro Dei honoris zelo gaudeatis, & nobis gratulemini benignam facultatem portandi nomen Iesv Christi coràm Regibus Gentilibus tractuum illorum; apud quos satis est compertum præcipuam esse autoritatem & venerationem Lusitanici Proregis. Et alunt hanc fiduciam sensus, mores, dotes ac studia præclara Proregis ejusdem, quæ partim observare per nos ipsi, partim ex alijs nosse potuimus hactenus. Pollet enim primum experientiâ & usu rerum Indiæ, ubi exegit multos annos famâ integritatis optimâ. Sanè consensu Aulæ, cujus scitis quàm acre sit ac perspicax de vitis hominum judicium, vir existimatur in primis probus: certisque autoribus creditur, eum in Indiâ à nostris juxtà Indigenisque multùm desiderari. Agenti secum mihi nudiustertius is familiari sermone memorabat, esse quandam in Indiâ

diâ Insulam Gentilium merorum, sine ullâ Maurorum aut Iudæorum misturâ, in quâ sperare se ajebat magnum & promptum prædicationis Evangelicæ proventum. Adeoque nihil dubitare, recolentem quos ac quales illic præsens observasset habitûs animorum, quin & ipse Rex, & brevi cum eo tota Insula Christi palàm Religionem amplectatur. Hos successûs ut augurentur prudentes id genus viri, facit perspecta ipsis & probata ratio instituti ac ministeriorum nostrorum, quorum hîc plausibilia specimina viderunt: nos autem ut non obstante intimâ conscientiâ tenuitatis & imbecillitatis nostræ confidamus haud vana irritave fore vota & auguria hujus generis, animat quòd miserari jam Deum credimus infelicissimam cæcitatem nationum istarum omnî salutis destitutarum præsidio, ut ideò nostris quamlibet infirmorum & inutilium servorum paratissimis obsequijs usurus benignè videatur ad *Gentes quæ Deum ignorant & dæmonia colunt* ab errore ac deplorato in quo jacent statu revocandas. In hoc, ut nudemus vobis nostros intimos sensus, in hoc, inquam, solo sperati verisimiliter efficacis à Deo auxilij fundamento fidit ac nititur tota nostra tanti

nego-

negotij capeſſendi fiducia; hinc viget alacritas, hinc ſpes alitur fortunandorum læto eventu conatuum quos intendere maximos paramus ad homines infeliciſſimos juvandos, trahendis ijs ad veram notitiam Sanctæ Fidei ac Religionis noſtræ, unico inſtinctu amoris & obſequij erga Deum Dominum noſtrum, cui nos iſtâ operâ gratificari & ſervire certiſſimum habemus. Oramus vos majorem in modum, ut maturè nobis iſthic otioſéque concinnetis longa & accurata monita quæ per naves hinc in Indiam, redeunte Martio vertentis anni, ſoluturas perferri ad nos poſſint. In his à vobis plena & ad minuta, quæque deſcendentia perſcribi nobis cupimus, & ſuppliciter petimus, mandata, ſingillatim explicantia quid, quo modo, quibus cautionibus agêre illic debeamus, quod vitæ inſtitutum operandive rationem inter Infideles tenêre. Etſi enim non diffidimus quin nos experientia ipſa præſens doctura ac directura nonnihil in eo ſit: præcipuam tamen ſpem intelligendi quid in hujus totius adminiſtratione negotij potiſſimùm Deo cordi ſit, in ſuggeſtione admonitioneque veſtrâ ponimus: utique perſuaſi vobis inſpiraturum Dominum Noſtrum quid & quatenus agi à

nobis

nobis velit: perque eosdem quibus hactenus nobiscum est usus, Interpretes, declarare dignaturum sensum ac beneplacitum suum intimum circa genus ac formam vitæ ministerijque nostri. Ad hoc etiam atque etiam, adeoque instantissimè petendum moveor metu ne nobis accidat idem quod non rarò usu venire multis magno ipsorum damno solet, ut vel per negligentiam attendendi ac circumspectandi satis omnia, locì, negotij, officij in quibus sunt momenta, vel per tumorem quendam sibi plùs nimio fidentem, ideoque dedignantem consulere alios in dubijs, & sapientiorum sententias exquirere, mereantur multis à Deo gratijs & profuturis notitijs privari, quas illis benignè concessisset, si animum judiciumque demisissent ad professionem ignorantiæ ac imbecillitatis propriæ, consilium auxiliumque ab alijs poscendo; præsertim ab ijs quorum interventu Deus solet significare nobis in quo & quâ ratione serviri sibi per nos velit. Oramus ergò *vos Patres & obsecramus iterùm atque iterùm in Domino, per illam nostram in Christo* Iesv *conjunctissimam amicitiam* ne vos pigeat diligenter ac fusè perscribere, monita, mandata, documenta quibus minutè

ac

ac singillatim erudiamur de omnibus quæ fugere, quæ sequi, quæ cavere, quæ amplecti opus est ijs qui, ut nos, enixè cupiunt in vitâ omni, ac præsertim in isto munere procurandæ salutis animarum, congruere adamussim divinæ voluntati, quam vestris potissimùm nutibus ac præceptis manifestandam nobis confidimus; adjuturis imbecillitatem nostram ad executioni mandandum quidquid illa præscribet, vestris orationibus, quas singulares, *ultrà consuetam memoriam*, ut à vobis imploremus admonent necessitates nostræ majores in extraordinarijs periculis longæ navigationis, & post eam consuetudinis illic nobis assiduæ futuræ cum Indis Ethnicis, hoc est cum Gente omnibus vitijs perditâ, quorum contagio ne tepiditati atque ignorantiæ noxia nostræ sit, abundantiori videlicet Dei gratiâ, efficacioribusque auxilijs eluctandum est. Ex Indiâ scribemus ad vos copiosè per primas quæ illinc solvent post nos appulsos naves; paris scilicet argumenti ac sententiæ literas ad vos dantes, cum ijs quas daturi ad Regem sumus, ut ejus mandatis obtemperemus. Impensè siquidem & instanter Princeps optimus; cum vale soluturis ultimum diceret, commendavit nobis,

Dei

Dei etiam Domini Noſtri nomine interpoſito, ac per ejus amorem adjurans, ut prolixè ipſum accuratéque edoceremus; quænam appareat in Indiâ diſpoſitio ad converſionem miſerarum illarum animarum, uri ſe intimè ac diſcruciari ſignificans infelici earum ſorte; cuperéque, ac nihil non pro eâ ſpe paciſci paratum eſſe, omninò impedire ne illic, ut hactenus, in poſterum Creator & Redemptor omnium hominum à ſuis creaturis ad propriæ imaginis exemplar conditis, tantoque pretio emptis, offendatur. Tam ardenti zelo Chriſti Domini Noſtri Gloriæ, ac ſalutis proximorum procurandæ Rex ille optimus flagrat! unde incitor equidem ad infinitas Deo laudes gratiaſque reddendas quòd mihi videre conceſſerit Regem potentiſſimum tàm piè ſentientem de divinis rebus. veréque affirmo; me niſi eſſem de his præſenti propriorum ſenſuum teſtimonio convictus, vix inducturum in animum credere, ſæculare pectus in principali præſertim fbſtigio, ac tumultu Aulæ magnæ, adeo exquiſitæ religionis ac caritatis capax eſſe potuiſſe. Velit utinam Deus augere in illo dona iſta ſua, Dieſque vitæ ipſius in annos plurimos multiplicet, quando eos tàm salu-

briter

briter impendit, & *tam utilis ac neceſſarius eſt Populo ſuo*. Hæc de Rege: de Regis comitatu ſic habete: nihil eo fieri emendatius poſſe. adeo quidem ut Religioſo Cœnobio ſimilior, quàm Aulæ ſæculari videatur. Tantus numerus ibi eſt ſalutaria Pœnitentiæ Euchariſtiæque myſteria octavo quôque die conſtantiſſimè participantium, ut id videndo & admirando, non ceſſemus Deo laudes ac gratias ingentes eo nomine rependere. Ita ſumus occupati audiendis confeſſionibus, ut ſi eſſemus duplò plures, abunde omnibus futurum eſſet in eo genere quod agerent. Sedemus in ſacro Tribunali totos dies & partem noctium. cum tamen ad nos admittantur Aulici ſoli, cæteris excluſis. Memini obſervaſſe, cum nuper Rex diverſaretur Almerini, eos qui tractandorum negotiorum causâ undique, ut fit, ad Aulam concurrebant, valde admirari ſolitos conſuetudinem, præſertim in Aulicis, novam: ac cum eos paſſim ſingulis Dominicis & Feſtis inſuper diebus ad ſacrum Chriſti Corporis Epulum reverenter accedere cernerent, ſtupore quodam quaſi attonitos hærere. nec pauci eorum quod demirabantur imitantes, purgabant ipſi quoque per pœnitentiam animas, & menſam

Eucha-

Eucharisticam frequentabant. Quòd si par numerus confessariorum præstò esset excipiendæ tantæ multitudini, quanta semper ad Comitatum solet confluere, nemo fere aggrederetur tractare negotia cum Rege, quin priùs calculos cum Deo posuisset; nunc multi peccata deponere parati, qui audiant non reperiunt. etsi, ut dixi, nobis non parcimus. adeo quidem ut audiendi confessiones assiduitas dicendi ad concionem nobis otium eripuerit. Verùm rationibus subductis, accomodatius ad Dei Domini Nostri obsequium judicavimus, attendere administrationi pœnitentiæ, quàm de loco superiori perorare. quòd Concionatores in hâc Aula non desint, Confessariorum hîc quidem idoneorum rara sit copia. Ea nobis causa fuit pulpitum subsellio mutandi. Aliud de nobis, quod nunciemus, non habemus, nisi nos in hoc procinctu navigandi versùs Indiam, vota Christo Domino Nostro facere, ut vobiscum, à quibus ejus causâ disjungimur, dignetur in vitâ meliori congregare, nam in hac difficile speratu est venturos unquam in conspectum mutuum, tum propter immania spatia terrarum &c marium quæ Romam dirimunt ab Indijs, tum quòd

ea

ea quæ nos illic expectat Messis uberrima, cogitationem & facultatem verisimiliter ereptura nobis est alios agros areasve cogitandi unde plus congerere queamus in horreum Domini, cujus obsequijs nos devovimus. qui ergò primus è nobis ad Beatam vitam pervenerit, & illic *non invenerit fratrem quem in Domino diligit*, meminerit orare Christum Regem nostrum, ut & illo adducto, cunctos nos in suâ gloriâ societ. Vlyssipone xv. Kal. Apriles Anno CIↃIↃXLI.

Cunctis isthic in Domino dilectis.

*Franciscus de Xavier.*

## EPISTOLA VIII.

Carissimus in Christo Domino Nostro Fratribus D. Iajo & D. Lainez. Romam.

*Deest principium in Autographo Mussiponti servato.*

QVod Regem attinet & eleemosynam ad ædificationem Domûs, scribo Petro

Codatio quid isthic agere debeat. Mihi videbatur: in hoc quidem trimestre vernæ quam auspicamur tempestatis parùm opportunè id negotium occursurum; utique inter apparatus atrocis belli quod instare dicitur ex finitimâ Africâ; unde frequentes & concordes indicant nuncij, conjuratum omne Maurorum nomen irruptionem minitari tumultuosissimam in terras Lusitanicæ ditionis. Tranquilliori tempore multùm ad rei successum conferrent procurata isthic officia Cardinalium gratiosorum apud Regem, si eum dignarentur accuratis literis docere, quàm utiliter impenderetur regia pecunia in constructionem talis Domûs. Credo in isto numero peculiariter Carorum Regi Purpuratorum Patrum esse Cardinalem Carpensem, argumento inde ducto: quòd hunc Domino Petro intimè familiarem novi. quare commendatitiæ ab eo impetratæ, uti & à Cardinali SS. Quatuor Coronatorum; & si quorum aliorum amicitia cum ejus Majestate non ignota vobis sit, plurimùm sine dubio juvarent. Hi si quâ ex causâ detrectarent ad Regem protinus ipsum tali de re scribere, at non ægrè opinor adducerentur, præsertim Carpensis, ad Dominum Petrum,

ut

ut cum Rege negotium tractet, & boni hujus Operis patrocinium apud eum amplectatur, privatim orandum. Præterea si Orator Regis qui isthic est, optimè affectus in Societatem sit, prodesset sanè non parùm impetrare ab eo in id ipsum literas, quæ Regi exponerent in quantâ necessitate favoris Suæ Majestatis res in urbe nostræ sint. Non omittatis vos ipsi scribere ad Dominum Petrum Mascareniam. nam quantum ille delectetur vestris literis, nullis satis verbis possem exprimere. Hoc certò teneatis, amari vos ab eo *multùm in Domino*. quas à vobis accipit literas studiosissimè conservat, pedetentim lectitat, cum voluptate fructuque animi, cujus signa in vultu renidenti læta extant. Equidem ex his indicijs intelligens quàm is vester sit, obstringi eo nomine me sentio ad me ipsum in omnem illi vitam addicendum. Nos hîc opinabamur, *salvo meliori judicio*, expedire ut ad Regem scriberetis; agendo illi gratias pro eâ voluntate quam ostendit Collegij aut Domûs Societati fundandæ. nam multus & passim requisitus in hâc Aulâ usus viget officiorum istiusmodi. mihique compertum est ex ijs quæ audivi à D. Petro, Epistolam talis sententiæ

tiæ missam isthinc, Regi jucundissimam futuram. Commemorandum in eâ esset, certiores à nobis factos vos de beneficâ Majestatis ejus declaratâ voluntate ædificandi Collegij aut Domûs nomine Societatis nostræ. Etenim hoc ipsum calcar currenti, quod ajunt, addet; urgebitque ad tantò instantiùs corripiendas incepti moras. Etiam hoc quod scio vobis indico non fruſtrà; sic certò habete, quas tali argumento huc dabitis literas, per multas iturras manus, multorum oculis legendas. de Francisco Mansillâ narro vobis; planè expertem eum esse Sacrorum Ordinum. Est in Indiâ Episcopus, quem confidimus in Domino non gravatum iri bonum hunc virum initiare; utcumque magis illum quidem zelo, bonitate, simplicitate, quàm multis literis instructum: ac nisi Dom. Paulus partem suæ multæ Doctrinæ illi communicet, valde vereor, ni Deus adjuverit, ut examini Sacrorum Ordinum Collationem de more præcessuro, par sustinendo reperiatur. quod si accideret, rationes conturbaret nostras. Cuperet is in omnem eventum talis casûs, impetrari sibi à vobis Româ literas quibus ei exquisitioris à Doctrinâ ad Ordines sacros apparatûs gratia fieret;

fieret ; & susceptio *extra tempora* trium majorum Ordinum totidem festis diebus concederetur, *ad titulum voluntariæ paupertatis & sufficientissimæ simplicitatis*. Ad quod impetrandum verè allegari potest, suppleri in eo multâ bonitate, & sanctâ simplicitate, defectum uberioris literaturæ. nimirùm si tantum fuisset versatus cum Bobadillâ, quantum cum Cacerezio familiaris usûs habuit, traxisset, ut fit, fortè aliquid, intimi convictûs affrictu, quò magis eruditionem prioris, quàm posterioris ruditatem saperet: nec conflictaremur hisce difficultatibus, ipso scilicet tunc eructaturo scientiam, inter decurrendum plenis velis æquor Scripturarum. Porrò tàm hic quàm D. Paulus communiter optarent impetrare isthic à gratiâ Sanctissimi Domini, vt quoties ad aram facient, possint animam unam Purgatorio eruere. Missæ Sacrificia quæ jam obtulimus pro Cardinali Guidiccionio sunt omninò ducenta & quinquaginta, ex quo Româ discessimus, usque ad hunc diem. Faciet per suam gratiam Deus Dominus Noster ut reliqua in Indiâ persolvamus. Equidem dum mente recolens reputo, quanto semper hactenus fructu gustuque mei animi pro illo Reveren-

dissimo Ecclesiæ Patre sacrificaverim, allio
me sentio ad eundem Deo Domino Nostr
apud Sacrum Altare commendandum, quo
ties per totam deinceps vitam rei divin
operari mihi contigerit. Plurimùm cupi
mus scire, ecquid, quando jam confirmata
Regula Nostra est, illi quibus tantum amo
ris mutui debere nos profitebamur, ob egre
giam benevolentiam quâ res nostras ultrò
prosequebantur, promovendo illas ope om
ni studioque; an, inquam, isti vel jam in
Societatem dederint nomen, vel in eo sint,
ut quamprimùm dent. Suspicor in ijs esse
aliquos qui pacem animi reperire cuperent,
citrà susceptionem vitæ hujus nostræ humi
lis & ærumnosæ: qui tamen an inventuri sint
nescio: & fieri poterit ut quod ubi libet
quærunt, in eo tantum quem reformidant,
loco reperturi denique sint, si quando con
silium expedierint in eum se recipiendi.
Hæc à me dicta non ad solum Franciscum
Zapatam pertinent; haud enim excludum
velim Dom. Licentiatum, quem equidem
autumo non multâ frui quiete tranquillæ
mentis in terendis, ut facit, liminibus ma
gnarum Domuum. Quod spectat Dom. Do
ctorem Medicum Ignatium Lopez is mihi
planè

planè videtur conturbaturus rationes famæ ſuæ, & quaſi foro ceſſurus, ſi priùs abeat quàm percuraverit languentem ſtomachum Patris Ignatij, & cachexiam Bobadillæ. de Didaco Zappatâ *& ei ſimilibus* non habeo quod dicam: niſi veriſimiliter fore, ut Mundus eos inutiles ſibi deprehenſos abijciat, ſatis deinde laboraturos in reperiendo qui eos velit. Neſcio quid ſit, quod ex quo Rex ſtatuit quoſdam è nobis hîc hærere, alios proficiſci, abigere ex animo non poſſum occurſantem injuſſu ſpeciem Cariſſimi Fratris noſtri Antonij Araozij, ſuggerente ſibi præſagâ mente venturum illum ad nos ad Indias cum ſex ſaltem Clericis, & cætero idoneo comitatu, qui etſi non conſtet ex eruditiſſimis, modò homines habeat benè animatos ad impendendum quantum ipſis vitæ ſupereſt in Dei Domini Noſtri obſequium, prætereaque alienos ab omni ſpecie avaritiæ, ſperamus adventum eorum non parùm utilem futurum. Ac quamquam nullos tales hoc anno (hoc eſt Martio conſequentis) mitteretis; ſed evoluto duntaxat inde biennio, quando jam noſtras ex Indiâ literas accepiſſe poſſueritis, nihil magni eſſet incommodi: dummodo indicato tempore id quod

dixi subsidium non deesset certi numeri bonorum Operariorum à vobis huc destinatorum. Rem totam Sapientiæ vestræ permittimus. magnoperè tamen optantes, ut in deliberatione tali, præ oculis id habeatis quod vobis pro certissimo confirmo; planè mihi persuasum esse, laborum in Indiâ nostrorum non exiguum fructum extiturum, neque hoc putetis esse merum augurium sibi faventis animi: sic enim constans affirmatio versatorum illic multis annis prudentium hominum sperare nos omninò jubet. Quid in re præsenti deprehenderimus scietis ex nostris literis, diligenter ac copiosè declaraturis ex oculatâ notitiâ verum statum locorum ac gentium illarum, quantum ad negotium salutis animarum & Christi regni propagandi spes ac facultates pertinet. Prout nunc augurabamur, magni per omnia momenti ad successum nostrorum ejus generis conatuum erit eminens in nos & nullis non officijs palàm ostensus Proregis favor, propter summam autoritatem quam ei apud Reges ac Dynastas illorum tractuum Lusitanici Regis socios, & propria illic olim nota virtus, & nova Dignitas amplissimi & Regem repræsentantis magistratus conciliatura meritò

ritò creditur. Si vobis viderentur Gratiæ quædam ſpirituales ex ijs quæ impetrari à Summo Pontifice queunt, nobis profuturæ ad efficaciam noſtris illic miniſterijs addendam, agite prout veſtra vobis caritas & ſapientia ſuaſerit. certè illam cuperemus obtineri; & ad nos ritè conſignato diplomate primâ quaque occaſione tranſmitti facultatem, quâ noſtræ Societatis hominibus in Indijs degentibus per ſupremum Eccleſiæ Paſtorem liceat, accipere Sacros Ordines *extra tempora* ſine patrimonio aut beneficio, titulo promiſſæ Deo voluntariæ paupertatis; etiam relaxato, ubi opus fuerit, canonico impedimento illegitimorum natalium. Ad extremum oramus, ut quando ad nos in Indias ſcribetis, id nequaquam perfunctoriè breviterve faciatis. omninò volumus doceri nominatim à vobis de omnibus & ſingulis Noſtrorum, quid agant, valeant, cogitent, quam ſui ſpem, quem fructum edant. neque id grave videri debet cum ſemel duntaxat quovis anno dandarum ad nos literarum reditura vobis opportunitas ſit. Planè facite ut veſtræ iſthinc Epiſtolæ in octo nobis ſolidorum dierum lectionem abundent. Sic viciſſim pollicemur nos quoque facturos.

Vale-

Valete. Vlyssipone xv. Kal. Aprileſ Anno CIↃIↃXLI.

Nomine Cunctorum hîc vobis Cariſſimorum Fratrum

*Franciſcus de Xavier.*

## EPISTOLA IX.

Franciſco Manſillæ in Commorinum eunti.

*Gratia & Amor Domini Noſtri* IESV *Chriſti adſit nobis ſemper auxilio & favore. Amen.*

CAriſſime Frater: multùm cupio ſcire quid agatis. quare oro te, per amorem IESV Chriſti, doce me accurati otioſè ſcriptis literis, de omnibus quæ te, quæ ſocios iſthic tuos quoquo modo ſpectant. quando pervenero Manaparem, diſces ſtatim meis inde ad Te literis. Fac memineris mandatorum, quæ perſcripta dedi tibi à me digredienti, & Deum ora ut multâ te corroboret patientiâ, neceſſariâ in primis ad tractan-

ctandum cum istâ gente. Sic tecum reputa, quasi Purgatorium isthic tuum sit, in quo jam hinc noxarum tuarum pœnas luas. & agnosce non vulgare Dei beneficium, indulgentis tibi, ut vivens spiransque summo gratiæ quæstu, ærumnâ multò minore, peccata juventutis expies. Dices Ioanni de Artiaga: significasse mihi per literas Præfectum, se ipsi numerasse decem Pardaos imputandos rationibus meis: rescripsisse autem me Præfecto: nec vos, nec Ioannem Artiagam, nec me, pecuniâ egêre ante ejus ex orâ Piscariæ adventum: ideoque meo jussu Artiagam, istos ei nummos redditurum. quod eum à me jube facere. nisi fortè summa ista non donatur, sed solvitur, ad nostrum aliunde jus pertinens; cujus suspicandi causam habeo nonnullam. Subaudivi enim, Prætorem, qui nobis Regis jussu ad victum & usum cæterum necessaria suppeditat, curasse istuc Præfecto Syngraphum Collybisticam decem Pardaorum, unde nobis emeret Interpretem. Fieri posset ut Is, quoniam emptionis fortè istius nec facultas præsens, nec propinqua spes opportunitatis appareret, ne in manu suâ consenescerent alienares, redhibere illis cuja sciebat esse, matu-

rave-

raverit. si hoc ita est, retineatur sanè; sin aliter se res habet, suum utique argentum Præfecto renumeretur. Idque sine morâ exequi Artiagam volo. Vobis tantum Cœlestis gratiæ ad inserviendum Deo, quantum ipsi mihi opto ac precor. Valete. Punicali IX.Kal. Martias An.CIↃIↃXLIV.

Non scribo Ioanni Artiagæ quoniam hæc una tibi & illi communis isthuc destinatur Epistola.

Vester Amantissimus Frater

*Franciscus.*

## EPISTOLA X.

### EIDEM.

CAriſſime in Chriſto Frater: Multum me recrearunt tuæ literæ. Etiam atque etiam oro te: ſic agas cum iſtâ hominum fæce, ut boni Patres ſolent, cum malis Filijs. ne animo frangaris quantumvis multa ſint quæ vides ab ijs pravè ac ſceleratè fieri. nam Deus ipſe quem tam graviter offen-

offendunt, non eos tamen interficit, quod uno potest nutu: non ijs desinit ad victum & cultum suppeditare necessaria, quæ nisi manum ipsis ultrò suam ille liberalem aperiret, utique deficerent, & inopia miseri, uti sunt digni, tabescerent. Hoc exemplo ad æquitatem & tu animi te componas velim; angore supervacaneo excusso. Plus sunt frugiferi quàm putas labores isthic tui: & quamquam non tantùm proficis quantum cuperes; navas tamen, mihi crede, satis operam, ut ejus te pœnitere neutiquam debeat. Denique in qualicumque successu certa illa tibi consolatio est, per Te non stetisse; nec culpæ imputandum tuæ quod secus evenerit. Cæterùm quia frangendæ duritiei cervicum indomitarum subjectæ Regi Gentis, rectè adhiberi vim regiam, probata exempla & bona ratio suadent, mitto ad vos impetratum à Prætore Apparitorem, cui mandavi ut à singulis mulieribus quæ potione dementante, Orrachâ isthic dictâ, contrà quàm edicta sanciunt publica, se adhuc ingurgitant, mulctæ nomine duos denarios argenti, hoc est unum nummum quem vocant *Fanam*, exigat. prætereaque talis intemperantiæ compertas in triduum custodiæ man-

mancipet. Id inexorabiliter omninò deinceps exequendum, per omnes pagos & cuncta isthic conventicula curabis clarè promulgari: ne ictæ damno ebrioſæ mulierculæ poſtea ignorantiam cauſentur. Patangatibus quoque, ſive Magiſtris Vicorum, diſertè denunciabis, ſi ex hoc deinceps tempore Punicali Orracha potetur, ipſos id mihi ſuo gravi damno luituros. Matthæum hortaberis ut ſe bonum mihi Filium præſtet; certum, ſi ita fecerit, à me ipſi longè plus bonorum ac commodorum tribuendum, quàm expectare umquam poſſet à Parentibus proprijs. Interim dum diſtineor ne iſthuc perveniam quò propero, fac ſeriò Patangates iſtos moneas: emendent, ſi ſapiunt, maturè pravos ſuos mores; alioqui quoſcumque inſamiliaribus vitijs hærere, iſthuc appellens deprehenderim, deliberatum mihi eſſe, pro poteſtate à Prætore acceptâ, vinctos Cocinum abduci jubere. nec ſibi blandiantur tanquam citò defuncturi brevi pœnâ. Ex animi quippe mei certâ ſententiâ pronuncio, daturum me operam, ne unquam Punicalem redire ſinantur: Compertum enim ſatis eſt, flagitiorum ac ſcelerum quæ iſthic perpetrantur plurima, omnium penes unos ipſos culpam

invi-

invidiamque residere. Diligentissimè curabis ut parvulos qui nascentur, sacro quam primùm baptismo impertias. Egressos autem infantiam, & institutionis utcumque capaces, maturè occupes Christianæ Doctrinæ rudimentis imbuere; prout tibi tam impensè commendatum à me scis. Singulis præterea Dominicis Catechesim consuetâ formulâ ad congregatos unum in cœtum omnis sexûs & ætatis simul homines habebis, inculcandis orationibus, & virtutum actibus doceri à me solitis, ut nosti; adjungendáque insuper utilis ad mores formandos argumenti conciunculâ. Omni ope prohibe invigilans, scrutandis etiam latibulis officinarum, ne quis Pagodes sculpat aut fabricet. Quam Epistolam mihi inscriptam audio isthuc missam ab Alvaro Fogazâ, eam ne huc mittito, sed isthic in meum adventum serva. Deus Dominus Noster tantâ vos in hac & futurâ vitâ consolatione cumulet, quantam ipsi quoque precor mihi. Vale. Manapare pridie Idus Martij Anno CIↃIↃXLIV.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

EPI-

## EPISTOLA XI.

## EIDEM.

CAriſſime in Chriſto Frater: cum incredibili gaudio & fructu animi mei cognovi ex tuis literis, vivere te iſthic lætiſſimum, & miris è Cœlo delicijs perfundi. Quandoquidem, prout experiris, Deus tui recordatur, fac ejus viciſſim tu quoque memineris. Cave tædium te ſubeat quamvis ingrati laboris, aut faſtidio debilitatus remittas acrem & invictam perſeverantiam in benè ceptis. Tene ſemper demiſſum ante Deum animum in dulci ſenſu perpetuæ grátiarum actionis, quòd elegerit te in officium tam ſublime quàm iſtud eſt in quo verſaris. Habes Chartam mandatorum tibi à me traditorum: nihil addo, nihil commendo ampliùs. Vive memor mei, nunquam non viciſſim cogitantis de te. Dic Matthæo: bonum ſe Filium præſtet, experturus me pariter bonum Patrem. attentè invigilo in omnes occaſiones ejus juvandi. Addes: jubere me, vt Dominicis diebus, quando reddet in cœtu Catecheſim audientium, quæ vos

eum

cum Domi docueritis, adeò voce contendat, ut non solùm tota concio exaudiat, sed ad nos quoque qui Manapare sumus pertingat sonus. Fac me certiorem de Christianis Tutucurinensibus quo statu sint; & ecqnid eos vexent Lusitani qui illic hæserunt. tum de Prætore quid feratur; an is hyematurus Cocini sit. Hìc exerere se incipit res magna, ingentem pollicens Deo Domino Nostro splendidè inserviendi facultatem. Insta precibus apud eundem Dominum Deum, ut dignetur fortunare spes ostensas, maturaréque ceptum in opportunitatis optatæ successum. Oro te ut erga istam Gentem universam, tam Primarios & nobiles, quàm plebem infimam, præcipui semper amoris indicia exhibeas. inde sine dubio sequetur ut omnes te vicissim ament: quod si eris assecutus, pronior erit cursus uberiorque fructus ministeriorum quibus eos ad Domini Dei Nostri perducere notitiam & cultum satagis. Assuesce tolerare cum multâ patientiâ infirmitates eorum & ex fragilitate lapsus, tecum, clementer sperando, reputans, Bonos eos, etsi adhuc non sint, tamen aliquando evasuros. Quod si non planè profectum eorum perducis quò destinaveris, tamen haud te pœniteat conatûs,

satis accipientem quantulum illud ipsum quod extundere potuisti. Ego quidem sic me consolor in similibus ærumnis. Dominus Deus sit semper tecum, & det nobis suam gratiam, ut semper ipsi serviamus. Vale. Manapare XIII. Kal. Aprilis Anno CIↃIↃXLIV.

Tuus in Christo Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA XII.

### EIDEM.

CAriſſime in Chriſto Frater. Nullis satis exprimere tibi verbis possem quanto urgear desiderio ad vos in istam Oram eundi. Confirmo tibi ut rem veriſſimam, si hoc ipso die contingeret copia navis isthuc solventis, me continuò profecturum. Nunc venerunt ad me tres nobiles ex comitatu Regis Travancoris, conquerentes de Lusitano quodam, quem ajunt prehendisse Paranai mancipium istius Principis Iniquitribirimi, ac vinctum perduxisse Punicalem, audirique

ab

ab eo jactatum, à se transferendum Tutucurinum. Cum cognoveris quid in re sit; scribe, quæso te, ad Præfectum eâ de re. Et si quidem illic reperiatur ille Lusitanus, quicunque demùm sit, omni efficaciâ da operam ut captivus statim liberetur. Quod si aliquid Lusitano debet, deferatur querela ad ejus Principem, statuturum utique quod æquum erit, & jus suum, prout solet, nostris servaturum. Serò quidem hoc consulitur. nam eâ viâ gradiendum ab initio fuerat. nec subditus Regis Socij, eo inconsulto, ex loco ditionis ejus debuerat corripi. Sic præposterè fortes, Hostibus parcimus; Amicos deprædamur. Præcludit hæc injuria mihi aditum ad Regem alioqui benevolum. quâ enim sapientiâ os objcerem indignationi Aulæ frementis recenti sensu contumeliæ tam gravis? Ignosco iræ illorum justâ utique causâ exardescenti. quàm enim est intolerabile agi ferrique ab ijs qui Socij vocantur famulos Regis Amici in ipsâ ejus terrâ, ipsius assensu nec expectato nec petito: id quod ne tempore quidem Pularum penè tyrannicè ibi olim dominantium, fuisse attentatum fando unquam sit auditum? Equidem quid consilij capiam nescio; ita mihi

rationes agendi ac cavendi conturbat omn
inconsultissima audacis hominis eruptio. Im
petus me capit hinc evolandi. quid enim am
pliùs tempus terimus, inter homines secu
rissimos justi respectûs omnis; nec pen
quidquam habere solitos, quo Religionis. qu
Reipublicæ damno cupiditatibus obsequant
suis? præsertim quorum temeritas impun
tate alitur. Cui enim est obscurum, si c
stigati, ut meruerant, nuper fuissent qui
illo Myoparone furtum impudentissimum f
cerunt, Lusitanos in ausa nunc similia non
fuisse prorupturos? Vix aberit quin irritatu
insultu tam procaci Travancoris Rex sinist
aliquid in Christianos sibi subditos consulat.
Scribas velim Præfecto, quàm mihi molestum
acciderit istud in mancipio Regis Travanco
ris perpetratum plagium, ob damna qua
inde imminent maxima, præter cæteram
invidiam facinoris improbi. Ego penè de
crevi nunquam ampliùs de talibus scribere;
quoniam isti facere quod lubet volunt, audi
re quod displicet non sustinent: quasi faciat
illis injuriam qui ausit hiscere, dum ipsi jura
omnia pervertunt. Si certò rescieris istum
hominem à Lusitano captum, esse Tutucuri
ni, per quantum Deo gratificari studes, oro,

raptim

raptim te ad Præfectum confer, & efficaciſſimè cum eo age, ut vinctus ſtatim ſolvatur. Luſitanus autem qui eum dederat in vincula, veniat huc expoſitum quid petat, aut quid queratur. habebitur enim ratio juris ejus quantum erit opus ut plenè illi ſatisfiat. Probarent-ne Luſitani, ſi quid Indus aliquis cum quopiam ipſorum controverſiæ haberet, rapi ab eo vi ac manu è terrâ noſtræ ditionis Luſitanum, & vinctum in Continentem abduci? minimè profectò. ita & Indi quoque animati ſunt. cur igitur illis facimus quod nobis fieri nollemus? aut miramur ſi pariter uti nos, indignantur læſi. ſi juſtitiam negarent, eſſet veniâ dignior graſſatio. nunc cum præ ſe ferant fide optimâ jus dicturos, cum leges Societatis exactè ſervent, & pace ac æquitate quantam optamus commercium nobiſcum exerceant, quid plauſibilis excuſationis allegamus? aut quo ſatis ſpecioſo fuco fœdifragæ infidelitatis turpiſſimam maculam obducimus? Quod ſi obſtaculum iſthic ineluctabile teneret, ne proficiſci ſtatim poſſes, mitte Paulum Vazium cum tuis literis ad Præfectum. Iterùm tibi affirmo: plus me conturbatum eo nuncio, quàm tibi ſignificare ſcribendo poſſum. Det utinam nobis

Deus Dominus Noſter tantum robur anim
quanto eſt opus ad inconſultas iſtiuſmodi te
meritates quâ decet patientiâ ferendas. Lice
idoneis autoribus quæ dicta ſunt comperi
tamen quæſo te ne graveris diligenter per
ſcribere de toto negotio quid iſthic perſpe
xeris. Verène mancipium Regis Travanco
ris Luſitanus in ejus terris ceperit. ſi fecit,
quam facti cauſam alleget; præterea ecquid,
ut dicitur, tracturus ſit Tutucurinum &
quamobrem. cupio aliquid audire, unde
minui ſaltem atrocitas illaudati facinoris
queat, & famæ convicium coargui. Sin ni
hil eſt invidiæ levandæ; & verè ita res con
tigit ut narratur paſſim, omittendum mihi
ſcilicet propoſitum erit adeundi Regis, apud
quem eram tractaturus quædam è re obſequij
divini. Scis quàm efferetur ſita gens rapti
bus mancipiorum; præſertim in loco ditio
nis eorum, attentatis. non eſt dubium quin
omnes illic ultionem fremant; Luſitanamque
Gentem ac Chriſtianum nomen contumelijs
proſcindant. Huic invidiæ me objcere con
ſultum non ſit. Quare aliò cogitandum erit,
& expediendus tandem impetus in conſilium
quod dudùm mihi pellaci ſpecie blanditur,
omiſsâ Indiâ, vbi tot obſtacula promulgationi

Reli-

Religionis Christi, unde minimè oportuerat objectantur, transferendi me in Æthiopiam, quò spes magna & verisimilis vocat Dei Domini Nostri gloriæ insigniter promovendæ, promulgando illic Evangelio; vbi non erunt Europæi qui nobis obsistant evertendo quantum struimus. non te celo, me tam vehementer illuc impelli, ut non sit inverisimile, me hîc Manapare brevi conscensurum naviculam ex ijs quas *tonos* vocant, qualium adest copia, quâ me sine morâ Goæ reddam, ibi quæ opus sunt ad profectionem in terras Præstejannis paraturus. Deus nos suo auxilio & gratiâ dignetur. Amen. Manapare XI. Kal. Aprilis CIↃIↃXLIV.

Tuus Frater in Christo amantissimus

*Franciscus.*

# S. FRANCISCI XAVERII E SOCIETATIS IESV INDIARVM APOSTOLI NOVARVM EPISTOLARVM. LIBER II.

## *EPISTOLA PRIMA.*

*Catechistis è Societate* IESV *per Indias.*

ELEMENTORVM Doctrinæ Christianæ rudibus hisce populis tradendorum viam ac methodum usu & successu mihi probatam proponam hîc vobis, Fratres Carissimi, sperans fore, si tenueritis, ut ex eâ non pœnitendum Dei ac Domini Nostri gloriæ, salutisque Animarum fructum referatis.

Con-

Congregato Populo, qui accedit ad Catecheſim explicandam, facto ipſe Crucis ſigno, capite aperto & ſublatis manibus, præeat duobus Pueris ad id paratis in pronunciandâ, voce clarâ & latè intelligibili, Oratione Dominicâ; priùs proferente verba ſingula Catechiſtâ, Pueris ſtatim ſequentibus.

Poſt hoc dicat univerſo cœtui: nunc Fratres mei profiteamur fidem noſtram, & exerceamus tres actus præcipuos trium Virtutum præſtantiſſimarum, quæ vocantur Theologicæ. ſunt eæ Fides, Spes, & Caritas.

Tum à Fide ſic incipiat, interrogans adſtantes: Creditis omnes in unum Deum verum, Omnipotentem, æternum, immenſum, infinitè ſapientem? Reſpondeant univerſi: etiam Pater, per Dei gratiam credimus. Reponat Catechiſta. Nunc ergò dicite mecum pariter cuncti: Domine IESV Chriſte Fili Dei vivi, da nobis gratiam ut firmiſſimè credamus hunc articulum noſtræ ſanctæ Fidei: addamus ad hoc impetrandum *Pater Noſter*, quam totam orationem ſinguli ſecretò recitabunt. Sub hoc tollat vocem iterum Magiſter, agite, dicens, hæc mecum

pro-

pronunciate. Sancta Maria Virgo Mater Dei, impetra nobis à Deo gratiam credendi firmissimè hunc articulum nostræ sanctæ Fidei, & ut hoc ab eâ exoremus, recitemus illi omnes voce summissâ salutationem Angelicam. Post hanc à cunctis secretò dictam, incipiat denuò Magister. Creditis Fratres istum Deum verum esse unum unicum solum Deum in essentiâ & Trinum in Personis, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum? Respondeant omnes. utique Pater per Dei gratiam sic credimus. consequenter duæ orationes modo supra expresso, cum *Pater* & *Ave* secretò à singulis suo stantibus loco recitandæ. Tunc fiat. hæc altera interrogatio. Creditis Fratres mei istum eundem Deum esse creatorem omnium rerum, Salvatorem & glorificatorem nostrum? dicant omnes; omnino Pater, per Dei gratiam, sic credimus. Fient inde duæ petitiones ut priùs, cum *Pater* & *Ave*. Hâc formâ percurrentur & reliqui articuli; præsertim qui ad Christi Domini Nostri humanitatem spectant: percontando in hunc modum: Creditis Fratres secundam Personam Sanctissimæ Trinitatis, Filium Dei Vnigenitum, fuisse conceptum de Spiritu Sancto, incarnatum

in

in viscéribus purissimæ Virginis Mariæ, & natum ex eadem Dominâ Nostrâ semper-Virgine? Respondebunt, utique, Pater, hoc per Dei gratiam credimus. Tunc fient duæ petitiones, additis, *Pater* & *Ave*, more superiùs informato. Perget Catechista: Creditis Fratres, hunc eundem Filium Dei factum hominem fuisse Crucifixum, mortuum, & sepultum, descendisse ad inferos, & inde liberasse Animas Sanctorum Patrum, quæ ibi erant expectantes ejus sanctum adventum? dicant: Ita per Dei gratiam credimus, & petitiones statim consuetas adjungant. Tum Magister: Creditis, dicet, hunc ipsum Dominum Nostrum, resurrexisse die tertiâ, postea ascendisse in Cœlum, illic sedere ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, unde venturus est, judicare vivos & mortuos; exquirendo & pro meritis remunerando aut puniendo bona & mala quæ illi fecerint? Respondebunt: planè ita per Dei gratiam credimus. Adjungentur petitiones solitæ cum *Pater* & *Ave*. Sub hæc Catechista: Creditis ne esse Infernum, hoc est, rogum æternum, quo sine fine cruciabuntur qui mortui fuerint exortes gratiæ Dei; esse etiam Paradisum & Gloriam æternam quâ fruentur

boni

Boni qui vitam expleverint in Dei gratia: esse denique Purgatorium in quo Animæ ad certum tempus satisfaciunt Divinæ Iustitiæ luendo pœnas suorum peccatorum, quorum etsi culpam in vitâ deleverint, pœnam tamen ijs debitam non plenè exolverunt? Addet: Creditis septem Sacramenta, universam Doctrinam Sanctorum Evangeliorum, & quidquid præterea credit & profitetur Sancta Ecclesia Romana? dicent: cuncta ista per Dei gratiam credimus. mox facient petitiones duas cum totidem *Pater* & *Ave*. Dicet hîc Magister: hæc septies recitata *Pater* & *Ave* offeramus Spiritui Sancto, ut locupletare nostras animas dignetur suis septem donis, præsertim ijs quæ nos adjuvare possunt ad firmissimè credenda cuncta quæ Fides Sancta Catholica nos docet. Dicat post hoc Magister: fecimus hactenus, Fratres mei, professionem nostræ Sanctæ Fidei. restat ut consequenter exerceamus Actus duarum, de quibus initio diximus, Virtutum aliarum Spei & Caritatis. Agite ergò, dicite mecum: Christe IESV Deus & Domine mi, fretus ego tuâ Divinâ Misericordiâ, spero per tua merita fore, ut motus & adjutus tuâ gratiâ, cooperando cum operibus Christianis, & obser-

obſervando tua mandata, perveniam aliquando ad gloriam & felicitatem ad quam me creaſti. Amo te Deus mi, ſuper omnia ex toto corde meo. Pœnitet me offendiſſe te, cum ſis qualis es, omni laude, veneratione, obſequio digniſſimus, propter ſummum amorem quem tibi debeo, & quia te longè pluris quàm quidvis quantumlibet magnum æſtimo, firmiſſimè ſtatuo nunquam me acturum quod offendere poſſit tuam Divinam Voluntatem, & me conijciat in periculum excidendi à tuâ ſanctâ gratiâ. Amen.

Hoc quaſi præludium ſemper eſto Scholarum Catecheticarum; poſt quod aggrediatur Catechiſta declarationem peculiarem alicuius dogmatis noſtræ Sanctæ Fidei, Sacramenti aut Virtutis, ſive Orationis, vel cujuſpiam earum rerum quas noſſe Chriſtianum expedit; ſermone perpetuo, ſed plano, & ad rudium captum accommodato, explicans quod docet. atque in fine quod docuit confirmans narratione alicuius exempli, argumento tractato congruentis. Sub hæc præeat formulam Confeſſionis Generalis, reddentibus verba Parvulis; monitis cunctis ut interim conentur elicere ex intimo

mo animi actum veræ contritionis, sive doloris de peccatis concepti ex syncero amore Dei offensi. Ad extremum jubeat universos recitare tria *Ave Maria*; Primum pro Præsentibus; reliqua duo pro alijs ad arbitrium.

## EPISTOLA II.

*Animabus Salutis Æternæ cupidis vitæ Christianè ac Sanctè transigendæ formulam tradens.*

CHristianus qui ultra inanem nuncupationem verbi, talem se præstare solidis officijs satagit, manè cum primùm evigilat, arrigat animum ad tria quædam agenda, Deo in primis & debita & grata, Primum est Confessio & adoratio Sanctissimæ Trinitatis, Dei unius in naturâ, in Personis Trini. Character est Christianismi, agnitio & veneratio Trium Divinarum Personarum in unâ Essentiâ. cuius quidem officio professionis Signi Crucis expressione cum mentione Patris & Filij & Spiritûs Sancti, prout suos Filios docet Ecclesia, defungimur: Si tamen & manus motum & sonum

num linguæ congruâ devotæ mentis attentione comitamur. Consigna ergò statim ac expergiscéris frontem & pectus, solemni simul prolatâ Invocatione Trinitatis, profundâ demissione Religiosi Animi, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unum æternum, Omnipotentem summè bonum adorans Deum. Alterum ab hoc est trium Theologicarum virtutum exercitium, quo velut primitias diurnarum actionum consecrare Creatori, & ejus maturè conciliare tam ad omnia necessarium favorem decet. Recita igitur Fidei Symbolum singulos Articulos animo exprimens, & adhæsione firmissimâ cuncta complectens Divinæ naturæ ac personarum, Incarnationis, Vitæ, Mortis, Resurrectionis Christi, Ecclesiæ quoque sanctæ, ac reliqua ibi exposita dogmata: inter pronunciandum hæc mente versans: Persuasissimum habeo quæ de Te, Deus meus une ac Trine, quæque de Filio Patris æterni pro me homine facto, pro me passo, mortuo, revivíscente, cum Patre & Spiritu Sancto in Cœlis regnante, & quidquid aliud Sancta Catholica Apostolica Romana docet ac profitetur Ecclesia; paratus omnem jacturam, omnem vim perpeti, sanguinem quin etiam ac vitam

tam priùs profundere, quàm extorqueri mihi fidem illam ſinam, aut de ullâ ejus parte dubium unquam vel minimum admittam. In hac confeſſione certiſſimum mihi eſt vivere & mori. quod ſi cum ad ſupremam horam venerim fari non potero, jam hinc pro eo tempore conceptis verbis ex animi mei ſententiâ Te IESVM Dominum Dei Filium agnoſco, in Te credo, Tibi omnes meos ſenſus demiſſiſſimè ſubijcio. Amen. A Te quoque, mi Redemptor Chriſte IESV, & à tuâ Divinâ Miſericordiâ ſpero, fore ut per tua merita, adjutus auxilijs tuæ gratiæ, cooperando bonis operibus, & ſanctæ tuæ Legis præcepta exequendo, perveniam aliquando ad gloriam & felicitatem ad quam me creare ac vocare dignatus es. Amen. Te præterea, mi Deus amo ſuper omnia, & ex toto corde odi ac deteſtor peccata quibus te offendi, quia tibi diſplicent ſummè bono, & amabili; cui ut incomparabilem debere me fateor, & exhibere conor, caritatem, ita te longè ſupra omnium ſpecioſarum & præſtantium rerum pretium æſtimo: firmiſſiméque & irrevocabiliter ſtatuo nunquam me conſenſurum in offenſam tui, aut quidquam quomodolibet acturum,

quod

quod tuæ ſupremæ minùs probatum bonitati, me coniiciat in periculum excidendi à tuâ ſanctâ gratiâ, in quâ perſeverare ad extremum uſque ſpiritum deliberatiſſimum mihi eſt. Amen. Tertiò ad ritè initiandum diei ac vigiliæ principium, petendum à Deo Domino Noſtro eſt auxilium ſuæ gratiæ ad exactè obſervanda decem mandata ſanctiſſimæ Legis ſuæ. quandoquidem ſalutem æternam nemo aſſequi poteſt niſi per eorum obſervationem. Recitet ergò diſtinctè præcepta Decalogi: & poſt ea pedetentim & attentè pronunciata, ſubjungat hæc verba. Dicit Deus Dominus Noſter, eos qui obſervabunt & opere implebunt iſta decem mandata, ituros in Paradiſum, ubi ſummâ felicitate æternùm perfruantur. Dicit Deus Dominus Noſter, eos qui non obſervabunt & opere implebunt iſta decem mandata, ituros in Infernum, ubi ſempiternis cruciatibus torquebuntur.

Addat Orationes has duas ad impetrandam obſervationem Mandatorum Dei.

Oro te & obſecro Domine mi IESV Chriſte, da mihi gratiam hodiè & toto tempore vitæ meæ perfectè obſervandi hæc decem Præcepta,

Oro & obsecro te Domina mea Sancta Maria, intercede pro me apud tuum Benedictum Filium IESVM Christum, & impetra ab eo ut mihi det hodiè & toto tempore vitæ meæ gratiam perfectè observandi hæc decem Mandata. Amen.

Pronunciet postea cum devotâ cordis attentione hanc orationem ad Deum Dominum Nostrum.

Deus meus Omnipotens, Pater animæ meæ, Creator universorum quæ in mundo sunt: in Te Deus & Domine, in quo totum meum bonum situm est, certissimam fiduciam colloco; & sine ullâ dubitatione spero, me salutem æternam consecuturum à tuâ gratiâ per merita infinita mortis & Passionis Domini mei IESV Christi, quantumvis peccata quæ commisi à tenerâ ætate meâ usque ad hunc diem, valde magna & multa sint. Tu Domine creasti me, & dedisti mihi corpus & animam, & quantum habeo. Tu solus & non alius plasmasti me ad imaginem & similitudinem tuam. Reddo tibi, mi Deus, gratias & laudes infinitas, præsertim quòd tribuisti notitiam Fidei ac Legis veræ Filij tui IESV Christi. Appende in statera, Domine, peccata mea cum meritis mortis & Passionis

sionis Domini mei IESV Christi, & non cum exilibus aut nullis meritis meis; & sic liber ero à potestate Inimici, & ibo fruiturus in æternum gloriâ Paradisi. Amen.

*Oratio ad Sanctissimam Dominam Nostram.*

O Domina Sancta Maria Spes Christianorum, & Regina Angelorum Sanctorumque ac Sanctarum qui cum Deo sunt in Cœlis. Tibi Domina & omnibus Sanctis me commendo jam nunc pro horâ mortis meæ, ut me præserves à Mundo, Carne & Dæmonio, qui sunt inimici mei insidiantes Animæ meæ, perditè optantes ac omni ratione satagentes eam in Infernum detrudere. Quod Tu Mater benignissima, oro atque obsecro, prohibe. Amen.

*Oratio ad S. Michaëlem Archangelum.*

O Mi optime Patrone Sancte Michaël Archangele, defende me à Dæmonio in horâ mortis meæ; quando stabo ad tribunal, reddens rationem Deo Domino universæ vitæ meæ. Amen.

*Oratio ad S.Angelum Custodem.*

POst consuetam illam formulam Angele Dei qui custos es mei, &c. Addet

Obsecro te, Angele Sancte ac Beate cujus curæ ac providentiæ commendatus sum, ut mihi semper præsens adsis ad opportunum auxilium. Perfer preces meas in conspectum Dei Nostri Domini, & insinua pijs ejus auribus, ut per suam Misericordiam & tuam interceſſionem, concedat mihi veniam peccatorum præteritorum, veram nolitiam & contritionem præsentium, efficacem denique præcautionem ad ea vitanda quæ in posterum fragilitati meæ minantur. det præterea mihi gratiam benè operandi & sic usque in finem perseverandi. Procul abige à me, per virtutem Dei Omnipotentis, omnem tentationem Satanæ. ac quod ego promereri meis operibus nequeo, impetra mihi per gratiosas tuas apud communem Dominum preces, ut in me non habeat locum ulla mistura noxæ, aut malitiæ fermentum. Et si quando me videas aberrantem à rectâ viâ & declinantem in diverticula peccatorum, age omni modo ut reducas me ad

Salva-

Salvatorem meum per vias justitiæ quærendum. ubi verò incidisse me in tribulationem & angustias perspexeris, adhibe per benevolam caritatem tuam, dulcia tua officia cum Deo, ut inde mihi maturè procures necessarium auxilium. nunquam, quæso te, me deseras: at semper protegas, visites, adjuves, defendas, ab omni vexatione & oppugnatione malorum dæmonum, invigilando die ac nocte, cunctis horis & momentis: & dirigens quò me vis ire, simul comitare & custodi. Præcipuè ante omnia te, ductor & custos mi sanctè, etiam atque etiam oro & obsecro, intendas vires omnes curasque ingemines in tempore mei ex hâc vitâ discessûs, nec permittas me terreri Adversariorum dæmonum insultibus aut spectris; efficacissimè prævertas, ne in desperationem cadam, nec te à me abjungas priùs quàm me perduxeris ad beatificum intuitum Dei Domini Nostri: ubi ego tecum & cum Beatissimâ semper Virgine Dei Matre omnibusque Sanctis semper gaudeamus gloriâ Paradisi, nobis conferendâ à Iesv Christo Nostro Domino, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in æternum. Amen.

His orationibus præmissis, antequam

se vitæ negotijs Christianus Dei servus tradat, expedit eum meditari nonnullo spatio temporis in lege Domini, quod utiliter faciet sequenti, singulis diebus manè, exercitio repetendo. Prostratus coràm Deo recognoscat & singillatim consideret decem ejus præcepta, in hanc admodum formam. Primum Divinæ Domini Creatoris mei mihi præscriptæ legis Mandatum hoc est: diliges & adorabis Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Inde reputet secum & ex ultimi pueritiæ memoriâ repetat, quæcumque per totam vitam peccavit contra hoc præceptum, moxque toto corde illa damnans & detestans, à Deo veniam istarum culparum petat; firmissimoque proposito statuat cavere deinceps à similibus erratis; & potiùs bonorum omnium, valetudinis ac vitæ discrimen ac damnum subire, quàm conscisce re quidquam huic tam justo ac salutari præcepto contrarium. Adjungat duo colloquia hujus circiter sententiæ. Prius ad Christum Iesvm: Oro & obsecro te Iesv Domine mi, da mihi & hoc die & toto tempore vitæ meæ copiosam gratiam ad perfectè observandum hoc primum præceptum Sanctæ Legis tuæ. Alterum ad Sanctam ejus Matrem. Domina mea

mea Sancta Maria obsecro te ut digneris pro me rogare Benedictum fructum ventris tui Christum meum Dominum, ut hoc & cunctis mihi reliquis vitæ mortalis diebus, benignè suggerat uberem gratiam plenè exequendi quantum mihi præscribitur isto primo Mandato Sanctissimæ Legis ejus. Eodem modo percurrat novem reliqua Decalogi præcepta. Est hoc exercitium, si rectè in principio cujusque diei fiat, præcipui momenti ad salutem æternam assequendam. cum enim perveniendi ad felicitatem ad quam est vocatus, tota spes & ratio Christiano posita sit in executione bonorum operum, & declinatione malorum, quorum illa imperantur, hæc vetantur decem præceptis Legis Dei, manifestum est quantum ad id conferat exacta & distincta singulorum ejusmodi præceptorum expensio, quæ velut objecto speculo nobis ostendit maculas animæ tollendas, & quantum nobis desit indicat. Hinc fit ut verâ contritione deleantur veteres labes, & præcaveatur ab iis quæ per lubricas vitæ occasiones ne nobis affricentur, periclitamur: pravæ autem consuetudines & vitiosi habitus debilitentur; corroboremurque quotidiano proposito deliberatæ mentis &

Divino sic implorato auxilio, ad resistendum tentationibus occursuris in omni pravitatis genere, quorum nullum non ad aliquod caput decem Dei Mandatorum revocatur, ac consequenter non sub examen ac censuram istius quotidianæ discussionis utilissimè veniat. Per hunc etiam modum purgantur oculi mentis ab illâ cæcitate quâ quotquot ferè qui sine consideratione vivunt, in offensiones sine sensu prolabuntur, & longo usu hebetante morsum conscientiæ, bibunt iniquitatem sicut aquam, nescientes quid faciant dum extremam sibi perniciem miseri conscisount, & aleam ludibundi jaciunt sempiternæ damnationis. In hoc porrò exercitio attendendum est, ut ijs potissimum præceptis insistatur in quæ quisque frequentiùs & graviùs offendit: excitando de talibus peccatis acriorem ex amore Divinæ Majestatis per ea læsæ dolorem: & colligendo vires omnes animi ad concipiendum irrevocabile decretum ijs deinceps abstinendi, vitandis etiam occasionibus eorum, & idoneis ineundis rationibus & vijs, pravæ quæ in præceps nos rapit, consuetudinis tollendæ: implorando præsertim præcipuo ad hoc Divinæ gratiæ auxilio. Perfunctus in hunc modum uni-

versâ

versâ exploratione decem Mandatorum, pronunciet intimâ mentis attentione hæc aut his æquivalentia verba: Certissimè credo, fore ut, si, quod absit, præoccuparet me mors, nondum expiato aliquo gravi peccato contra quoddam ex his decem Dei præceptis à me commisso, statim inexorabiliter infelix anima mea damnata detruderetur in sempiternum incendium Inferni, illic per totam æternitatem sine ullâ redemptione cruciandа. Idem pariter persuasissimum habeo, planè futurum, ut si, quod spero & cupio, quando ultimum spiritum reddam, mundus fuero ab omni culpâ lethali, &, si jam hinc corrigam pessimum morem peccandi contra decem Dei Mandata, futurum, inquam, ut Deus Dominus Noster misereatur animæ meæ, & quantumvis multa invitâ peccaverim, perducat me ad salutem æternam, quæ est gloria Paradisi, priùs expiatis peccatorum maculis, aut per labores & ærumnas vitæ patienter toleratas, aut per cruciatus Purgatorij.

Prodeuntis manè domo Christiani primum iter esto ad Templum, ubi Sacrificio incruento præsens adsit. dum id peragitur has aut similes orationes, mente,

& si

& si lubet ac juvat, ore poterit efferre.

Domine IESV Christe Amor cordis mei, per illas quinque plagas, quas Tibi in Cruce Nostri Amor inflixit, subveni Servis tuis quos tuo pretioso Sanguine Redemisti. Amen.

Domine IESV Christe benignissime Salvator hominum per Sanctam Crucem tuam quam tui purissimi Corporis contactu consecrasti, & tuo pretioso Sanguine purpurasti: per virtutem Passionis & mortis quam pro me in illâ pertulisti, ignosce peccatis meis, sicut ignovisti latroni tecum Crucifixo; concede mihi victoriam de inimicis Animæ meæ; & trahe per tuam gratiam homines mihi contrarios ad veram agnitionem tuæ Divinitatis & pœnitentiam culparum suarum. Amen.

Quando altè sublatum ostenditur populo Sanctissimum Corpus Domini, dicat.

Adoro te Domine mi IESV Christe & benedico Tibi, quia per Sanctam Crucem tuam Redemisti Mundum, & me. Amen.

Quando tollitur Sacer Calix pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri. dicat

Adoro te Sanguis Sacratissime Domini

mei

mei IESV, qui fuisti effusus in Cruce ad salvandos peccatores, & me, Amen.

Et quia non pro suâ solius, sed pro aliorum quoque salute esse solicitum Christianum decet, suaserim ut pro conversione Infidelium hanc orationem quisque recitet sub tempus quo Sacerdos sacrum Christi Corpus & Sanguinem percipit, Sacrificium consummans:

Æterne rerum omnium effector Deus, memento abs te animas Infidelium procreatas, easque ad Imaginem & similitudinem tuam conditas. Ecce Domine in opprobrium tuum his ipsis Infernus impletur. Memento IESVM Filium tuum pro illorum salute atrocissimam subijsse necem. noli quæso Domine ultrà permittere, ut Filius tuus ab Infidelibus contemnatur: sed precibus Sanctorum Electorum tuorum & Ecclesiæ Sanctissimæ Sponsæ ejusdem Filij tui placatus, recordare Misericordiæ tuæ; & oblitus Idololatriæ & infidelitatis eorum, effice ut & ipsi aliquando agnoscant quem misisti Dominum IESVM Christum, in quo est salus vita & resurrectio nostra, per quem salvati & liberati sumus; cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Per

Per diem, vitæ usus, & promiscua cum hominibus tractatio periculosa offerre solet incentiva vitiorum; præsertim ijs qui multis antea peccatis consuetudinem malè agendi contraxerunt. Horum animis obversari continuè debet vitæ brevitas, mortis vicinia, ratio cunctorum per vitam actorum Deo reddenda, Iudicium universale quo simul omnes ante inexorabile Tribunal Christi sistemur, Rogus æternus damnatorum, & irreparabiliter per quodvis lethale peccatum amittenda Paradisi sempiterna felicitas, ad quam conditi eramus. Ejusmodi sensibus præoccupatâ mente, qui ad quotidianas vel occupationes vel remissiones accesserit, næ is haud paulò quàm cæteri rariùs cadet, lapsus expeditiùs resurget; promptusque ferè semper ac paratus reperietur ad id agendum interim dum vivit, quod à se factum cuperet quando morietur. Iuvabit etiam non parùm, persuasum perspectumque cunctis esse: latum intercedere discrimen inter peccata ex fragilitate, à benè alioqui animatis ad bonum, vi tentationis ac improvisis illecebrarum insidijs quasi furtim expressa; & inter flagitia consuetudinis inolitæ, diù palàm sine pudore frequentata. Incredibiliter

hæc

hæc quàm illa graviora sunt; illa his remissu faciliora. Itaque de pœnitentiâ deprehensorum morbo supremo in aliquâ culpâ prioris generis, non equidem desperaverim, quin ijs sit utilis futura. de cæteris multùm timeo: quòd mihi tales videantur non tàm relinquere peccata, quàm ab ijs relinqui; & existimem verisimile, sic quasi conventum inter Misericordiam & Iustitiam Divinam, ut prioris benignitati condonentur ij qui vitæ statu semel benè constituto, infeliciter ex debilitate per lubrica non quæsitarum occasionum præcipitantur in lethalem culpam: Posterioris ultioni sacrificentur qui nusquam intepellatâ nequitiæ licentiâ, professionem quandam improbitatis, usque ad ultimam vitæ lineam audent perducere.

Hæc cogitari velim præsertim ab ijs quibus anceps adhuc & contrarijs alternata successibus sacri adversùs peccatum Belli fortuna est. Paulùm interiùs initiatis, & gustare jam incipientibus quàm suavis sit Dominus, equidem autor sim, attollendæ crebrò per diem ad Cœlum mentis, iterandis subinde actibus Fidei, Religionis, Spei; præsertim verò puræ ac synceræ Caritatis. Istiusmodi sensuum formulas ex Psalmis ac sacris hymnis memo-

memoriâ tenere, oréque identidem reddere proderit: poterunt & exprimi verbis vulgaribus, atque adeo cantari; quem ad usum hoc habeant, quibus arriserit, illigatum numeris exercitium Divini Amoris ab omni Nostri respectu defæcati.

*Vt Te colam Deus meus*
*Non me movet terror tuæ*
*Manus vibrantis fulmina:*
*Nec horror ignis Tartari*
*Vrentis æternùm Reos.*
*Tu me Deus per te moves,*
*Tu Christe transfixus trahis,*
*Crux urget, incendit cruor*
IESV *tuis plagis fluens.*
*Si cesset Inferni metus,*
*Tollatur & Spes Gloriæ,*
*Ego tamen, mi Conditor,*
*Te, dotibus captus tuis,*
*Te, Numen admirans tuum,*
*Sublime, Sanctum, providum,*
*Amore inempto prosequar.*
*Te Christe, Te Fili Dei,*
*Te Virgo proles Virginis,*
*Mansuete, fortis, innocens,*
*Dignate pro nobis mori,*
*Gratis merentem diligam.*

Diur-

Diurnis curis perfuncto, dum nocturnæ quietis tempus redit, haud committendum Christiano est, ut somno mortis imagini non præparatam, velut ad mortem, credat animam. Quis enim illi præstabit evigilaturum postridie sanum; cum, si sapit, dubitare nequeat: quin istâ nocte quam inchoat, multi per Orbem universum casu aliquo dum dormiunt oppressi, soporem cum interitu juncturi sint? è quorum numero cum nemo illi fidejussor idoneus caverit, ipsum non futurum, summa fuerit insania non id prævertere quo irreparabiliter omisso, æternùm fortasse doliturus sit. Igitur coram Deo suo supremo Iudice prostratus, primùm agat gratias pro ingentibus & innumerabilibus & per totam vitam, & eâ die, à Deo beneficijs acceptis, cuncta, prout scit & potest, percensens & expendens profundo gratitudinis affectu. deinde, petitâ priùs ad agnoscendas culpas luce, sua ex adverso malefacta opponat, memoriâ repetens, & magno pudore confitens, quidquid, hâc præsertim luce, contra vel præter Dei legem, omittendo, agendo, voluntate, facto, cogitatione, verbo peccaverit. Sic collectum culparum acervum, damnans ultrò

ipse

ipse prior, & intimo dolore abominans, absumat Divini Amoris igne, qui solus vim habet ijs abolendis parem; & verâ contritione ex Dei summè amabilis perfectâ super omnia caritate penitùs conceptâ, eradat quantum potest ac funditùs deleat, toto in id connitens conatu cordis. denique certissimè constituat: se nunquam, quantocumque fructu aut lucro, qualicumque discrimine objecto, in quidquam simile consensurum. Hæc penitùs mente versans pronunciet usitatam Confessionis Generalis formulam: *Confiteor Deo, &c.* Divinum præterea ad id præstandum quod promisit, imploret auxilium, simili priùs positis colloquio ad Christum, Sanctissimam ejus Matrem, Sanctum Custodem Angelum, & Cœlites reliquos. Pueros ac Puellas, Parentes aut Patres familias satagant à teneris assuefacere manè ac vesperi ad hæc eadem, aut his similia, quantum fert captus ætatis, quotidiè agenda. & si minus mente valent, voce saltem jubeant protinus à matutinâ vigiliâ, & ante somnum serotinum, Deum venerari flexis genibus, ter recitandâ Salutatione Angelicâ, more per Ecclesiam solito; tum oratione Dominicâ & sacro Symbolo,

bolo, cum aliquâ distinctiori memoriâ Passionis, Mortis & Resurrectionis Christi.

## EPISTOLA III.

*Francisco Mansillæ Societatis* IESV.

MVltùm me juvit cognoscere de te quæ tuæ isthinc literæ docuerunt, ex quibus perspexi quantus è tuis laboribus fructus existat. Fortunet utinam, cui servimus Dominus, istam in posterum quoque sedulitatem tuam, viresque benignè sufficiat, quibus par esse possis continuandæ contentioni, promovendoque è bono semper in melius negotio, forti perseverantiâ, & obstaculorum ærumnarumque, quæ se cumque obijciant, plenè victrici. Vexari opprimique Christianos cùm à Gentilibus, tum etiam à Lusitanis dum audio, facere non possum quin penitùs animo convulnerer, pro rei atrocitate atque pernicie. Quamquam me quidem, si, quod ajunt, usu hebetaretur aculeus istiusmodi dolorum, obduxisse jam pridem callum, assiduo talium sensu, oportuerat. Sed nescio quomodo inutilem experior huic levando malo medicinam consuetudinis & tempo-

ris: quotieſque vel præſens video, vel alicunde fio certior, agi ferrique indigniſſimis injurijs, etiam quorum minimè decebat, tenellos Eccleſiæ fœtus, quos in iſtâ novitate ac quaſi infantiâ ſuſceptæ religionis, foveri potiùs blanditijs majorum natu Fratrum, quàm ipſorum aut deſtitui contemptu, aut violari maleficijs par fuerat. rapi diſcerpíque feris incurſibus, quos nulli noſtri ad protegendum conatus retardare, nedum eluctari, ſatis queunt, miſerrimâ diſcrucior ægritudine, cordoliumque iſtud intimè vellicans mecum quocumque circumfero. Cognovi ante hos tres dies literis Patangatinorum, flagitioſiſſimum plagium raptarum à quibuſdam Luſitanis Punicale Servarum. Accepto diro nuncio, ſtatim ſcripſi Colanenſi, & Cocinenſi Proëpiſcopis, enixè rogans, ut propoſitis majorum excommunicationum minis, publicè inquirant, qui nam iſti raptores fuerint, quo nominatim agnitis extorqueri præda, & inſligi pœna quam leges jubent, ad cæterorum exemplum queat. Matthæo ne omittas ſuppeditare quidquid ad veſtitum eſt opus; tum cæterâ comitate paternæ indulgentiæ enitere, ut puerum tibi devincias, ſic efficiens, ut tecum libenter vivat.

vat. nam cum is liber & sui juris sit, affigi nostro convictui, alijs quàm benevolentiæ vinculis nequit. Equidem dum mecum erat dabam sedulam operam, ut cunctis eum propè materni amoris significationibus tenerem: quod & te imitari magnoperè velim. In tuâ interpretatione Apostolici Symboli est de quo te arbitrer monendum. non benè istis verbis *Credo in Deum* illa popularis hujus linguæ substituis *Enaquvenum*. nam vox *venum* Gentili hîc Idiomate significat *volo*. Vides autem profectò quàm non conveniat dicere: *volo in Deum*. quare censeo pro *venum* usurpes *Vichuam*. Hæc enim vox Latino verbo *Credo* in hujus Gentis sermone respondet. Præterea in articulo ejusdem Symboli quo de Christi Passione agitur, cave utaris vocabulo *Vao pinale*. nam harum usu gentium tali voci subest quædam notio coactionis. Christus autem non coactè, sed sponte & liberâ voluntate passus est. Quando isthuc pervenerint qui è Piscariâ transmigrant, quamprimùm invises eos qui ex ipsis ægrotant, circumducens tecum per eorum casas Puerum qui super illos recitet orationes quas habes designatas in mandatis tibi à me scriptò traditis. His expletis tu ad extremum,

Evangelij comma ſolitum tali occaſione dici, ſemel pronunciabis. de cætero memineris multâ ſemper ſignificatione caritatis cum hac Gente agere, ſtudiosè affectans mutuam erga te ipſorum benevolentiam allicere. delectaret me ſi nunciares: neminem jam ex illis Oraracam bibere; neminem Pagodes ſculpere; accurrere univerſos Dominicis diebus ad recitationem Precum. nec ubi fortè minus hæc ſemper ad votum ſucceſſerint, frangamur animis; utique reputantes: Si jam tum ex eo quo primùm hæc miſerrima Gens Chriſto nomen dedit tempore, ſedulos ſemper ad latus Magiſtros habuiſſet, qui eam, ut tu nunc facis, neceſſaria docerent; næ illos haud paulò quàm ſunt, meliores modò Chriſtianos fuiſſe futuros. Largiatur utinam Tibi Dominus Noſter tantum conſolationis in hac vitâ, & gloriæ in futurâ, quantum ipſi mihi cupio. Vale. Manapare VI. Kal. Aprilis An. CIↃIↃXLIV.

Tuus in Chriſto Amantiſſimus Frater.

*Franciſcus.*

EPI-

## EPISTOLA IV.

## EIDEM.

CAriſſime Frater: mirum quantum gaviſus ſum cognitâ profectione tuâ ad inviſendos Chriſtianos ſparſim habitantes, quos tibi commendaveram: multò autem magis gaudeo, iſthinc huc venientium ſermonibus intelligens fructum ingentem qui ex tuâ iſtâ luſtratione, Animarum & Eccleſiæ lucris accreſcit. Expectabam hodiè aut cras manè à Prætore nuncium. Is ſi erit qualem ſpero, non differam adventum iſthuc meum, deflectamque de viâ eo itinere, ut te ubicumque peregrinaris obiter conveniam. cupio enim incredibiliter videre te, quantumvis in ſpiritu te ſemper intueor. Ioannes de Artiaga diſceſſit à me, turbidis quibuſdam ejus animum inquietantibus cogitationibus abreptus, à malo, quantum apparet, Spiritu ſuggeſtis. Sed hoc ipſe nec agnoſcit; nec viam inis ejus notitiæ aſſequendæ. Aiebat, me relinquens, iturum ſe Combuture, ut iſtum populum erudiat. Addebatque ſpectare ſe viciniam tui in talis delectu loci parùm di-

ſtantis ab eo ubi tu degis. Sic fortè tunc voluit. ſit ne perſeveraturus in iſto propoſito, neſcio. noſti enim quàm ſit homo inſtabilis, & ad omnem auram mobilis. utcumque eſt, ſi te acceſſerit, haut putarim operæ pretium longis te cum eo colloquijs tempus abſumere. Scripſi Præfecto ut tibi ſubminiſtret neceſſaria. Rogavi etiam Manuëlem à Cruce ut tibi pecuniam commodet quoties egebis. idque hic ſe libentiſſimè facturum, perofficiosè recepit. Cura diligenter tuam valetudinem, quando ea inſtrumentum tibi eſt ad tam inſigniter Deo Domino Noſtro ſerviendum. Matthæo dices: Velle omnino me ut tibi obſequatur, & diligenter in omnibus obtemperet. Adeoque ſic habeat: ita demùm, quod ſæpe promiſi, futurum me illi vice Patris & Matris, ſi ſe tibi probaverit. alioqui niſi eum perfectè morigerum expertus teſtaberis, haud eſſe cauſam putabo cur eum magnoperè curare, & ejus proſpicere utilitatibus tanti ducam. Te viciſſim volo ſuppeditare ipſi liberaliter quibus ad veſtitum indiget. In iſtâ in quâ verſaris concurſatione Pagorum ſic velim te geras. quemcumque in locum adveneris, ejus loci viros cunctos unâ die

coïre

coïre unum in conventum jube: alio die universas simul fœminas, utrosque docebis quæ damno suo ignorant. nec satis habeas, illo in cœtu reddere ipsos memoriter Orationes quas ex usu Ecclesiæ Christiani omnes mente tenent: sed easdem ut in suis quique domibus, manè præsertim ac vespere, iterent, cura præterea, & commenda diligenter. Baptizabis etiam nondum salutari lavacro tinctos, adultos juxtà parvulosque. Inter quæ ne tibi placeas in fructu obvio, sic tecum reputa: si quid bonæ frugis moletrinâ elaboretur, totam ejus in solidum laudem esse Magni Molitoris & Domini, qui aquam affundit unde mola versatur, & tota incitatur ac viget machina. Deus Dominus Noster custodiâ te suâ regat, & auxilio adjuvet. Vale. Manapare VI. Idus Apriles Anno CIↃIↃXLIV.

Tuus Amantissimus in Christo Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA V.

### EIDEM.

CAriſſime in Chriſto Frater: magno teneor deſiderio tui videndi. & eſt quod ſperem è Dei benignitate, hujus compotem voti me citò futurum. Interim nulla mihi dies abit quâ te non videam in ſpiritu; nec dubito quin tu quoque iſto modo me viſas: itaut mutuo continuè fruamur invicem conſpectu. Te per quantum Deum amas, oro, ſcribe mihi de te, de Chriſtianis omnibus, ut valetis, quid agitis, quo loco ſint apud vos omnia. Volo autem diſtinctè ac minutim de ſingulis doceas. Expecto hîc Pulam à Travancore hac omninò hebdomade. nec puto aliter futurum; quoniam ipſe mihi ſcripſit ſe intra id tempus affore. Quid quæris? viget mihi animus alacri de Dei bonitate fiduciâ, extiturum ex iſto congreſſu quidpiam quod ad aliquod ejuſdem Dei Domini Noſtri obſequium pertineat. quidquid ejus rei erit, ſtatim ex me ſcies, ut Deo Domino gratias agas. Scribo Patangatinis de Tabernaculo ex ramis frondentibus excitando.

do. Mihi videbatur commodum congregari mulieres in Ecclesiam Sabbato manè, sicut fit Manapare; viros autem Dominicis diebus. tuo tamen arbitrio totum id permitto. Quando ut subvenias egestati cuipiam tuæ, voles ad Præfectum scribere, ne expectes ultimum articulum necessitatis, sed maturè præoccupa monere, ut si quo erit opus Præfecto spatio, ad rem tibi necessariam curandam, tu non excrucieris, per illam moram, penuriâ urgente. de Ioannè Artiagâ scire per te velim ubi sit, & an Deo inserviat. multùm enim vereor ut perseveraturus in Dei obsequio sit, propter ejus inconstantiam quam nosti. Pater qui mecum est & ego benè valemus. Dic à me Puero Matthæo, ut pergat bonus esse, ac voce contentâ in Catechismi scholâ reddat quæ tu eum docueris; atque hæc ipsa decorè pronunciet. quando isthuc veniam, feram ipsi munusculum Festivum, quo, scio, accepto gaudebit plurimùm. Scribe mihi ecquid Pueri accurrant ad simul recitandas Orationes statis horis: & quot ex ipsis eas rectè memoriâ teneant. Velim te in his & hujusmodi particulatim explicandis nec Chartæ nec verbis parcere. Literasque istas

cupio

cupio, cui primùm occurres huc venienti, committi. Sit Dominus Tecum, ut esse mecum eum opto. Vale. Livare IX. Kal. Majas An. CIↃIↃXLIV.

Tuus in Christo Amantissimus Ftater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA VI.

## EIDEM.

CAriſſime in Chriſto Frater. Hoc primo die Menſis Maij accepi literas à te, quarum me lectio quàm delectaverit, nunquam ſatis poſſem exprimere ſcribendo. Ægrotaveram hiſce diebus quatuor aut quinque febre ardens continuâ, eo ſpatio temporis bis mihi ſecta vena eſt. nunc Dei beneficio melius valeo. quin ipſam penè memoriam præteriti languoris, præſens ex fauſtis de te nunciis lætitia delevit. Itaque ſpero, Deo juvante, iturum me ad te Punicalem hebdomadâ ſequenti. Pulam Travancoris hodie aut cras manè omninò venturum credebamus. Cum iſthuc advenero,

quæ

quæ cum illo transegerimus, ex me audies. Faciat utinam Deus Dominus Noster ut inde aliquid existat quo ejus obsequium promoveamus. P. Franciscus Coëllius mittit ad vos Galeros duos. Propediem ut dixi acturus tecum coràm, quod his literis addam aliud non habeo, nisi consuetum votum; ut Deus Dominus Noster dignetur adesse nobis suâ gratiâ, cujus ope ipsi fideliter serviamus. Vale. Nare, Kal. Maij, An. CIↃIↃXLIV.

Tuus Amantissimus in Christo Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA VII.

## EIDEM.

CArissime in Christo Frater. Scit; quem nihil latet, Deus, quantò libentiùs aliquot tecum dies exigerem, quàm pari spatio Tutucurini detinerer. Sed quoniam hîc mihi necessaria ista mora est componendis quibusdam controversijs quæ Gentem hanc periculosis inter se jurgijs committunt, Te pariter & me convenit optatam utrique con-

consolationem mutui conspectûs, ingenti qnod ex istâ pacificatione speratur ad Divinum obsequium, operæpretio postponere libenter; & gaudere ibi nos esse, non ubi vellemus; verùm ubì Dei Domini Sanctissima Voluntas, & regni ejus ac Majoris gloriæ rationes postulant. Etiam atque etiam oro te, ne stomacheris miseræ isti Genti, quocunque illa vel errore, vel lapsu bilem irritet tuam. Scio esse molestissimam interpellationem avocantium à negotio in quo totus sis, ad sua, quæ una scilicet spectant, commoda. Sed & istas importunitates concoque, sereno perstans animo: & occupationibus se undique oggerentibus te placidè commodans; sic ut, quantum potes, efficias; quod supra facultatem præsentem est, æquâ mente prætermittas aut differas: interim quibus facto non potes, verbo ut satisfacias, curans; blandè nimirùm excusando: haud te valere quantum velles ipsorum causâ; &, quod plerumque non assequentes optatum, mulcet, spem pro re præbendo. Deo Domino Nostro multas gratias debes, & referas censeo, quòd te ibi posuit, ubi, ne volenti quidem esse otioso liceat: adeo assiduè plurima circumstant, certatim-

timque se in omnes horas quæ agas oggerunt: sed (quod jucundissimum laboris quantivis condimentum est) omnia talia quæ ad Dei Domini Nostri obsequium clarè pertineant. Mitto isthuc ad vos Petrum. Tu vicissim Antonium statim atque convaluerit, quod sex aut octo diebus futurum credebamus, fac ad nos destines. dedi ad Manuëlem à Cruce Epistolam accuratè scriptam, quâ eum & rationibus & precibus, vehementer urgeo ad maturandam ædificationem Templi. quæ prima navicula ex ijs quas Tonos vocant, isthinc solvet ad nos, ei fac imponas huc perferendam meam capsulam. Expeditis quàm celerrimè licebit, negotijs quæ hîc sub manum sunt, avolabo ad te. plus enim quàm fortè autumas cupio esse agereque tecum per aliquot dies. quæcumque vel rei vel consilij te inopia presserit, ejus me statim certiorem scripto fac. nec deesse Tabellarius potest, tam mûltis quotidiè ultrò citróque commeantibus. Portam istam Gentem & tolera infatigabili longanimitate patientiæ, retrahendo à malo, promovendo ad bonum quantum potes. Tum si quos expertus, clementiâ & beneficio ad officium non allicis, tempus oblatum tibi

puta

puta exercendi illius operis misericordiæ, quod in opportunâ castigatione merentium, nec nisi malo ad bonum adigi valentium, situm est. Deus te adjuvet, ut me quoque adjuvari ab eo cupio. Vale. Tatucurino pridie Idus Maij An.CIↃIↃXLIV.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA VIII.

### EIDEM.

CAriſſime in Christo Frater. Sabbato vespere perveni Manaparem. Obiter Combuture occurrentes consternarunt me tristissimi nuncij de Christianis Promontorij Comorinensis. Agi, ferrique, captivos abripi miseros à Badagis. abductos plurimos, diffugisse reliquos in cavernas prominentium in mare rupium. Ibi fame ac siti confici. Illuc Suppetias accurro, hac ipsâ nocte soluturus cum viginti Tonis Manaparensibus. Ora Deum pro infelicibus illis & nobis. Cura præsertim ut Pueri Deo pro nobis preces offe-

offerant. Combuture mihi promiserunt loci incolæ se ibi Ecclesiam structuros; & Manuël de Limâ pollicitus est, se ad structuram adjuvandam centum Fanaos de suo collaturum. Confer te Combuture ut instes & præscribas modum isti Operi. dare te in istud iter poteris feriâ quartâ vel quintâ. Tum hebdomadâ sequente, ibis, Deo volente, visitatum Christianos qui à Punicali usque Alendalen sparsim per agros degunt. singulas casas lustrabis, baptizando quoscumque reperies nondum regeneratos primo illo Sacramento. docens omnes & monens quæ opus est. Peculiarem eamque acrem diligentiam velim adhibeas in parvulis ubique recens natis aquâ sacrâ lustrandis. Quibus cura incumbit docendi Pueros, eosque statis horis congregandi, an officio fungantur vide. Manuëli à Cruce Combuture moranti commenda, ut plurimum invigilet duobus illis Christianorum Careārum Pagis, diligenter attendens primùm, ut subnascentes fortè discordiæ statim extinguantur maturâ reconciliatione gratiæ. deinde ne quis Pagodes sculpat, nemo potu Orracæ se inebriet. Omnes Dominicis congregentur ad preces recitandas, audiendumque

que Catechismum: Viri quidem manè; Mulieres vespere. Si erit isthic Franciscus Coëllius, dic illi, festinet venire. sic jubere meo. Deus te suâ protectione custodiat. Valeo. Manapare hâc feriâ secundâ XII. Kal. Iulias An. CIↃIↃXLIV.

Iam persolvi huic Mauro, cui trado hanc Epistolam, quod illi promiseram, ut iret Careapataum.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA IX.

### EIDEM?

CAriissime in Christo Frater. Nuncio Tibi, me per Dei gratiam, benè valere. dignetur utinam qui mihi dat valetudinem, concedere etiam, ut eam in ipsius obsequium impendam. Fac in dies sciam quid isthic geratur, quo loco res tuæ sint, quid Christiani agant. omni studio incumbe ad festinandam Ædis Sacræ structuram. Cum ea perfecta

fecta fuerit, velim statim fieri certior. His adjunctas literas Præfecto inscriptas, cupio commendes valdè fido Tabellario. Oro etiam atque etiam, in primis cordi tibi sit institutio Puerorum. Illud verò diligentissimè cures, majorem in modum opto: ne quis recens natorum non statim, aut quamprimum, à te baptizetur: ut his saltem animabus, plerisque migrantibus è corpusculis ante rationis usum, frequentetur Paradisus, in quem Adulti nec malis propelli, nec bonis allici se sinunt. Manuëli à Cruce salutem à me plurimam imperti. Hortor Matthæum ut perseveret & proficiat in bono. Fac te comem & humanum cùm isti Genti præbeas, tum præsertim Magistratibus eorum & Præfectis Pagorum, quos Adigares vocant. Dominus Noster sit semper tecum. Vale. Virandapatanao x. Kal. Iulias Anno CIↃIↃXLIV.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA X.

## EIDEM.

CAriſſime in Chriſto Frater. Feriâ tertiâ redux perveni Manaparem. novit Deus Dominus Noſter quantum hoc itinere laborum exhauſerim. Profectus cum viginti Tonis conſolatum Chriſtianos diſperſos à Badegis, quos in Speluncis Scopulorum prætexentium oram Comorinenſem fame ac ſiti miſerè perire cognoveram, ventis ex adverſo vehementiſſimis flantibus, nec remo, nec remulco eluctari undas, aut ullâ unquam vi appellere vel unam naviculam ad Promontorium potui. Si ſe iſti venti remiſerint, iterùm illuc me conferam, at quod potero ſubſidium extremæ infelicium illorum inopiæ afferam. nam quis tam ferreus ceſſare poſſet à ſummo conatu ſublevandæ, haud ſcio an non omnium quæ uſquam ſunt miſerabiliſſimæ calamitatis illius afflictiſſimi Populi Chriſtum nobiſcum colentis. Multi quotidie eorum Manaparem confugiunt, nudi, fame confecti, omnium egeni. Scribo Patangatinis Combuturis, Punicalis, & Tutucuri-

curini, ut aliquas eis juvandis eleemosynas corrogent, & ad nos mittant: admonens tamen, ne quid à Pauperibus exigant; sed Dominos agrorum, & similes qui rem habent, orent ut sponte quod possunt conferant in opus tam pium. Hoc quamquam ita mandavi, tamen quia Patangatinorum Genium novi, male metuo ne prætextum inde sumant inopes vexandi: tum in cæteris toto negotio lævè, ut solent, præposteréque defungantur. quare te velim invigilare ut cuncta rectè fiant. præsertim, quod dixi, ne à Pauperibus quidquam accipiatur, néve divites cogantur dare, sed rogentur tantùm, ut liberè quantum aut quantulum voluerint largiantur. venire te cupio, & necessarium censeo, in partem magnam ejus curæ. nam Patangatinos pro bono & æquo facturos quidquam, vix sperem. mea tota fiducia in Deo est. quo loco sit negotium ædificationis Templi Combuturensis, libenter ex te sciam. Scribe cuncta distinctè. & an Manuël de Limâ centum Fanaos, quos in id promiserat, jam numeraverit. Cuperem ijsdem literis fusè ac plenè cognoscere successum concursationis per Pagos, ac lustrationis Villarum, tuæ. quales ubique

Christianos repereris, quales reliqueris: Ecquid, quos per illa loca præfecimus eruditendis Parvulis, benè ubique suo munere fungantur. Ego quidem summâ fide promissas ijs mercedes statis pensionibus persolvo. nec videre possum, ij quid absente me faciant. quare de hoc percupio literis tuis accuratis, nec brevibus, doceri; simul de te ipso, ut valeas, de loco ubi degis, quid ibi geratur, quo tenore procedat religionis negotium. Octiduum in mari fuimus. & nosti expertus, quàm incommoda vectura Tonorum sit; ventis præsertim validissimis reflantibus, quales hi fuerunt, quos nec extremâ contentione artis ac virium valuimus perrumpere. Deus Dominus Noster te continuè protegat. Vale. Manapare pridie Kal. Iulias An. CIↃIↃXLIV.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

EPI-

## EPISTOLA XI.

## EIDEM.

CAriſſime in Chriſto Frater. Deus Dominus Noſter dignetur invigilare ſemper in cuſtodiam tui; & firmam tibi valetudinem vireſque multas præbeat, quas impendas univerſas in ejus obſequium. Plurimùm me delectarunt tuæ literæ, quas noviſſimè accepi; utique in his extantibus manifeſtis indicijs diligentiæ ingentis, quâ elaborasti in præmuniendo comparandoque iſto populo adversùs incurſiones Badegarum: ne ab ijs improvisò deprehenſi opprimantur. Profectus itinere terreſtri perveni ad Promontorium, ut inviſerem miſeros illos Chriſtianos qui ſuperfuerunt latrocinio & crudelitati Badegarum. nuſquam miſerius ſpectaculum. vultus exangues & fame luridi; ſtrages per agros fœda hîc cadaverum inſepultorum, hîc ægrorum ex vulneribus aut morbis prorsùs incuratis agentium animam. Senes decrepiti, viribus ætate ac inediâ defectis, fruſtrà molientes greſſum, non nuſpiam parturientes in viâ publicâ, Viris circum-

eas nequidquam ſatagentibus, in extremâ univerſis communi rerum omnium inopiâ. Hæc ſi tu (quod mihi contigit) ſubjecta oculis cerneres, transfigerent (ſcio) cor tuum immedicabili miſerationis telo. Omnes pauperes curavi deportandos Manaparem, ubi maximus jam eſt numerus ejus afflictiſſimæ Gentis; nobis curandus prout potuerimus. Ora Deum Dominum Noſtrum, ut tangat corda divitum aliquâ Miſericordiâ tot Infeliciſſimorum, ultimâ egeſtate contabeſcentium. Spero me profecturum Punicalem quartâ feriâ. ne remittas, quæſo te, vigiliam in cuſtodiâ iſtius Populi, quoad planè conſtiterit Badegas in ſuas terras receſſiſſe. Dices Antonio Fernandi cognomento Craſſo, & iſtis Patangatinis Caëlli veteris, diſertè vetare me: ne Caëllum Vetus novâ Coloniâ frequentatum eant. & à me interminare, ſi ſecus facere attentaverint; magnâ id pœnâ luituros. Manuëli à Cruce, ac præterea Matthæo, cum curâ ſignificabis: me ipſis ſummo affectu omnia proſpera optare. Dominus Noſter ſit tecum, & nos corroboret ſuâ gratiâ, ut ei toto niſu ſerviamus. Vale. Manapare Kal. Auguſti An. CIↃIↃXLIV.

Tuus Frater in Chriſto.

*Franciſcus.*

EPI-

## EPISTOLA XII.

### EIDEM.

CAriſſime in Chriſto Frater, Deus ſit ſemper tecum. ut varia tuæ literæ nunciant, ita earum lectione ſum variè affectus. delectavit me plurimùm illa earum pars, quâ memoras, ingenti te animi fructu nuperâ iſtius regionis Villarum ac Pagorum luſtratione perfunctum. contra perculit me & ſævâ ſpecie turbavit mentio ipſa captivitatis tuæ, cujus eſſe te in periculo præſenti, & ſcribis, & video. Ea ſi contingeret, non priùs partem quietis ullam caperem, quàm Te, quod futurum brevi ſperarem, Deus redderet nobis; nec ipſis videlicet expertibus ſimilium laborum atque diſcriminum. Cedant utinam omnia in laudem & gloriam ejuſdem Dei Noſtri Optimi ac Maximi Domini. In iſtas ego partes Sacerdotem è noſtris unum miſi, qui pagatim ediceret, ut naves expedirent, marique imponerent, per cuncta iſthæc litora, quò videlicet conſcendere omnes & ſolvere poſſent, antequam opprimerentur à feris latronibus, quorum proxi-

mam isthuc irruptionem non temerè auguror, certior factus armari ad hoc eos & manum cogere, quâ totam Oram usque ad mare latè vastent. Id me docuit Primarius quidam Canacar benevolus Christianis terram istam incolentibus. Miseram ad eum ego certum hominem cum Epistolâ Regi Travancoris inscriptâ, quam ut ipse redderet rogabam, simulque pro eâ quâ valet apud eum Regem (cui est in intimis) gratiâ, conjungeret cum meis suas preces, ad impetrandum ut seriò prohiberetur Badegis, ne miseros istos Christianos infestarent, nam eorum, ut sibi factas, interpretaturum & ulturum iniurias Indiæ Prætorem. Erat cur sperarem facturum quod rogabam, nam & mihi amicus, & erga Christianos, uti dixi, benè affectus ille Canacar est, multos ex ijs sibi cognatos & propinquos habens. Venit is ad me non officij solùm, sed etiam auxilij gratiâ, prolixè offerens quidquid posset. Ad hunc ergò cum scripsissem, ut si Badegarum effrænium hominum impediri Regis autoritate latrocinia nequirent, daret saltem operam, ut ego admonerer in tempore de mox futurâ per ipsos Oræ direptione, quò maturè curarem, ut Christiani subductis in altum impo-

impositi navibus, terrestris vastationis cædes ac spoliationes fugâ præverterent. Id modò ille cum fide præstitit. Dedi etiam ad Præfectum literas, orans ut navigium majus, quod vocant Caturem, armatum præsidio navicuis istorum inermibus mitteret. Tu etiam atque etiam ingeminans injunge Oræ incolis, præsertim remotioribus à mari, ut Speculatores fidos & vigiles idoneis locis statuant, qui explorata in horas nuncient, ne quâ nocturnâ equitatûs incursione opprimantur, antequam conscendere paratas naves, & terrâ in tutum queant evehi. Sed cum hæc instantissimè commendaveris, parùm ipsis fidas censeo. Novi ego socordiam & tenacitatem ignavissimam istorum, quos duorum fanoum sumptum intam necessarios vigiles facere pigeat. Tu ipse per te ac tibi fidos vigila, & cura; jam nunc deductis in mare Cymbis mulieres & parvulos imponi urgens; utêris etiam occasione tristis temporis ad tantò instantiùs exigendum, maximè ab imbelli Sexu & ætate, ut ad Deum recitandis Orationibus recurrant. Magister orandi optimus metus est: præcipuè cum, ut istis nunc, non aliunde quàm à Deo spes auxilij af-

ful-

fulget. Deest hîc mihi ad scribendum Charta. Reposueram apud vos in capsâ quandam ejus rei copiam. ex eâ quantum est opus ad præsentem usum per certum hominem curriculò mittas velim. Per eandem tuas literas expecto, quæ me doceant, ecquid jam in aquâ naves stent, ecquid jam imposita ijs domestica Supellex & tenues copiæ periclitantium in terrâ familiarum sint, cum matribus ac prole. Si nondum id peractum, quàm strenuissimè in eo laboretur. Antonium Fernandem, quem Crassum vulgò dicunt, meo nomine adi & adjura per quam colit mecum amicitiam, ut quantum meâ causâ vult, totum conferat in salutem miseræ istius plebis, autoritate illi suâ, ut fugam expediant, consulens, ad eamque compellens, ut ad unicum præsidium vitæ, non libertatis. Vitæ inquam & sanguinis. nam ditiores fortè à latronibus avidis spe lytri ac redemptionis abducendi sperentur: Pauperes à quibus avaritia nihil expectet, crudelitas trucidabit scilicet. Iterùm & super omnia inculco, effice ut per noctes stent quidam in speculis, multis passim locis per totam Oram, præsertim, ut nunc est, plenilunio nocturnis grassationibus lumen

men opportunum præferente. Suâ vos Deus, quæ una certa est, custodiâ defendat. Vale. Manapare III. Nonas Augusti An. CIↃIↃXLIV.

Tui Amantissimus in Christo Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA XIII.

## EIDEM.

CAriſſime in Chriſto Frater. Iterùm inculco tibi nactus novam occaſionem, eadem quæ hoc ipſo die manè ſcripſi; etiam atque etiam obſecrans, ut miſerrimam iſtam Gentem, in tantâ ſuâ calamitate, quantum omni conatu potes, ſubleves & conſoleris: utque (quod in parte ſummæ à caritate tuâ gratiæ, pro urgenti deſiderio, numeraverim) ſtatim cum fide indices, quid verè Tutucurini actum ſit. Malè metuo ne Tutucurinenſes hi tumultus cladis aliquod auctarium in iſtos, aliunde plus ſatis miſeros, Chriſtianos inferant. Tanta hîc conſternatio eſt ex anxiâ formidine impenden-

dentium malorum, quantam nullis satis verbis possem exprimere. Nec probare unquam possem, nec cuiquam probandum sperem, deseri à nobis hos Populos tam dubio & calamitoso suo tempore. Quare nolim Te ire cum Ioanne Artiagâ, quò invitat, nisi quando nullum isthic ampliùs periculum erit à Badegis: de quibus simul aliquid certò compereris, fac, quæso, statim ut quidquid id fuerit per te resciam. Ad hos alliciendos ad pacem, Rex Travancoris Brachmanem destinat, qui eò proficiscens ducit secum Interpretem Præfecti Nostri. Quid effecturi sint, in incerto est. Hos quidem duos hîc modò Manapare habemus in procinctu proximo navis scandendæ. Aveo mirum in modum de Lusitanis Tutucurinensibus audire quid in re sit: etiam atque etiam oro te: minutè ac singillatim cuncta perscribas. nec moram interponas: sed ut primum quidque didiceris, chartæ illine ac mitte. In æstu sum animi & curâ molestissimâ, quam unæ mihi tuæ istiusmodi literæ queunt eximere. Rumores feruntur de Lusitanis, de Christianis aliquot, vulneratis aut occisis. Verum id nec ne sit: & quid omninò, quoque modo, contigerit

per

per te, idque celerrimè, doceri majorem in modum opto. Circa tuam profectionem, vel constituemus quid expediat primo congressu nostro; vel si prius detonuerit Badegarum hæc tempestas, quid mihi videatur, datis maturè literis ut scias, faciam. Dominus Noster sit semper tecum. Amen. Manapare XIV. Kal. Septembris An. CIↃIↃXLIV.

Hoc puncto temporis accipio Epistolam à Guarimo, quâ meus me Carissimus Frater certiorem facit, Christianos fugisse in Sylvam, spoliatos priùs à Badegis, qui unum ex ipsis, alium item è Gentilibus, vulnerarunt. Malis undique nuncijs obruimur. Laudetur semper Dominus Deus.

Tuus Frater in Christo Amantissimus.

*Franciscus.*

EPI-

## EPISTOLA XIV.

### EIDEM.

CAriſſime Frater, Deus ſit ſemper tecum, Amen. Ex illâ Domini ſententiâ: *qui non eſt mecum contra me eſt* potes intelligere quàm deſtituti Amicis hîc ſimus, qui nos in hac Gente ad Chriſtum pertrahendâ juvent, non deſpondendus tamen eſt animus. nam Deus ad extremum juxtà ſua cuique merita rependet: & eidem ubi volet facile eſt, per paucos id ipſum efficere, ad quod requiri videbatur opera multorum. Aio Tibi & confirmo: potiùs me iſtorum miſeret qui contra Deum pugnant, quàm ut abundè jam hoc ipſo infelicibus, mali auctarium ultionem imprecer. Quamquam, ut non accerſamus, illa non deerit in tempore. nam quàm atroces ſuis Deus inimicis tandem pœnas infligat, videmus, quoties mentis oculos demittimus in fornacem inextinguibilem Tartari, tam multos æternùm ſævituris ignibus urentem. Proficiſcitur ad vos ille Brachmanes de quo heri ad te ſcripſi, cum mandatis Regis ad Badegas: da efficacem operam, obſecro te,

quò

quò navim isthic promptam inveniat, quâ tutò & citò perferatur Tutucurinum. Ibi porrò quid agatur, quidve actum sit, per quantum Deum amas, adjuro Te, fusè, statim, & diligenter scribe. de Præfecto, inquam, de Lusitanis, de Christianis Tutucurinensibus, doce me distinctissimè, si magnâ me solicitudine levatum velis. Ioannem de Artiagâ multùm ex me salvere jube, uti & Manuëlem à Cruce. Matthæo dicito: ne putet se in cassum laborare: plus me illi bonorum quàm expectet aut cupiat, parare. Dominus Noster sit semper vobiscum. Amen. Manapare XIII. Kal. Septembris An. CIↃIↃXLIV.

Per Deum te obtestor, cura ut Brachmani nulla isthic mora navigandi sit. Age cum Præfecto, ut eum verbis saltem & vultu, excipiat ac tractet honorificè.

Tuus in Christo Frater Amantissimus.

*Franciscus.*

S. FRAN-

# S. FRANCISCI XAVERII E SOCIETATE IESV INDIARVM APOSTOLI NOVARVM EPISTOLARVM. LIBER III.

## *EPISTOLA PRIMA.*

*P. Franciſco Manſillæ Societatis* IESV.

CARISSIME in Chriſto Frater Deus ſuo ſemper præſtò ſit vobis auxilio. Amen. Perjucundæ mihi fuerunt tuæ ultimæ literæ, docentes multa quæ & noſſe avebam & juvabit didiciſſe. Expecto dum nuncies ſecuram jam planè à Badegis Gentem & regionem iſtam. idque te indicare cum primùm verè poteris, cupio. Tunc enim citra periculum,

lum, & istorum quibuscum es querelam, licebit Te illuc transferre ubi, ut scis, luculenta rei ad Dei obsequium bene gerendæ spes & occasio invitat. Expediam eò Te, misso qui vice tuâ isthic curet, Francisco Coëllio. Sic tu liber & cunctis boni consulentibus abscedens, ibis, quò ingens ad Dei gloriam Operæpretium vocat, baptizatum Careapatanenses; & alia è Religionis usu administratum apud Careas Beadalæ, & apud Præfectum locis illis, quem Mudaliarem vulgò nuncupant. nam Præfectus Negapatanis plurimùm autoritate ac gratiâ valet apud Regem Iafanapatensem, cujus imperio subsunt illæ Insulæ Manaris. & talis est ut sperari ab eo possit, libenter fauturum ipsis apud Regem. Statim igitur atque isti populi quibuscum vivis, in plenâ tranquillitate fuerint, prorsùs soluti metu Badegarum, expedias ad me velim Tabellarium qui hoc ipsum indicet, ut sine morâ mittam ad Te Franciscum Coëllium cum pecuniâ, literis ad quos est opus, & mandatis quæ te scriptò edoceant, quid & quatenus, quove modo, agendi causâ Te Manarem destinem. Impensè Tibi commendo Fratrem Nostrum Ioannem de Artiagâ. scribe ad me quibus

rebus egeat, ut provideam prout par est. Hîc solus penè sum ex quo Antonius æger Manapare remansit. & quod perincommodum est, in medio Populi linguæ ignotæ destitutus auxilio Interpretis. Interpretum siquidem loco mihi sunt Rodericus qui nunc adest, & Antonius quando aderat. quàm periti uterque nostræ linguæ túte ipse scis; & ex eo intelliges quam hoc loco vitam degam, quos sermones habere ad concionem queam, ubi qui dicta scilicet mea Populo declarent, nec intelliguntur à me, nec me intelligunt. unis ergò nutibus disertus hîc quidem sim oportet. non deest tamen quod agam. nam ad baptizandos pueruIos modò natos, aut infantes ad id oblatos à Parentibus, Interprete non egeo. quos nudos, quos fame luridos intueor, ij quid à me velint occursu ipso & specie satis per se produnt. duobus hisce præcipuis generibus utilissimorum Operum ita exerceor, ut non pœniteat temporis impensi. Badegæ qui hanc oram infestabant, omnes Cabecaten profecti liberos nos & in præsens securos reliquerunt: qui per Mediterranea grassantur, adhuc illic omni crudelitate sæviunt; nec absistent à rapinis & maleficâ vi,

quoad

quoad autoritate Regis Travancoris, (in quo ut dixi laboratur) de pace cum ipsis aut inducijs convenerit. Dominus Nolter sit semper vobiscum. Amen. Punicale XII. Kal. Septembris An. CIↃIↃXLIV.

Hac nocte solvo Talen versùs, solatum egenos, quos magno illic numero summâ necessariorum inopiâ premi audio.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA II.

## EIDEM.

CAriſſime in Chriſto Frater. Princeps qui Tale degit, cognatus Regis Travancoris, tam amicus nobis eſt, ut ubi primùm audivit Adigarum injurias in Chriſtianos iſtarum partium, ſtatim iſthuc vice ſuâ miſerit unum è ſuis Familiaribus cum literis ad Adigares, quibus eis præcipit, ut annonam & cætera neceſſaria exportari liberè in eas Inſulas è Continente ſinerent, omni-

que alio quo foret opus benevolorum officiorum genere Christianis isthic viventibus faverent. Mandavit eidem, ut ex Christianis resciscat Adegarum nomina, eaque tum mihi communicet, tum ipsi rediens perscripta referat, ut si ei occasio inciderit adeundi Regis, edere ipsi nominatim queat qui nam ij sint qui potestate autorati Adigarum, vi Magistratûs ejus ad Christianos vexandos sint abusi: quò eos Rex videlicet, pro suo in nos favore, coërceat in posterum. Agere Te cum Patangatinis velim, ut istum à Principe in auxilium Christianorum missum omni significatione honoris excipiant, prætereaque remunerent hominem, itineris que ac laboris causâ ipsorum suscepti mercedem ei debitam gratè rependant, quando id nec ego, nec populus, propter egestatem facere possumus. nec eos pigeat partem in id utiliter piéque derivare pecuniæ publicæ, quam plerumque saltationibus, convivijs, cæterisque id genus hilaritatibus prophanis noxiè impendunt. Tu quoque tamen ex paupertate tuâ confer quod poteris ad eum demerendum, quò delinitus à te munusculis, alacriùs & efficaciùs fungatur imposito sibi mandato deterrendi Adigares, à vexandis deinceps

ceps Christianis, prout hactenus magno istorum damno fecerunt : quin & eosdem è contrario adigendi ad cuncta ipsis officia præstanda quæ in quotidianis occasionibus humani commercij usûsque mutui à bonis & benevolis expectari vicinis solent . Magnoperè aveo scire ex te , quid ad liquidum exploratum habeatur de re sermonibus celebratissimâ . Passim enim increbuit, raptum à quodam Lusitano fuisse famulum Regis Travancoris & vinctum perductum Tutucurinum . non ignoro multa ferri rumore populari, quæ aut ex vano hausta, aut in majus invidiosè aucta sint. Tu doce, primùm, an revera factum id fuerit. tum si res teneatur , quid juris pro se raptor alleget : quam occasionem aut prætextum id tentandi habuerit. Scripsi ad Te nuper de hoc eventu, famâque de illo sparsâ, fusiùs . Eò mihi necessarium est magis perspectum habere quid in re sit, quòd ex eâ notitiâ pendet deliberatio profectionis ad Regem nostræ . Si enim id facinus & verè admissum, & omninò tale est quale narratur, melius arbitror supersedere, nec offerre isti Aulæ os nostrum tam exprobrabilis ausûs conscientiâ invisum. quem enim latet

quàm ubique per illud Regnum, ac præsertim in Domo Principis, odiosum haberi necesse sit: non esse veritum externum hominem inferre violentas manus in Familiarem magni Regis, in loco ditionis ejus; maximè cum longè aliter ipse Rex se nobiscum gerat. Excepit is nuper mirificâ comitate P. Franciscum Coëllium, concessitque ipsi prolixè quidquid petijt in commodum Christianorum istorum. quin adeo se propensum commendatione Patris in horum favorem præbuit; ut quò eis honorificentiùs consuleret, quatuor Manaparenses ex ipsorum numero ultrò Patangatinos creaverit; idque gratis & sine ullo populi sumptu: nam quod Pularum tempore pecuniæ quidpiam exigi eo nomine solebat, nominatim vetuit ne fieret. Similiterque in alijs locis Patangatinos tres sine ullâ popularium expensâ constituit. cuncta ista decernere se in Patris qui eum, ut dixi, adierat Coëllij gratiam benevolentissimè testatus. Per quantum Deum amas obtestor Te, significa Præfecto accuratissimis, meo etiam nomine scriptis literis, orare me illum etiam atque etiam, ut si quid meâ causâ vult, & ipse abstineat in hunc totum Septembrem men-

sem

sem ab offendendis aut quoquomodo violandis Regis magni subditis, nec quemquam Lusitanorum patiatur ullâ in eos per id tempus injuriâ grassari. Allega ad hoc illi, quod verè potes, experiri nos illam Regi Travancoris subjectam Gentem præ cæteris exorabilem & propitiam in omnibus quæ ad causam Religionis & Christianorum commoda pertinent. Si credet hoc Præfectus, dubitare non debeo, quin ad ab illo impetrandum ne malè faciat tam benè meritis, efficacissima hæc futura ratio sit. quid spectem in hac velut quarundam Induciarum in hunc mensem pactione non te fallit, utique scientem, cogitare me, magnis Religionis causis, intra istud temporis spatium profectionem ad Regem, ad quem obstrui mihi aditum novâ querelarum de nostris materiâ, ferrem scilicet molestissimè. quamquam, ut indicabam, nondum planè constitui an iturus illuc sim, expectans de divulgato raptu domestici Regis quid allegari defensionis plausibilis queat: de quo tuas literas flagito. hæ si quæ velim nuncient, nullam moram faciam iter istud capessendi, solvendo Cocinum versùs; literas porrò istas sine quibus expedire consilium profectionis nequeo, nolim scribi manu tuâ

tuove autorari nomine . Memini videlicet significasse te mihi , quædam de his te habere quæ declarare nisi voce coràm , & præsens præsenti nequeas . Facilè suspicor subesse fortè aliquid de Præfecto ipso ac Lusitanis , aut etiam de Christianis Indigenis , quod ut expediat mihi notum esse, quò mederi malo possim , ita non committi debere literis, quæ casu quodam interceptæ exosum te ijs quibuscum versaris facerent . Probo cautionem , & nihilominus, quia nec inter nos visendi facultas nunc quidem est ; nec carere possum hoc rerum articulo mearum , notitiâ istiusmodi , planè volo de istis quæcumque sunt per te certior fieri , scriptis alienâ manu , nec tibi , si deprehendantur , ullo Chirographi aut nominis indicio imputabilibus chartis ; quas ipsas per fidissimum ad me Tabellarium transmittes . ubi sic omnia cognovero , statuam ecquid conveniat ire me ad Iniquitribirimum , & Cocinum . Iam nunc porrò certus sum , si facinus quo est Rex offensus , & manifestum , & tam turpe tamque inexcusabile sit quàm vulgò dicitur , me illuc neutiquam iturum . Dominus Noster suo nos semper auxilio & favore dignetur .

tur. Manapare Postridie Kal. Septembris Anno CIↃIↃXLIV.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA III.

## EIDEM.

CAriſſime in Chriſto Frater, Deus Dominus Noſter ſuo ſemper Tibi auxilio præſtò ſit. Amen. Sum in magnâ ſolicitudine pro Chriſtianis Tutucurinenſibus, quibus miſerrimo ipſorum tempore nemo eſt omnium qui conſulat. Per ego te quantum diligis Deum Dominum Noſtrum, oro & obſecro; ſummam adhibe diligentiam ad reſciendum ex vero quamprimùm, mihique ſtatim indica, quo loco res illorum ſint. Ac ſi videris Divini obſequij rationibus congruere profectionem illuc tuam, eò confeſtim advola cum quamplurimis è Combuture ac Punicali naviculis, quibus infeliciſſimam illam Gentem è ſterilibus & deſertis iſtis Inſulis, partim Combuturem, partim Puni-

Punicalem ac Trinchandurem transportes. Expedi, quæso, Te; ac nullâ interpositâ morâ quidquid minutarum Cymbarum, quas Tonas dicunt, Punicale reperietur, tecum illuc rape: misso ad Combuturenses mandato, vos continuò sequendi cum omnibus suis Tonis. ne committas, per Deum obtestor, ut secundùm vota Beterbemalis Satrapæ Latronum Badegarum, & ejus Prædatorij Equitatûs, afflictissimæ illæ Reliquiæ populi vi ac terrore ipsorum sedibus exturbati patrijs, fame ac siti, Te in succurrendo cunctante, moriantur. Egregiam verò Præfecti vigiliam istius vestri, quem erat haud paulò magis consentaneum consulere Christianis ipsius curæ ac custodiæ commissis, quàm (quod maluisse visus est) gratificari Beterbemali & Sanguinarijs equitibus qui cum eo volitant cæde atque incendio cuncta vastantes! Scribo ad Patangatinos Punicalis & Combuturis, mandans ut confestim cum Tonis, quotquot habent promptas, Te duce, suppetias accurrant Tutucurinensibus Christianis, cibi ac potionis defectu tabescentibus per arentes illas & victûs omnis egenas Insulas, unde illos statim exportent. Quod iussi Te illuc ire, sic interpreteris licet: si necessa-

riam

riam ad negotij effectum profectionem putes tuam. Sin meis redditis ad Patangatinos literis, satis fervere ipsos & rem amplecti animadverteris, ut possis confidere strenuè per se quod opus est facturos, hære re sanè in loco, ubi non ignoro quanta præsentis tuæ curæ te necessitas detineat. Sed comparandæ in Caritatis trutinâ, ac justis librandæ momentis sunt; hinc extrema Tutucurinensium destitutio, illinc utilitates istorum quibus navas operam; ut videlicet præponderet quod urgentius est; ac si non aliter, quàm Te illuc accurrente, tot infelicissimorum agentium jam animam, possit interitus præverti, eò cunctis omissis advoles: statue quid è re fuerit: totum judicij tui præsentis arbitrio permitto. Illud cura ut quæ, Te vel ducente vel mittente, ad famelicos siti etiam perditos remigant Tonæ, aquâ & alimentis idoneâ copiâ instructæ sint, quibus statim ac appulerint, levari esuries & ardor queat in siccis scopulis tabescentium mortalium omnis sexûs & ætatis. Deus Dominus Noster sit vobiscum. Amen. Doce me quamprimum poteris ecquid Manuël à Cruce & Matthæus, relevati à mœrore sint, in quo erant

cum

cum eos ultimùm vidi. Vale. Nonis Septembris An. MDXLIV.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA IV.

## EIDEM.

CAriſſime in Chriſto Frater. Triſtiſſimum accipio nuntium de Præfecto; exuſtam ipſi navem, quidquid ædium in ſolo habuit pariter incendio deletum, ipſum ſpoliatum & inopem receſſiſſe in Inſulas, ægréque illic in extremis anguſtijs ſpiritum trahere. Accurre illi ſuppetias, obſecro per caritatem Dei, & raptim coacto quàm maximo numero Punicalenſium tuorum, quantum iſthìc navicularum eſt, annonâ cunctis, aquæ præſertim, impoſitâ, tecum iſthuc trahe. Sed velocitate ſummâ. nam moras ultima viri neceſſitas non patitur. Scribo Patangatinis quàm efficaciſſimè, ut tibi omni ope præſtò ſint tam neceſſario erga Præfectum officio fungenti. congerant in Tonas quàm

expe-

expedire plurimas poterunt, copias ad talem usum idoneas, aquæ maximè potabilis, cujus illic quanta sit penuria notum est. multas mitti naviculas ideò volo, ut sufficiant exportandæ in Continentem numerosissimæ omnis ætatis turbæ, quas idem qui Præfectum perculit turbo in illa inhospita saxa compulit. Irem ego ipse, Te Punicale relicto, si gratum fore meum illuc adventum Præfecto crederem nuper ille mihi renunciavit amicitiam, scriptis literis plenis atrocium querelarum. ubi legebatur inter alia: non posse illum sine ingenti scandalo memorare quæ à me ipsi, scilicet, illata sentiret mala. Deus & homines sciunt an ego illi malum ullum intulerim, præsertim tale quod commemorari sine scandalo nequeat. Sed mei purgandi, aut quiritandi tempus hoc non est. quod nunc urget; sufficit intelligere, sic eum in me affectum, ut vitare congressum ejus causâ ipsius debeam, ne oggerendo tali articulo rerum homini misero, conspectu capitis invisi, abundè magnas infelicis calamitates novâ molestiâ cumulem. Hic me præcipuè metus prohibet ab eo adeundo: quamquam nec alia quæ iter istud dissuadebant, desint. Tu, per Deum partes meas exple strenui-

nuitate ſolicitiſſimâ. Patangatinis Combuturis & Bembaris mando, ut cum omnibus ſtatim quas utrobique repererint naviculis, aquâ & cibarijs onuſtis, illuc ubi eſt Præfectus advolent. Tu, pro eo quantum gratificari Deo ſtudes, omni conatu in rem incumbe. nec committas, ut aliquid tibi reliqui feciſſe videaris ad extremam contentionem ſubveniendi in tempore Præfecto ijs cladibus oppreſſo, quæ noſtrarum Miſericordiæ & Caritatis officia efflagitent diligentiſſimâ. veniunt in ejuſdem curæ partem eâdem cum illo conflictati fortunâ Chriſtiani plurimi, quorum præterea me reſpectus cogit hîc tu denuò etiam atque etiam orare ne quidpiam prætermittas quo promptum & efficax urgentibus tot ærumnoſorum malis accelerari remedium queat. Dominus Noſter ſit ſemper vobiſcum. Amen. Alendale Nonis Septembris An. CIↃIↃXLIV.

Tuus in Chriſto Amantiſſimus Frater.

*Franciſcus.*

EPI-

## EPISTOLA V,

## EIDEM.

CAriſſime in Chriſto Frater. Dignetur utinam nos Deus Sanctiſſimâ ſuâ Gratiâ: quando in iſtis terris nullo alio quàm ejus unius auxilio nitimur. Eram ego Trinchandure in procinctu proficiſcendi Virandapatanaum, causâ viſitandorum Chriſtianorum; prout feceram etiam Alendale & Pudicurimi, præter, de quo dixi, Trinchandurem. ubique reperi abundè quod agerem, & unde intelligerem quàm neceſſariæ ſint ejuſmodi viſitationes. Me igitur, ut dicere ceperam, accinctum ad iter ſtantem, admonent crebri ac trepidi undique nuntij, concitari vehementer, & tantum non ad arma conſternari feram Badegarum Gentem. cauſa commotionis ferebatur, quòd Luſitani quendam arctâ devinctum affinitate Beterbemali duci Latronum iſtorum, fratrem nimirum ejus conjugis, comprehenſum abducerent: quâ illi videlicet irritati contumeliâ, paſſim conjurarent ad exterminandum ex toto Comorini Promontorio Chriſtianum nomen

men vniversum. His cognitis raptim scripsi ad P. Franciscum Coëllium, ut eadem horâ quâ literas viderit, accurrat eò quò Comorinenses Christiani confugerunt, ut miserrimam Gentem autoritate, prout poterit, nostrâ protegat ab impendentibus hâc occasione ipsi graviſſimis malis. Scio percrebuisse apud Badegas famam nonnullius meæ gratiæ apud Iniquitribirimum, quem suum Regem appellant, & si ei nequaquam ad nutum obtemperant, imò quidam ex ipsis, quorum caput est Beterbemal, palàm obsequium exuerunt. Tamen quia in pleriſque regij adhuc nominis aliqua supereſt reverentia, multùm, ut spero, poterit Coëllij, hominis à me missi, & vices illic meas gerentis respectus, ad protegendam tali tempore afflictiſſimam plebem. Præsertim cùm, quod ejusdem me Coëllij docuerant literæ, non Badegæ solùm rebelles injuriâ rapti leviri Beterbemalis commoverentur: sed cæteri quoque à quodam ad ipsos recens appulso Iniquitribirimi Regis Travancoris cognato adversùs Comorinenses concitari dicerentur, apud quem ne in Christianos sævire vellet, multum valitura videbatur noſtra commendatio, utique hominum quos non ignoraretà

ſuo Rege aliquo in numero ac pretio haberi. Accedebat ad ſpem corroborandam, quod Coëllij pariter recentiſſimis literis compereram, deſtinatos ad me à Rege Travancoris tres quatuorve familiarium ipſius, quos ne jam ad me perveniſſent, prohibuerat viæ laſſitudo, ob quam Manapare ſubſtiterant. Hi Regis literas ad me ferunt, quibus orat: ne graver, neve cuncter ad ipſum accedere; eſſe enim ſibi res graviſſimi momenti quas communicari coram mecum & ſua ipſius multùm, & noſtra nonnihil interſit. quantum ex tanto intervallo poſſum introſpicere, non temerè ſuſpicari videor, hæc agere Regem, quòd favore Prætoris Indiæ nunc egere ſe plurimùm ſentiat. Audimus enim Satrapas infenſos ipſi, Pularum hîc celebri appellatione notiſſimos, invaluiſſe opibus, ac longâ proſperitate tantum coacervaſſe pecuniæ, ut meritò Rex metuat, ne largitionibus ingentibus Luſitanum Prætorem in ſuas attrahant partes, & auxiliaribus ab eo copijs juventur. Hæc notitia ſtatûs Iniquitribirimi rerum facit ut plus fidei tribuam ejus, quas modò accipio, literis, ſanè prolixè pollicentibus omnem à ſe favorem in Chriſtianos; quos etiam invitat in ſuas

terras ; ſpondens ſecuros & in plenâ tranquillitate victuros. His de cauſis illuc propero ; atque adeo in noctem hanc proximam diſceſſum hinc condixi meum, ſtimulante in id maximè curâ quâ uror intimè conſulendi quamprimum miſerrimis Chriſtianis è Tutucurino & Bembare ejectis, ut iis ſtationem certam tutamque provideam in terris ditioni Regis magni ſubjectis. Id enim primum omnium & ſtudioſiſſimè cum Iniquitribirimo conficiam, ut per eum aſſignetur certa regio indemni & tranquillæ commorationi miſerrimorum exulum iſtorum. Te interim omni arte ac diligentiâ curare cupio, ut ex deſertis iſtis Inſulis, ubi rerum omnium inopiâ conſumuntur, Combuturem ac Punicalem tantiſper migrent, ibique hoſpitaliter habeantur, quoad eis, uti dixi, providero. Memento ad me ſcribere copioſè ac minutim de rebus ac ſtatu Chriſtianorum omnium; præſertim Præfecti ac Luſitanorum, uti ſinguli ſe gerunt, & quàm proſperè agant. Cuperem etiam, ſi ſuffurari ad hoc tempus tuis urgentioribus occupationibus poteris, excurtere te iſthinc ad viſitandos Chriſtianos qui Combuture degunt, tum in Orâ Piſcariæ

Careas

Careas & incolas Pagi cujus Toparcha est Thomas de Motta: præterea illos qui sedes habent prope Patanaum. Gratissimum mihi esset posse tibi otium contingere istos omnes adeundi. nam quantoperè istiusmodi lustrationibus egeant, scio. Vtinam mihi vacaret illuc modò proficisci. nihil nunc quidem libentiùs facerem quàm inspicere ac censu accurato lustrare loca illa cuncta. Tu meis vicibus, quæso, fungere; & præ cæteris explora, quomodo ubique succedat & quâ fide curetur institutio Puerorum. Præposui, ut scis, per singula loca Pædagogos scholis. Horum ad Minerval, quod promisi, repræsentandum centum Fanoës sumes ad hoc ipsum depositos apud Manuëlem à Cruce tuum amicum qui Punicale habitat. Eam pecuniam impendes numerandâ, ut dixi, mercede ludimagistris ac catechistis; ex singulis intelligens quantum ego cuique solvere consuevérim. Cave credas ullâ in re meliùs collocari vel pecuniam vel operam. quin certum habe; plurimum te ad insigne Dei Domini Nostri obsequium acturum, si curaveris istam unicè necessariam rudis ætatis informationem, assiduè ubique, ac diligenter exerceri. Is

cui isthuc proficiscenti has literas tradidi, homo est, ut mihi videtur, valde bonus & magnis instinctus desiderijs Deo serviendi. excipe illum humaniter & apud te habe, quoad ego ab Iniquitribirimo redierim. vel si conducibile id judicaveris ad obsequium Divinum, & hoc ipsi placere videbitur, relinque illum Combuture, ut illic ad constructionem Ædis sacræ operam quam potest conferat. Audio tonsorem quendam isthinc discedere, facilè mihi occursurum quâ sumiturus viâ. Per hunc scribas velim copiosè de cunctis quæ aguntur. Sum enim in magnâ solicitudine de rebus cùm Lusitanorum, tum Christianorum, quo isthic nunc loco sint. Dominus Noster det nobis in alterâ vitâ plus tranquillitatis & solatij, quàm hîc experimur. Vale. Trinchandure VII. Idus Septembris An. CIↃIↃXLIV.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

EPI-

## EPISTOLA VI.

### EIDEM.

CAriſſime in Chriſto Frater: Tantum me delectarunt tuæ literæ, quantum nunquam ſatis exprimere ſcribendo poſſem. levarunt enim me curâ quâ intimè urebar de Præfecto, deque alijs eadem procellâ Domo ejectis. Sit utinam Dominus Noſter cum illis omnibus, ſicut & eſſe ipſum mecum cupio. Tertiâ feriâ duabus horis ante lucem miſi P. Franciſcum Coëllium ad Principem Regis Travancoris cognatum, qui Tale diverſatur, duabus à Manapare leucis. Exceptus eſt ab eo humaniſſimè. Cauſa mittendi fuit, ſpes iſto modo pacandi regionem hanc inquietiſſimo metu ſuſpenſam, ac paſſim conſternatam ob minas Badegarum. Vellem ante diſceſſum hinc meum his miſeris populis, ſi minùs plenam pacem poſſum, ſaltem quaſdam ærumnarum inducias relinquere. Dixit Princeps Coëllio, Beterbemalem ingenti feſtinatione mari tendere contra Regem magnum, animo cum eo confligendi. Alia mihi ratio legandi Coëllij fuit, ut im-

petrarem à Principe literas ad Adigares; quibus jubeantur permittere exportationem Oryzæ, & aliorum ad victum utilium. Eadem feriâ tertiâ post Meridiem, accepi literas tuas; & continuò expedivi certum hominem ad P. Coëllium cum Epistolâ ab eo reddendâ Principi, quâ illum rogo, ut scribat Adigaribus istius regionis, ne, quod hactenus fecerunt, obstent quo minùs alimenta Punicalem importentur: prætereaque ne Christianos infestare pergant; sed eis potiùs æquos se præbeant. nihil non moveo quò hanc, si possum, maritimam Oram aliquatenus quietam relinquam, ante meum hinc discessum Iniquitribirimum versùs. Spero autem me inde rediturum efficacioribus armatum autoritatis regiæ præsidijs ad resistendum iniquitati Adigarum istorum. Cras manè scribam ad Præfectum. non enim nunc scribendi otium concedit hujus Tabellarij festinatio. Expecto hac nocte Franciscum Coëllium. Postridie manè fusiores ad te literas quàm hæ sunt destino, nunc multam à me salutem nunciabis Paulo Vazio. & Matthæo dices: scribere me isthuc ad Manuëlem Crucium, ut illi numeret duodecim fanoës, quos à me petijt pro suo Patre, & Sorore, quam habet,

bet, paupere. Afferet materiam copiosioris, quam promisi, Epistolæ Franciscus Coëllius. Conjungat nos utinam Dominus Noster in suo regno. Amen. Manapare IV. Idus Septembris An. CIↃIↃXLIV.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA VII.

## EIDEM.

CAriſſime in Chriſto Frater: Antonius æger decumbit, nec nos poteſt juvare. Mitte ſtatim ad me Manaparem, Antonium Paravam, qui nobis miniſtret in quotidiano victu. Scribe, amabo te, recténe an ſecus agatur cum iſtâ nuper afflictiſſimâ Plebe. Solicitudo quam de ijs circumfero, me acquieſcere non patitur. Ejus unicum eſt ſolatium, doceri ſubinde quo loco res illorum ſint. Cum primùm ad Regem Travancoris pervenero, ejus expediri diplomata curabo, & ſtatim ad vos mittam, quibus Adigares ubique locorum jubeantur benignè

tractare Christianos. Ora Deum pro me: & dic Pueris, ut in suis Orationibus Deo me commendare meminerint. Manuëli Crucio inscribo schedulam collybisticam, cujus vi centum tibi fanoës numeret in sumptum institutionis Puerorum. Eam cum his ad te mitto. Dominus Noster suo vobis auxilio & favore semper adsit. Amen. Tutucurino XII. Kal. Octobris An. CIↃIↃXLIV.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA VIII.

## EIDEM.

CAriſſime in Chriſto Frater: cum appulſus Manaparem ſtarem in procinctu proficiſcendi ad Alexium Soſam, convenerunt me Naires duo, Tabellarij Epiſtolæ ad me ſcriptæ à quodam Luſitano, quâ me factum volebat certiorem, detineri ſe Bearime neceſſariâ causâ, & ibi habere literas ad me Præfecti Ærario regio, & quædam alia mandata, quæ niſi præſens reddere aut expone-

ponere nequiret. Hoc solum posse scribere: Ejusmodi ea esse, quæ novum meum cum Iniquitribirimo congressum postulent. Alexius Sosa Colanum se contulit. Ajunt eum à Satrapis, seu Pulis, valde offensum discessisse. An ex vano haustus is rumor sit, nondum ad liquidum comperi. Ego hinc jam nunc viam ineo terrestrem, à Comorinensi Promontorio, lustraturus obiter Christianorum obvios Pagos, & baptizaturus cùm recens natos, tum si qui adulti satis ad id dispositi occurrerint. Feriâ secundâ proximâ, nisi quem alium (quod tui juris facio) diem mavelis, cuperem invisi à Te Christianos Tutucurino exules: & quia in novis istis precarijs sedibus locum ubi conveniant non habent, eos extra septa tuguriorum evocatos congrega in puro campo, ibi que doce ac sacris procura. Nicolao Barbosæ seriò velim denuncies, ne istos qui Tutucurini, expulsorum inde priorum incolarum Domibus incubant, vocet ad piscatum Margaritarum. Mihi enim, cui aliquam in hoc autoritatem Rex & Prætor tribuerunt, neutiquam placere, contumaces adeo ac rebelles Christianos, aut, ut veriùs loquar, Apostatas, gaudere fructibus maris

nostri

noſtri . Concedatur id ſanè Punicalenſibus ; ac ſi quibus eorum cordi ſit circa Tutucurinenſes Inſulas urinari, conchis unionum matribus è fundo eruendis , per me licet , id faciant . Itaque ijs uti ſui quæſtùs Miniſtris Barboſa poterit . Sin duriorem ſe præberet , graviter mone à me hominem : etiam atque etiam ſuâ causâ caveat , ne quid novæ conſciſcat culpæ . abunde enim eſſe quæ aliàs plurima peccaſſe illum , non ſolus ipſe recordetur . multam opis Divinæ mihi per dubia viarum, ancipitia tractationum adfuturæ fiduciam colloco in tuis pro me , ac parvulorum quos iſthic habes , orationibus , quas noli me fruſtrà implorare . Tanto ego auxilio munitus vado erectâ fronte ac certo pectore contra terrores quos mihi Chriſtiani certatim intentant ; ſolicitè inculcantes , non niſi cum propè certâ pernicie terreſtre à me iter per has regiones ſuſceptum iri : quòd feræ quæ illas incolunt , gentes totum, quo in Chriſtianam Religionem flagrant, odium , in me haud dubiè , quo illam niti putant , effuſuræ videantur . Atqui , ut tibi mei animi pandam intima , tantum me vivendi tædium tenet , ut eo alliciar,

quod

quod illi ad deterrendum objectant. Iudico, inquam, multò mihi meliùs in odium Noſtræ Sanctæ Fidei ac Legis interfici, quàm vivere videndo tot in Deum peccata, quæ in noſtris quotidie oculis, fruſtrà impedire conantium, perpetrantur. Verè dicam: nullâ mihi magis re diſpliceo, quàm quòd obſtare nequiverim ijs quos noſti, tam immaniter Divinum Numen offendentibus. Dominus Noſter adſit ſemper vobis auxilio & favore. Amen. Manapare IV. Idus Nouembris An. CIↃIↃXLIV.

Statim diſcedo Pudicarem versùs. P. verò Franciſcus Coëllius it viſitatum Chriſtianos qui degunt Atapatanai.

Tuus in Chriſto Amantiſſimus Frater.

*Franciſcus.*

EPI-

## EPISTOLA IX.

*Cuidam è Societate* IESV *in Comorinum proficiscenti.*

CAriſſime in Chriſto Frater, Nudius tertius, hoc eſt, XVII. Kal. Ianuarias, perveni Cocinum. antequam illuc appellerem baptizaveram omnes quos adire potui Macuas, Piſcatores qui vivunt in Regno Travancoris. Scit Deus qui pervidet intima cordium, quàm libenter illuc continuò redirem, ut alterius quoque generis homines ibi degentes, nec ipſos abhorrentes à jugo Chriſti, ſacro univerſos lavacro tingerem. Sed Domino Proëpiſcopo videtur, ſpectare nunc ad majus Dei obſequium profectionem ad Dominum Prætorem meam, ut cum eo de Iafanapatenſi negotio tranſigam. Solvam Cambajam versùs altero abhinc tertiove die, in Cature benè inſtructo, brevi, ut ſpero, rediturus, rebus è ſententiâ confectis, prout Religionis & Gloriæ Divinæ rationes exigunt. Dominus Epiſcopus venturus hoc anno Cocinum non eſt. Proëpiſcopus autem cum primis navibus in Luſitaniam ſolvet,

vet, inde ad nos citissimè reversurus, prout ad Dei obsequium expedire id sciens, à Divinâ spero benignitate. Iacobus qui Goæ in Divi Pauli diversatur, magnis æstuat huc veniendi desiderijs. P. Magister Iacobus, & Dominus Paulus, cum universo Collegio benè valent. Accipio è Lusitaniâ magnum numerum literarum Goam recens perlatarum. In iis est diploma quo tibi fit potestas accipiendi Sacerdotij, etiam si nec Patrimonij ritè contestatum titulum proferas, nec Ecclesiastici Beneficij reditus, unde sustenteris, annuos habentis possessionem probes. verùm hâc quidem facultate tibi opus esse non puto. quandoquidem paratus est Dominus Episcopus, absque ullo rerum talium respectu, initiare te Sacerdotio, uti nuper initiavit Patres Manuëlem & Gasparem, quos hîc Cocini nunc habemus, mox in istam Domini vineam tecum fructificatum profecturos. Indicant quas dixi literæ, solvisse huc venturos è Lusitaniâ Socios Duos. de quibus quòd nondum appulerint, sum sanè solicitus; malè metuens ne aut hybernent Mosambici, aut mari ac tempestate contrarijs retrò in Lusitaniam coacti sint cedere. Ajunt alterum illorum Lusitanum

ortu

ortu esse, alterum Italum. utriusque magnas laudes Rex ipse prædicat suis ad me literis. Perducat utinam ambos nobis salvos propitius Deus. neutrum agnosco. non enim sunt ex illis quos Vlyssipone reliquimus. Plus sexaginta Iuvenes Nostræ Societatis literis nunc dant operam in Academiâ Conimbricensi, de omnium horum religione, modestiâ, ingenio ea scribuntur quæ ingens nobis argumentum suppeditent quàm maximas possumus Divinæ Bonitati laudes ac grates referendi. Fermè omnes in Lusitaniâ nati sunt: quo in primis gaudeo. de Socijs Italicis lætissimi quoque feruntur nuntij. Plus de his modò non dicam, quia spero me ante mensem vertentem congressurum tecum; quando dabo tibi legendas euntas istas ab Europâ literas. Tu simul hanc Epistolam legeris, fac oro te etiam atque etiam, per quantum Deum Dominum Nostrum amas, & ei gratificari studes, ut expedias continuò te ad eundum visitatum Christianos novos quos in Orâ maritimâ Travancoris nuper baptizavi plurimos. In singulis Pagis scholas institue, quò parvuli disciplinæ capaces quotidie cogantur, Præposito Magistro qui eos doceat. In hujus

Miner-

Minerval, & si quem alium hæc institutio sumptum requiret, tollas tecum censeo ex pecuniâ in id sepositâ fanoës centum quinquaginta. Eam summam disperties Ludimagistris per Pagos singulos, ubi eos inchoasse jam negotium, & tenere ordinem videris. nullum abiens relinquas cui non suæ pensionis partem numeraveris, quò alacriùs pergant; & ad probandam operam ostenso profectu puerorum, cum redierimus, excitentur, spe insuper, invitante quæstûs ulterioris. nullum omittas Mapale toto illo tractu, quantus patet usque ad Piscariam Majorem, ubi hæc Parvulorum conventicula quotidiana non & præsens celebraveris, & qui te absente continuent rectè provideris. In tuum ipsius victum pecuniam accipias à Præfecto. Manapare Tonum sumes qui Te Careapatanum perferat. Sed illuc antequam appellas, deflecte Monchurium. Vicus hic est Machuarum nondum baptizatorum. distat à cuspide Comorinensis Promontorij, non multò plùs leucæ unius spatio. Baptiza eos parati enim satis ad hoc sunt. & plurimùm se id cupere sæpe ostenderunt, allegatis ad me qui enixè rogarent, ne gravarer ad se venire baptizaturum cunctos.

ctos . nec mihi voluntas defuit obsequendi pijs votis: sed accingere ad iter istud sæpe me conantem urgentiores semper occupationes tenuerunt . Antonius Fernandez è Christianis Malabaribus secuturus te mox est, & brevi scilicet assecuturus, veloci & expedito Cature. Hunc perpetuum adhibebis comitem & arbitrum cunctorum quæ per illam Oram geres, quoad planè omnes illic sacro lavacro regeneraveris. Vir est in primis probus, & perstudiosus Divini honoris. Idem usum habet morum illius Gentis, & quâ ratione quibusve cautionibus cum eo genere hominum tractandum sit, callet . quod ille censuerit exequere: nec unquam aut ab eo dissenti, aut obsta quominus quidquid ei videbitur faciat . rectè quippe illi fiditur . sic ego illic faciebam, eventu semper tali, ut me nunquam pœnituerit . quare ut ejus consilijs deferas, totumque ipsi permittas, non modò hortor & moneo: sed vehementer etiam oro ac precor. Duc eò tecum Matthæum, & regium Accensum qui me comitabatur à Viranao Patanaum usque; præterea domesticos tuos Pueros & aliquem Canacapulam qui norit scribere, cujus manu exaratas relinquere possis

possis in quovis loco precationes à Pueris & alijs Catechumenis ediscendas, curâ & diligentiâ Magistrorum ubique statutorum Doctrinæ Christianæ. Eodem præterea uti Amanuensi poteris ad scribendas quoquoversùm, prout è re fuerit, literas: eodem lectore atque interprete ad eas intelligendas quæ ad te mitti è diversis ejus regionis locis subinde continget. Ac isti quidem Canacapulæ mercedem persolves suam, non ex pecuniâ in sumptum institutionis Puerorum destinatâ; sed ex eâ quam Rex in usum ac victum nostrum suggeri nobis præcepit, cujus pensiones statas Præfectus de more repræsentabit. Partes isthic unde discedis tuas baptizandorum & docendorum Comorinensium, commendabis abiens probo Sacerdoti Ioanni de Lizana. Francisci Mendez qui has ad te perferendas literas accinctus flagitat, tanta festinatio est, ut plura scribere nunc quidem nequeam. Dominus Noster suo vobis semper auxilio præstò sit, quantum ipsi mihi cupio. Cocino xv. Kal. Ianuarij An. CIↃIↃXLIV.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA X.

## IOANNI III. REGI LVSITANIÆ.

DOmine. Sic velim habeat Maiestas Tua, itáque secum, quæso, reputet: Deum Dominum Nostrum Tibi potissimùm, præ cunctis quæ sunt uspiam Christianis Principibus, harum Indiarum Imperium tribuisse, ut experimentum Tui caperet; probaretque quâ fide commissum negotium gereres, quôque officio grati animi beneficijs respondereś. Neque in hoc tam spectasse, ut regium tuum Fiscum ditaret proventu pretiosorum fructuum è terris exteris, & importatione Gazæ peregrinæ: quàm ut suggerendis occasionibus hēroicorum laborum, virtuti ac religioni Tuæ benignam materiam offerret commendandi se se, adducendis zelo tuo ardenti, operâque per Te adhibitâ gnavorum Ministrorum, Infidelibus horum tractuum ad notitiam Creatoris & Redemptoris Mundi. Iure igitur ac meritò impensè commendat Maiestas Tua ijs quos in has Regiones mittis, ut plurimùm elaborent in latè Propaganda

Nostra

Noſtrâ Sanctâ Fide, Religioneque augendâ; quandoquidem à Te intelligis rationem repetiturum Deum ſalutis tam multarum Gentium; quæ paratæ ſequi viam meliorem, ſi quis oſtendat, interim inopiâ Doctoris in cæcis tenebris ac graviſſimorum criminum ſordibus, & ſuum Creatorem continuè offendunt, & ſuas ipſi animas miſerè in æternum exitium præcipitant. Referet Maieſtati Tuæ quæ uſu comperta habet de docilitate harum Nationum ad Fidem, deque cæteris opportunitatibus quæ hîc ſe offerunt rei Chriſtianæ benè gerendæ, Michaël Vazius, qui Proëpiſcopus hîc fuit, hinc modò ad vos tranſiens. Is tantum ſui deſiderium Chriſtianis harum partium relinquit, ut remitti hùc eum ſtatim anno ſequenti ad conſolationem & præſidium ipſorum expediat: quamquam eſt cur id decernas tuâ ipſius causâ. Nimirum ut ſic exoneres in tam idoneum & induſtrium Miniſtrum, officium quo urgeris gravi, procurandæ in his locis Divinæ Gloriæ. Hoc enim tam fideli diſpenſatore, tamque experiente, iſti negotio præfecto, ſecurè potes acquieſcere: certus ipſum pro eâ excellenti virtute, quâ tot annis probatâ veneratio-

nem totius hîc populi meruit, nullam prætermissurum occasionem Religionis vel tuendæ vel augendæ. Iterùm etiam atque etiam rogo atque obtestor Maiestatem Tuam, ut si Dei obsequio & Ecclesiæ rationibus consultum vis; si tot probis & laudatis hominibus in Indiâ degentibus, si Christianis recens conversis ad Nostram Sanctam Fidem, si mihi denique quidquam in hac vitâ gratificari tanti ducis, iubeas ad nos redire Michaëlem Vazium Proëpiscopum, qui modò hinc discedit. Non aliæ mihi causæ hoc petendi sunt quàm obsequium Divinum, incrementum Nostræ Sanctæ Fidei, & exoneratio Conscientiæ Maiestatis Tuæ. Verè me loqui Deus Dominus Noster mihi testis est. Scio enim quantum talis viri desiderium, quanta necessitas in his Oris sit. Ergo ut officio satisfaciam, & conscientiam ego quoque meam deonerem, dico & profiteor Maiestati Tuæ, omninò necessarium esse, si cupis promoveri dilatarique Nostram Sanctam Fidem in his Indiæ Regionibus, si optas eos qui Ecclesiæ iam aggregati sunt, ab eâ non avelli, & ad patrias superstitiones redire, offensos ac deterritos multis iniurijs ac vexationibus quas graves patiuntur præsertim

à Mi-

à Miniſtris Maieſtatis Tuæ, ut hùc mittas Michaëlem Vazium, cui ſorte pectus & conſtans animus eſt ad obſtandum Perſecutoribus Chriſtianorum. Quamvis Epiſcopus ſit Prælatus tam conſummatæ virtutis, quàm revera eſt: tamen idem, quod Tua Maieſtas non ignorat, iam ſenio gravatur, totque morbis affligitur, ut ad labores ferendos quos ejus Præfecturæ accurata functio ſummos in hiſce Partibus iniungit, viribus corporis deſtituatur; utcumque animi vires in eo abundent, & in dies augeantur. Deus enim eum tantâ gratiâ dignatur, ut quantò magis in carne debilitatur, tantò plus corroboretur in ſpiritu. Quâ ſolet mercede Deus Dominus Noſter remunerari eos qui multos annos perſeverarunt in ejus obſequio; impendendo vitam & ætatem univerſas exantlandis ejus causâ laboribus maximis; quouſque referant quaſi plenam victoriam de ſuo corpore ſpiritui rebelli. Talibus quippe indulget Deus eum aſſiduarum contentionum fructum in ultimâ ætate, ad exemplum & perſeverantiam eorum quibus præſunt, quo veluti reiuveneſcere ſe ſentiant renovatione ſpiritualium virium, eo maximè tempore quo natura deficit, op-

preſſa incommodis decrepiti ſenij. Ita ut eâ proportione quâ ſenſim deficit vita in virtute tranſacta, mutetur corpus terrenum in ſpiritum cœleſtem. Quocirca Epiſcopo neceſſarium, nunc quidem, auxilium eſt ad tolerandos officij ſui labores.

Peto Domine Rex & per Dei obſequium obſecro, ut quâ ego rectiſſimâ intentione, ſynceriſſimâque veritate ſcribo hos verſus, pari Tua Maieſtas æquitate animi ac favore benevolo excipiat quod ſuggero. Nimirum ſolâ inſtinctus curâ honoris & obſequij Divini, deſiderioque vero exonerandæ conſcientiæ Tuæ regiæ, oro & flagito, ut non tantum per literas commendes tuis hîc Miniſtris res obſequij Divini; ſed etiam puniendis ijs qui officio hâc in parte defuerint, commendationem iſtam ſancias exemplis iuſtæ ultionis. Enimvero periculum eſt, ne à Deo Domino Noſtro Maieſtatem Tuam ad ſuum iudicium citante (quod futurum eſt quando minus expectatur; nec ſpes aut ratio eſt id declinandi) ne tunc, inquam, à Deo irato audias: cur non in eos animadvertiſti, qui à Te autorati, Tibique ſubditi, mihi erant in Indiâ contrarij: cum in eoſdem, ſi negligentes deprehende-

henderentur in tuis vectigalibus & Fisci rationibus curandis, severè vindicares? Nec scio, Domine, quanti ad tuam excusationem momenti habitura sit tali tempore responsio Tua, dicentis: equidem annis singulis cum isthùc scribebam, res Divini tui obsequij commendabam. Reponetur enim continuò: Atqui eos qui tam sancta ista mandata susque deque habebant, impune id facere sinebas. cum interim quos compereras in rerum tuarum procuratione parùm fidos aut strenuos, debitis pœnis subijceres. Per Ego Te, Domine, quo flagras zelum Gloriæ Divinæ, perque curam quam habes antiquissimam expediendarum apud Deum rationum officij proprij, ac conscientiæ deonerandæ, obtestor atque adiuro Maiestatem Tuam: Mitte huc idoneum cum autoritate necessariâ Ministrum, cuius vna cura sit, prospicere saluti innumerabilium animarum quæ hîc periclitantur: quique in eâ procuratione potestatem à Te habeat liberam ab imperio & ditione illorum quos vectigalibus & regni tui negotijs propriè vacare iubes: ut sic in posterum incommoda & scandala vitentur, quibus antehac multis & gravibus res hîc Christiana laboravit. Ineat

Maiestas Tua exactam rationem, & plenam secum summam colligat fructuum & temporalium bonorum quæ Dei beneficio ex Indijs percipis. Deduc inde quod hîc in Dei obsequium & causam Religionis expendis. Sicque cunctis prudenter æstimatis, inter tuas regias, & Dei ac cœlestis Regni rationes eam partitionem instituë, quam gratus & religiosus tuus animus æquam fore bonamque iudicabit: cavens, ne Creator rerum omnium parte nimis exiguâ largiter effusorum in tuum sinum Bonorum anguste ac parcè remuneratus à Te videri possit. Nec cunctetur in hoc diutiùs, aut procrastinet ulteriùs Maiestas Tua. Quantum enim cumque festines, sera iam hæc fuerit diligentia. Vrget me ad hoc scribendum vera & ardens mei cordis erga Maiestatem Tuam caritas; utique cum audire mihi videar voces ex his terris missas ad Cœlum Indiæ conquerentis, avarè secum agi à Maiestate Tuâ, quòd Proventuum uberrimorum qui ærarium ex ipsa tuum ditant, tantulam vix particulam in subsidium spiritualium ejus necessitatum longè gravissimarum conferas. Negotium salutis animarum in hoc tuo Indiæ populo, cui

pro-

prospicere ex officio incumbit Maiestati Tuæ, quo loco ac statu sit, cognoscere, opinor, non erit ingratum. Iafanapatæ & in Orâ Coulani, facilè ante annum vertentem plus centenis Hominum millibus ad Christi Ecclesiam aggregabuntur. Non loquor de Insulâ Ceïlano, cuius Regem utinam multus ille quo eum prosequeris emolliret favor, ne tam durè Christum Iesvm ab omni parte suæ ditionis excluſum vellet. Mittat huc quæso Maiestas Tua, quamplurimos è Societate Nostrâ, qui non modo sufficiant baptizandis & Christianâ Doctrinâ imbuendis tam multis Hominibus qui in hisce tractibus ad fidem Christi amplectendam inducuntur; sed etiam ex quibus abundent qui mitti possint Málacam, & in finitimas ei Vrbi regiones, ubi nunc plurimi Christo dant nomen. P. Magister Iacobus, & Dominus Paulus in Collegio Sanctæ Fidei versantur. Hi quoniam copiosè ad Maiestatem Tuam scribunt de illâ Sanctâ Domo, nihil in præsens de eâ dicam; nisi quod peto in summâ parte gratiæ, ne gravetur Tua Maiestas scribere Cosmo Agnezio, ut quando idem cepit, idem promovit Sanctum illud Contubernium, perducere ipse ad fastigium

gium plenéque absolvere ne desistat ; nec in hoc defatigetur : constituram enim ei à Deo primùm , tum etiam à Maiestate Tua dignam præclari operis mercedem . Franciscus Mansilla & Ego versamur in Promontorio Comorini cum Christianis quos fecit Michaël Vazius Proëpiscopus Indiæ . Nunc habeo mecum tres Sacerdotes ex Indigenis ejus terræ . Collegium Cranganoris , quod opus est Patris Fratris Vincentij , magnis incrementis adolescit: & , si Maiestas Tua pergat ei favere , ut hactenus fecit , è bono proficiet in melius . Est profectò cur plurimæ Deo gratiæ agantur ob fructum ad Christi Domini Nostri obsequium ingentem qui ex eo Sancto Collegio existit . Vnde , ut spes est verisimilis , paucis annis prodituri sunt viri Religiosi qui Malabarem universum , quantumcumque nunc vitijs & erroribus oppressum , ad pudorem salutarem sui miseri statûs sint adducturi ; & cæcis istis mentibus Christi Domini Nostri lucem illaturi , manifestaturique nomen eius , operâ & ministerio discipulorum Patris Fratris Vincentij . Oro & obsecro Dei causâ dignetur ei favere Maiestas Tua , tum cæterâ demonstratione regiæ benignitatis, tum indulgen-

gendo ipsi eleemosynam quam petit. Quandoquidem in his Indiæ regionibus spero me diem extremum obiturum ; nec umquam in hâc vitâ visurum Maiestatem Tuam, adiuva me quæso, Domine, Tuis orationibus, ut in alterâ vitâ, cum maiori utique quiete quàm quæ nunc est, videamus invicem ; postulando à Deo Domino Nostro pro me idem quod Ego viciſſim pro Maiestate Tuâ postulo ; nempe ut in hâc vitâ det Tibi gratiam sentiendi & agendi id quod in momento Tuæ mortis gauderes Te fecisse. Cocino XIII. Kal. Februarias Anno CIↃIↃXLV.

Tuæ Maiestatis Servus.

*Franciscus.*

## EPISTOLA XI.

### MAGISTRO SIMONI RODERICO E SOCIETATE IESV.

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri adsit semper nobis auxilio & favore. Amen.*

QVas Romam scribo literas, eas ad Te patentes mitto, ut ipse prius perlegas, & inde haustâ notitiâ rerum quæ hîc geruntur, inciteris ad submittendos nobis quotannis quamplurimos poteris Operarios Evangelicos. Nam talibus, quamlibet multi veniant, abundè hîc erit in quo ad Dei obsequium operam insigniter navent. Quod attinet ad tuam quoque ipsius in has Oras profectionem, equidem si confidere possem vires in Te ac robur corporis cum vigore animi paria facere, ultrò Te invitarem rogaremque multum ne venire gravarere: si tamen id P. Ignatius probaret, eiusque is Tibi consilij autor fieret: Pater enim noster est, cui obedire nos oportet, nec ejus iniussu vel pedem movere fas

fas est. De Iacobo Fernandio narro Tibi: vidisse me illum Goæ ante has fermè quatuor hebdomadas Salvum & benè valentem. Iucundè atque ex animi sui sententiâ diversatur apud Collegium Sanctæ Fidei, in Contubernio Magistri Iacobi & Domini Pauli; strenuéque ibi ad Dei obsequium contendit, eo fructu, ut eum nec istius commorationis, nec operæ pœniteat. Dixit mihi se fusè ad Te scribere; cui equidem magnoperè censeo rescribas; quando tantùm Te amat, & tuâ causa vult. Incredibilem ei voluptatem afferent tuæ literæ; maximè si in eis legerit; Tibi probari commorationem istam ejus in Collegio Goano ubi nunc degit. Franciscus Mansilla & Ego commendamus nos ferventibus orationibus tam tuis quam Sociorum omnium. Nos in has Oras longè submoti, tenues velut vestri clientuli, è vestrâ ope ac patrocinio spes ferè ac rationes suspensas trahimus. Quare vestrâ caritate dignum est (universim omnes & singillatim unumquemque compello) vestræ, inquam, benignitatis ac pietatis est, in vestris officio incensis & sacrificijs & precibus causam apud Deum nostram agere; & quibus multis hîc vehementer

ter

ter indigemus animi corporisque subsidijs ac bonis, ea nobis impetrare: adhibitis per vos eodem etiam suffragijs Externorum qui ductum in viâ spiritûs vestrum sequuntur. Multùm etiam Te rogo, & per Dei Amorem precor, scribe ad me, aut, si per te non potes, quibusdam Sociorum ut id agant præcipe. Scribatis autem fusè; nec summatim aut generatim solùm, sed etiam particulatim ac minutim indicando singulos Fratrum Nostrorum in Lusitaniâ, Romæ, alibi, degentium. Siquidem non alium reliquum habemus in hac vitâ fructum animi maiorem, quàm quem appellentibus hùc è Regno navibus, literarum istiusmodi lectione percipimus. Quam scribo Epistolam Socijs Romanis, communicabis, nisi grave est, Petro Carvallio summo Amico Nostro; eique nomine meo dices: meo, quoniam in Fratrum Nostrorum qui Romæ, quique in Lusitaniâ degunt, loco ac numero ipsum habeo, existimasse quas ad illos do literas, ad ipsum quoque pertinere; ac propterea separatim ei non scripsisse. Idem persuadeas velim singulis Fratrum Nostrorum qui isthic tecum sunt: videlicet eum esse meum erga quemque ipsorum amorem

verum,

verum, ut propriè unicuique scripturus fuerim, nisi unam istam Epistolam in solidum imputandam cuilibet, & sic vicem multarum considerem habituram, utili ipsis, mihi necessario compendio. Quas gratias & Indulgentias ad magnum usum harum Regionum, instante Prætore, dudum petendas Româ curavi; de quibus & hoc anno ad Regem scribo, rogo Te, pro eo quantum consolationem ac profectum Fidelis harum partium Populi cupis, quantumque Deo Domino Nostro gratificari atque obsequi studes, da operam apud Regem, ut is meminerit, & velit per suum Romæ Oratorem earum expeditionem urgeri. Iam ante hos annos aliquot, & iterùm hoc anno, scripsi ad P. Ignatium, ut impetret à Summo Pontifice Aræ maximæ Templi Goani quo Sanctæ Fidei Collegium utitur, Privilegium ejus geminum quo aliquot Romæ Altaria insignita sunt: ad quæ quoties quivis Sacerdos Missæ Sacrificium offert, toties unam purgantibus flammis animam liberat. Si & Tu nobis ad effectum huius voti conferre aliquid potueris, & Prætori, qui id enixè postulat, & Sancto illi Collegio ac Fundatoribus ejus, dignissimis quibus optata

ta contingant, rem feceris multò gratiſſimam. Fac quamplurimos iſthinc mittas in Indiam. Quò plures venerint eò latiùs extendentur Eccleſiæ Sanctæ limites. Doctus experientiâ, quanto damno publico hic deſit copia virorum ardenti zelo ſtudentium incremento Noſtræ Sanctæ Fidei ac Religionis IESV Chriſti Domini Noſtri, tam ſæpe urgeo, ut ad hanc iam albam meſſem Operarij mittantur. Deo, cui cordium intima patent, notum eſt quantoperè Te videre cuperem. incredibiliter lætarer amplexando & coram affando Te. Debes hoc virtuti Tuæ, & cæteris donis à Deo in Te largiter effuſis, horum ſpes præſenti uſu fruendorum, conſpectum mihi tuum multò deſideratiſſimum facit. Si congreſſus noſter mutuus ad rationes maioris, aut ſaltem paris obſequij Divini congrueret, quantis ex illo lætitijs penitùs mulcerer, quantâque voluptate Tibi coram inſervirem, ſolus novit, ſolus ad verum æſtimat, quem arcana mentium non fallunt, Deus. Neminem patiaris Amicorum Tuorum in Indiam cum Præfecturâ mitti, ad regias pecunias & negotia tractanda. Nam de illis verè illud ſcriptum capere licet: *Deleantur*

*de*

*de libro viventium & cum iustis non scribantur*. Quantumvis de alicuius fortè quem noris & ames, virtute confidas: tamen, mihi crede, obsta & quantum potes pugnane in istam obijciatur aleam; alioqui, nisi confirmatus in gratiâ sit, sicut Apostoli fuerunt, cave speres perseveraturum in officio, & constantem in innocentiâ futurum. Vis est, penè dixerim, quædam ineluctabilis quâ in præceps protruduntur, cum ad lucri pellaciam, ad prædæ opportunitatem, ad famem cupiditatis præsenti gustu irritatæ, torrens supernè ingruens exempli ac consuetudinis incubuerit. Invidiam, & tantum non culpam, furto usus publicus detrahit: dum vix dubitatur: fieri non malè quod impunè fit. Vbique, semper, rapitur, congeritur, aufertur. Semel captum numquam redditur. Quis enumeret artes & nomina prædarum? Equidem mirari satis nequeo, quot, præter usitatos modos; insolitis flexionibus, inauspicatum illud *rapiendi* verbum quædam Avaritiæ Barbaria coniuget. Inter hæc ubi evocantur ex hâc vitâ, miserabile est, quàm malè subductis, quàm perditè confusis spei ac salutis rationibus, infelices animæ ad Tribu-

nal inexorabile sistantur. Michaël Vazius hîc Proëpiscopi munere functus, isthuc proficiscitur. Homo est quo vix alium ardentiorem reperias zelatotem honoris obsequijque Divini. Non dubito quin visurus ipsum allocuturusque sis, & ex illâ quam in eo animadvertes pace lætitiâque animi, vehementi studio Divinæ gloriæ coniunctâ, confido Te informaturum notitiam & æstimationem veram laudum ac meritorum ejus; cui poteris tutò credere, copiosè ac plenè haud dubiè tecum acturo de cunctis quæ hîc geruntur. Scribo ad Regem de illo; suadens quantum possum ad exonerationem conscientiæ tum meæ, tum Maiestatis ejus, ut eum citò huc remittat. Eget enim eo viro incredibiliter India: quoniam hîc est qui Christi oviculas à vi defendit atque insidijs insatiabilium luporum. Homo est Michaël Vazius intrepidus & fortis; qui numquam deterretur ab allatrandis ijs qui recens ad Christi religionem aggregatos persequuntur & bonis evertunt. Si alium huius loco Rex mittere huc volet, quem reperiet (ut minimam Vazij dotium memorem) pari cum eo usu præditum Indicarum rerum, quibus per annos duodecim

decim non interfuit solum, sed etiam præfuit? quem, qui sic ametur à Bonis, timeatur à Malis? Planè sic habe: si alium Rex quærat, quantumvis in deligendo attendat, magno se exponet periculo aberrandi à scopo quò collimat. Quare age, rogo Te, seriò cum ejus Maiestate, ut hunc remittat. Vale. Cocino VI. Kalend. Februar. Anno CIↃIↃXLV.

Tuus verus & in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA XII.

*P. Francisco Mansillæ.*

CAriſſime Pater & Frater mi. Scit Deus intimorum meorum arbiter sensuum, quantò libentiùs agerem tecum coram, quàm hæc absens scribo; ut eò diligentiùs & pleniùs traderem tibi voce vivâ formam modumque isthic operandi, teque gerendi, ad rectè defungendum gravi, quod sustines, officio inserviendi Deo Domino in rectè

administrandâ novâ istâ Ecclesiâ, & invigilando in omnes partes custodiæ tibi creditæ tenelli gregis Christianorum istorum nuper aggregatorum in Christi ovile. Hæc tamen, utcumque modò licet, strictim insinuo, quia incertus quid me futurum sit, qualemcumque te admonendi occasionem arripere debeo. Det utinam citò nobis Dominus Noster, quam cupidè captamus & dudum expectamus, significationem certam suæ Sanctissimæ Voluntatis circa res & loca ubi accommodatiùs ad rationes Divini ejus obsequij collocare me operam ipsi cordi est. Eius ex nutu pendemus, per ipsius gratiam promptissimi ad continuò exequendum quidquid & qualecumque id fuerit quò se inclinare declaraverit. Habet autem interdum miros id manifestandi modos, tactûs arcanos intimè pertentantes fundum animi, ac luce penitùs cœlesti perfundentes, ut dubitare his radijs icta mens nequeat, quò sibi eundum, quidve aggrediendum è Dei voto sit. Verissimè dictum est, de mortalem trahentibus vitam, eos, ut statûs ac conditionis suæ officium teneant, Advenarum esse similes ac peregrinantium oportere, nullius implicatos affectu loci aut rei, quominus

nus liberè volitent & expediti emineant quocumque ratio itineris, ac ſpei compendium invitaverit. Ad hoc exemplum noſtra in primis in diverſas, adeoque contrarias regionum aut negotiorum partes pari vigens alacritate ſtare procincta debet animi præparatio; ancipiti obſequio prompta evolare protinus quò mittentis indicata propenſio flexerit. Ortus, Occaſus, Auſter, aut Boreas, perinde ſunt omnia; uno in his cunctis obſervabili ad electionem diſcrimine: ubi plus minuſve opportunitatis affulgeat Divini honoris luculentiùs utiliúſque promovendi. Certis indicatur mihi nuntijs: aperiri circa Malacam oſtium ingens Evangelio, & campum oſtendi quo excurrere induſtria, cum ſpe inſignis ad Dei obſequium operæpretij veriſimillimâ, videatur noſtra poſſe. deeſſe quippe illic operarios meſſi maturæ: ita ut ſatis conſtet, cur eorum tractuum plurimi ad Chriſti Religionem non convolent, unicam eſſe cauſam, quòd à nemine vocentur. Hæc me, fateor, occaſio, amplificandi Chriſti Regni & proferendorum Eccleſiæ finium, pellaciſſimè allectat: ſed tenet hîc Iafanapatenſe negotium, adhuc incerto fluctuans exitu. Hic unus deliberatio-

nis hærentis de meâ profectione Malacensi nodus est; quem si tempus explicuerit (quod sperabam fore intra imminentem Majum) repentè me conferam Malacam; ac si perspicere illic potero Deum velle uti operâ meâ in Insulis Macazaris (ubi Christi legem quidam amplexi recentissimè feruntur; eóque Rex ipse loci evocasse Malacâ Præcones Evangelij scribitur; quos ut impetrare potuerit vereor. nullos enim ibi puto ad id idoneos reperiri) si, inquam, ante finem mensis Maij planè constituero, eundum mihi Malacam ad hoc esse; non priùs solvam quàm misso ad Dominum Prætorem Tabellario certiorem eum mei consilij fecerim, atque ad Malacæ Præfectum commendatitias ab eo petierim, quibus jubeatur præstò esse auxilio & favore ubicumque nobis opus fuerit, Deo Domino Nostro inservientibus in conversione Gentium illarum. Hæc si ut destino succedent, & proficisci me in Macazariam res poscet, non conscendam tamen navem antequam te de re totâ literis Malacâ datis admonuero. Interim oro te ne frangaris aut defatigeris animo; neve contentionem remittas longis istis ac duris rudis Gentis excolendæ laboribus. Assiduè

con-

concursa Pagos istos universos, dicens quotidie ad populum, & diligentissimè cavens, ne quem uspiam recens natum infantulum Baptismo inexpiatum relinquas. Invigila præsertim in locis singulis in Institutionem Puerorum per quotidianas Catecheticas Scholas, sedulò instans ut ijs præpositi Magistri munere suo fungantur quàm accuratissimè. A Ioanne Crucio bis mille Fanoës accipies, quam ille pecuniam coëgit in sumptum institutionis Puerorum impendendam. quem eódem destinatum Fanoûm numerum P. Ioanni de Lizana reliquisti, ab eo repetes; & sicubi opus sit Scholas Novas erige, aut veteres instaura; omni solicitudine procurans, ut planè in cunctis Oræ istius universæ Vicis aut Pagis Pueruli elementa Christianæ Doctrinæ & orationes, quas debent mente tenêre, continenter doceantur. Tu nuspiam locorum istorum domicilium figes, aut moram trahes. Sed continuè lustrabundus omnes Ecclesias obibis, ut ego faciebam dum isthic essem. Sic pro certo habe, magnam te initurum à Deo gratiam. Cum essem Manapare cognovi de damno Ædi sacræ loci ejus illato, & quantâ ad id reparandum opus est pecuniâ, subductis ad exactum

rationibus, æstimavi. Ea summa petatur à Iacobo Rebello, apud quem ego ipse deposui duo millia Fanoüm, quæ donavit Rex Travancoris ad Templa Christianorum in suis terris extruenda. Ex his aliquid jam expendit P. Franciscus Coëllius. Id quantum sit, ex ipso poterit resciri. Ex illis quidem alijs à Crucio servatis bis mille Fanoibus, quamdiu quidquam supererit, totum in Scholas & Magistros insumatur. Idque, quod nunquam satis inculcasse mihi videor, ut constantissimè ac diligentissimè fiat, curare Te in primis cupio; perpetuis in orbem iterandis singulorum vicorum lustrationibus; nusquam omissâ Divini Verbi & Sacramentorum administratione, prout egêre Christianos ubique perspexeris. nec laicos tibi commendo solos; verùm Sacerdotes aut Clericos qui ex Gente Malabarum ordinati sunt, & ipsos explora vel in primis, seriò admonens, & quibus res poscit modis procurans, ut piè ac castè vivant, suis ad Dei obsequium ministerijs fungendis, salutari virtutis & innocentiæ exemplo Plebi proponendo. Omiseram circa Ioannem de Lizanâ te monere, ut in repetendâ de quâ dixi ex eo à te ipsi relictâ pecuniâ, deducas

de

de summâ Fanoës centum, quos ille mihi dedit mutuos cum tu esses Punicale, impensos à me in curam solitam Ecclesiarum & Catecheticarum lectionum. quare istud nomen ex pecuniâ impensis Scholarum assignatâ dispungi poterit. de cætero cavere te vel scrupulosè jubeo, ne quem in alium quantumvis bonum usum, argentum in salarium Catechistarum & Magistrorum corrogatum derivetur. Subvereor ne stomacheris me, quasi memoriæ diffidentem tuæ, eadem iterata sæpiùs oggerere. sed ignosce solicitudini æstuante affectu in cautiones fortasse supervacaneas excedenti; & boni consule rogari te denuò vehementer à me, duo ut ista summaria commendationis meæ instantissimæ capita primo semper loco teneas, ut momenti meo judicio gravissimi. Prius est de assiduâ lustratione Pagorum à te perpetuò cursante, nusquam hærente, irrequietè obeundâ, baptizandis ubique Pueris recens natis; adultioribus & Doctrinæ capacibus erudiendis, aut erudiri curandis. Alterum pertinet ad vigiliam acrem & intentam quâ te volo excubare in explorationem morum & exemplorum, quæ de se Plebi dant Clerici ortu Malabares; ne & ipsi

æter-

æternæ se damnationi obligent, & alios in Tartarum secum trahant. Si verò quid in ijs pravum deprehenderis, coërce, per Deum, ac castiga citò & fortiter. nam potestatem quam ad id plenam habemus, ut gladium in vaginâ, otiosam relinquere, urgente occasione vindicandi graviſſimas Dei offensas, præsertim cum multorum scandalo conjunctas, imputaretur nobis in scelus ingens & multis vix supplicijs expiabile. Cosmum de Païvâ fac adjuves in exonerandâ conscientiâ à furtis rapinisque plurimis quibus est per istam oram licentissimè grassatus; itemque à concussionibus, flagitijs & homicidijs, quæ occasione ex ejus effræni cupiditate natâ, perpetrari Tutucurini contigit. conveni privatim hominem, & ei amicè demonstra; quàm ad ejus honoris rationes interſit restitui ab eo pecuniam ijs per ipsum extortam quos Lusitani occiderunt. Scriberem ad illum, si sperarem inde ullum emendationis ejus fructum. Te velim monere ipsum meo nomine; haud cessare me posse ab officio urgente indicandi & Regi & Domino Indiæ Prætori, per literas aut coràm, pessima ejus facinora, ut pœnas ex ipso meritas repetant; tum agendi cum Principe Domino

Hen-

Henrico Sacri Tribunalis Quæstionum in Religione capitalium Præside, ut is pro supremâ in eo Ecclesiastico foro potestate, lege in ipsum agat, tanquam impedientem conversionem Infidelium, crudelissimè persequendis ijs qui recens ad Nostram Sanctam Legem & Fidem accesserunt. Adjunge post omnia: unum restare modum occludendi mihi os, & tam gravia in ipsum mox eruptura mala declinandi, maturam & illustrem pœnitentiam, operibus offensioni publicæ satisfacturis se prodentem; reddendis videlicet continuò malè partis, & cæterâ iuxtà disciplinam Christianam professione resipiscentis animi, ac cùm præterita scelera damnantis, tùm innocentiam pollicentis in posterum. Si fuerit adhuc isthic Ioannes de Artiagâ, nolim eum in istâ Orâ patiaris amplius consistere. atque adeo, ut inde facessere cogatur, serió denuncia Cosmo de Païvâ, ne ipsi quidquam deinceps pecuniæ ad victum necessariæ numeret, quod quidem imputetur nobis, qui utique non judicamus expedire versari eum amplius in istâ Regione. Vascum Fernanden hanc tibi redditurum Epistolam excipe hospitio. confido enim de Domini Dei Nostri Benignitate jam

in

in ipsum non vulgaribus gratijs expromi cepta, aggregatum hunc iri Societati Nostræ. Adolescens est frugis optimæ, ingentibus Deo generosè serviendi desiderijs flagrans. qualibus quàm æquum sit cooperari & favere nos impensè, profectò, ut non admoneam, per te perspicis. Expecto accuratas à te literas, prolixè docturas; ut ipse valeas, quo successu contendas, Christiani quos excolis, num & quantum proficiant: Cosmus de Païvâ ecquid jam resipuerit, jam quæ raptuit repositerit spoliatis ab ipso Christianis. Dominus Deus Noster præstò sit semper vobis auxilio suo tanto, quantum mihi ego ipsi cupio. Vale. Negapatano VII. Idus Aprilis An. CIↃIↃXLV.

Tuus in Christo Frater.

*Franciscus.*

EPI-

## EPISTOLA XIII.

### PATRIBVS PAVLO CAMERTI, IOANNI BEIRÆ, ANTONIO CRIMINALI, ET CÆTERIS SOCIIS. GOAM.

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri adsit semper nobis auxilio & favore. Amen.*

PRolixis literis quas ad Vos per P. Commendatorem misi, fusè vobis exposui, esse me in procinctu ad iter Macazarem versùs: sed quòd posterioribus inde nuncijs acceperimus, haud quaquam esse illic res tam bono loco ac nobis fuerat persuasum, non sum illùc profectus; cogitoque modò Amboïnum, ubi & multi iam Christiani sunt, & quæ cæterorum docilitas laudatur, multorum ad Ecclesiam facilè secutura videtur accessio. Inde ad Vos scribam quæ præsens videro de regionis ejus statu, deque dispositione Indigenarum ad fidem, ac fructu qui verisimiliter sperari ex laboribus ibi exantlandis potest. Pro usu

usu quem præsenti experientiâ mihi peperi rerum Promontorij Comorinensis & Goæ, quemque, Deo iuvante, comparabo Amboïnensis & Moluccensium Tractuum, cum eos inspexero, scribam ad vos in quibus potissimùm horum locorum collocari vestram industriam ad maius Dei obsequium videatur utilius. Quod nunc est, rogo Vos Carissimi Patres Ioannes de Beira & Antoni Criminalis, ut subitò ab his visis literis, expediatis vos ad quamprimùm eundum in Promontorium Comorini, ubi utiliorem Dei obsequio navabitis operam quam isthîc Goæ: unde assumetis P. Franciscum Mansillam, si forte ibi sit; ipse enim peritus est Comorinensis regionis, & ab eo intelligetis quo pacto vivere & operari vos illic oporteat. Omnino velim, si Patrem, ut dixi, Mansillam hæ literæ Goæ reperererint, ut ambo vos, eo tertio adiuncto, simul in Comorinum proficiscamini. Per Deum oro vos ne aliter faciatis; néve, quacumque demum obstante causâ, omittatis profectionem istam, quam planè cupio, & iudico necessariam. P. Nicolaus Lancillottus subsistet in Collegio S. Pauli, profitendâ ibi Grammaticâ, ad quod è

Lusi-

Lusitaniâ missus est. Quia confido Vos, quæ Vestras est Caritas, non aliud facturos quam quod hæc præscribit Epistola, plura de hoc non addam. Paule Camers carissime, multum oro Te, per quo IESVM Christum Amore prosequeris, ut acriter invigiles utilitatibus & conservationi Domûs istius. Ante omnia Tibi etiam atque etiam commendo, ut plenam perfectamque exhibeas obedientiam ijs qui ejus Domûs qualemcumque Præfecturam exercent. Sic habe: nihil Te ullâ in parte mihi gratius, nihil posse iucundius facere, quàm si planè ad nutum ipsis obtemperes. Equidem si isthic essem, nihil, ne minimum quidem quantulumcumque, facerem contra vel præter autoritatem & voluntatem eorum qui Sancto isti Domicilio præsunt; obsequererque illis diligentissimè in omnibus quæcumque mandarent. Optoque ac spero Deum intimo in animam tuam afflatu inspirationis suæ persuasurum Tibi penitùs: nullâ Te re maiorem inire ab se gratiam posse, plusque ad suum obsequium laudemque conferre, quam, ejus amore, abnegando tuam propriam voluntatem. Scribe ad me quæso singillatim

de

de cunctis noſtris Patribus ac Fratribus, præcipuè de P. Franciſco Manſilla, per navem quæ ſolutura iſthinc Moluccum versùs eſt. Scio Te id facturum fusè ac diligenter; & jam nunc præcipio ſpe ac deſiderio voluptatem quam mihi literarum iſtarum afferet lectio. Rogo Vos, Cariſſimi Fratres, orate continuè pro me quotidianis veſtris cum Deo colloquijs & Sanctis Sacrificijs. Indigeo peculiariter iſto à vobis auxilio propter diſcrimina quæ adeo, navigans in terras barbaras, omnis generis periculis infeſtas. Proficiſcitur hinc ad vos Simon Botellus, benè affectus erga iſtam Sanctam Domum. Referet illo vobis minutè de me ac rebus meis. Amiciſſimo illo utor, viciſſimque amo hominem plurimùm. eſt enim vir valde bonus & Dei amans ex vero. Rogo Te ut ejus amicitiam diligenter colas. Omnia illo in me veri Amici officia cumulatè præſtitit, dono mittens quantum opus fuit ad viaticum & inſtrumentum navigationis huius meæ, cum benevolentiſſimâ ſignificatione præſtantis caritatis. Remuneret utinam illum meâ vice, qui poteſt, Deus: quantum enim illi debeam, ſentio. Deus Dominus

minus Noſter, Cariſſimi Fratres in Chriſto, nos in ſuâ Sanctâ Gloriâ coniungat. quando in iſtâ vitâ tam variè diſperſi degimus. Malacâ XVII. Kal. Ianuarias Anno CIↃIↃXLV.

Veſter minimus Frater in Chriſto.

*Franciſcus.*




N S. FRAN-

# S. FRANCISCI XAVERII E SOCIETATE IESV INDIARVM APOSTOLI NOVARVM EPISTOLARVM. LIBER IV.

## *EPISTOLA PRIMA.*

## CATECHETICA.

*Ad Molueenſes, Scripta Anno* CIↃIↃXLVI.

IESVS MARIA.

DELECTAT Chriſtianos audire & noſſe quâ ratione, quôque ordine Deus è nihilo condiderit res omnes, in uſum obſequiumque Hominum. Principiò creavit Cœlos & Terram, Angelos, Solem, Lunam, Stellas, Diem item ac Noctem, Herbas, Fruges, Poma

ma omnis generis fructuſque arborum, Aves, Animantes quæ in terrâ vivunt, Mare, Flumina & Lacus, Animantia aquatica. Et hiſce univerſis conditis, noviſſimum omnium fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Primus Homo à Deo creatus fuit Adam, & prima Mulier Eva. Hos ambos cum formaſſet & animaſſet, ſtatuiſſetque in Paradiſo Terreſtri, ijs benedixit, eoſque invicem deſpondit, matrimonij fœdere conjungens. mandavitque ſic junctis, ut generarent Filios, & terram incolis frequentarent. Ex his Adamo & Evâ nati omnes ſumus. hinc propagatum quantum eſt uſpiam Gentium. Informatur iſto prototypo exemplo ſingularitas humani conjugij. Cum enim Sapientiſſimus Naturæ Autor non dederit Adamo plus unâ Conjuge, manifeſtum eſt contrariam Divinæ autoritati eſſe licentiam hujus generis, quam Mauri paſſim & Idololatræ, quodque eſt flagitioſius & dolendum magis, Mali etiam uſurpant Chriſtiani, multarum ſimul habendarum in contubernio Mulierum. nec ſi qui ſingularibus etiam Concubinis aſſueſcunt hujus exempli cenſuram vitant. non enim priùs autore Deo Adam & Evâ dederunt

operam liberis, quàm ab ipso Creatore, legitimo fuissent connubij nexu copulati. Quare fornicatores, utpote Divino, à quo sunt conditi, rebelles Numini, congruas suæ nequitiæ pœnas expectent. Agnoscant hinc quoque qui Pagodes adorant, quanto se scelere contaminent. dum Deo uno vero cunctorum Conditore relicto ac spreto, muta Simulacra & larvas stygias, phanatico errore venerantur. ac cum recta ratio clarè monstret, indidem petendam vitæ gubernationem unde vivendi principium ducimus, isti per sacrilegum furorem, præstigijs & sortibus, vanæque Ariolorum Divinationi spes rationesque committunt suas: salutis ipsorum hosti implacabili Diabolo eam fidem reverentiamque deferentes, quam Deo debebant autori bonorum omnium, à quo animam, corpus, quidquid sunt, possunt, possidentve, acceperunt; impietate non magis in se fœdâ ac detestabili, quàm miseris eam conscisentibus exitiali: quippe quos ea vesana superstitio Cœlis excludat, ubi paratum animabus Dei cultricibus diversorium æternæ commorationis est, omni gaudio affluens; beata sedes illius felicitatis, ad quam Creator summè beneficus Homines condidit.

quan-

quantò ſapientiùs veri Chriſtiani Deo Domino ſuo fideles, ei credunt, eundem in ſpiritu adorant, totâ mente, cunctis devoti cordis affectibus, unum ſolum verum ſupremum æternum Spiritum Cœli & Terræ molitorem amplectuntur; intimamque iſtam animi religionem externis obſequijs exprimunt, dum frequentant ſacra templa, ubi circum aras Deo vivo poſitas, vident imagines Chriſti ejus Filij, Deiparæ Virginis, Sanctorumque Dei Servorum, qui vitâ in ipſius ſervitio ritè tranſactâ, cum eo regnant in Gloriâ Paradiſi. Inter quæ auguſta monumenta, ſalutari memoriâ inſtincti repræſentatarum illic & rerum & perſonarum, genibus humi poſitis, manibus ſurſùm ſublatis, in Cœlum oculos & cor dirigunt, Deum ibi habitantem, in quo ſuum omne bonum ac conſolationem collocant, confitentes, his Sancto Petro tributis verbis: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem Cœli & Terræ.* Priùs creavit Deus Angelos in Cœlis quàm homines in Terrâ. Porrò major Angelorum pars Deum ſuum ſtatim adoravit, gratias ei & laudes referens, ob beneficium creationis. Lucifer è contrario, & cum eo multi An-

geli, debitam adorationem ſuo Creatori reddere noluerunt: ſed cum ſuperbiá dixerunt: Aſcendamus & evadamus ſimiles Deo qui Cœlorum tenet altiſſima. In pœnam huius ſuperbæ rebellionis, præcipitavit Deus Luciferum, & huic adhærentes Angelos, è Cœlis in Infernum. Lucifer ſic detruſus, videns Adamum & Evam primos homines, invidit ipſis gratiam in quâ fuerant à Deo creati: & ut eos inde deijceret ſuperbiam ejus ſimilem quâ ipſe de Cœlo deciderat, eis ſuggeſſit; obijciens conventis in Paradiſo Terreſtri, falſam ſpem aſſequendi honorem Divino parem, ſi pomum à Creatore vetitum comederent. Arrexerunt animos Adam & Evâ ad mendacem ſpeciem promiſſæ ſimilitudinis Dei, & tentationi conſentientes comederunt de fructu interdictæ arboris; exciderunteque ſtatim gratiâ, in quâ fuerant creati; moxque in pœnam ſuorum peccatorum, ejecit eos Deus Terreſtri Paradiſo. Vixerunt inde extra beatam ſedem in laboribus per nongentos annos, pœnitentiam agentes peccati, quod admiſerant. cujus tam inexpiabilis labes fuit, ut quantumcumque Adamus & ejus Filij luerent atrocium ſuppliciorum, inſufficiens eſſet ad ejus delen-

dam

dam maculam, ipsosque restituendos in spem priorem assequendæ felicitatis æternæ, ereptam justâ ultione insanæ superbiæ, quâ fieri concupierant Dei similes. itaut ex illo Portæ Cœlorum impenetrabilibus obstructæ repagulis permanerent, & ipsum Adamum & ejus Posteros inexorabiliter arcentes aditu gloriæ, cujus suo & illorum periculo peccans, jacturam fecerat irreparabilem. O Christiani; quid nobis infelicibus fiet? si tot Angeli propter unum superbiæ peccatum Cœlo præcipites exturbati sunt, & in imum Tartarum detrusi; Adam verò & Eva ob simile Superbiæ crimen, Paradisi Terrestris Beatam possessionem amiserunt, quæ spes ostenditur aut ratio, nobis scelerum omnis generis colluvione depravatis, emergendi unquam è fæce tam tenaci, & elutis maculis, enitendi ad cœlorum summa, ubi sedes sempiternæ immortalium animarum felicitatis est à Deo constituta? Conclamata profectò res erat: & humani generis planè certa, nec ullâ evitabilis ope damnatio ac pernicies extrema; quando Sanctus Michaël Amicus noster verus, & qui cum eo Angeli in subjectionis officio perseverantes, præmium constantiæ jam tulerant beatissimam fruitio-

nem sempiternæ in Cœlis gloriæ, miserati simul omnes humanæ naturæ calamitatem, coram Deo supplices procidentes, aliquod ab eo remedium ingentium malorum, quæ ex peccato Adami & Evæ in utriusque sobolem latè inundabant, impetrare, hujus ferè formæ precibus, conati sunt. Bone Deus, Clementissime Domine, ac Pater Gentium cunctarum: venit jam tandem tempus, & ab origine sæculorum expectatissima dies illuxit, quam misericordiæ in deploratissimos mortales expromendæ tuæ, æternâ destinatione præparasti. Ejus diei quæ restitutis in Divinæ gratiam adoptionis Adami filijs patefactura claustra Cœlorum est, Auroram en exortam nunc videmus, quandoquidem ex Sanctis Annâ & Ioachimo nata est illa Virgo sine peccato Adami super omnes mulieres Sanctissima, nomine Maria; cujus virtus & sanctitas supra omnia Deo minora excellens incomparabiliter eminet. Hæc cum adeò pura & illustris Virgo sit, videtur, non indignum opus fore tuâ Sapientissimâ Omnipotentiâ, si ex ejus sanguine virgineo digneris, quod facilè potes Domine, formare corpus humanum, sicut olim Domine, formasti corpus Adami, quando id

Sanctæ

Sanctæ Voluntati Tuæ placuit. In tale porrò corpus è puriſſimâ Virginis ſubſtantiâ formatum, potes idem Omnipotens Domine ſimul creare, ſimul infundere atque intimè unire animam unam aliquam eximiam, omnium quas unquam aut condidiſti, aut es conditurus Sanctiſſimam (interim eodem tempore decrevit Deus in arcano conſilio Trinitatis Sanctæ, perſonam Divinam in ventre Virginis Mariæ humanæ naturæ ſociare) ut ex iſtâ cunctarum præſtantiſſimâ Virgine naſcatur IESVS Chriſtus tuus Filius Mundi Salvator: univerſi. Sic Domine implebuntur ſcripturæ, ac fides conſtabit promiſſionum, per quas Te obſtrinxiſti Prophetis & Patriarchis Amicis tuis, qui nunc ijs freti expectant in Limbo Filium tuum IESVM Chriſtum Dominum & Redemptorem ſuum. Ita orantibus Angelis Sanctis Excelſus, Supremus, Omnipotens Deus motus intimâ Miſericordiâ noſtræ ingentis, ipſi perſpectiſſimæ miſeriæ, legavit è Cœlis Sanctum Archangelum Gabrielem in Civitatem Nazareth, ubi degebat Virgo Maria, cui, prout erat juſſus à mittente, dixit: Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus, Spiritus Sanctus ſuperveniet

niet in Te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; & quod nascetur ex te, vocabitur Iesvs Christus Filius Dei. Quibus ab Archangelo auditis, Sanctissima Virgo Maria respondit: Ecce Ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum. eodem puncto temporis quo Virgo Sanctissima, propositis à Deo per Sanctum Archangelum assensum præbuit, formavit Deus in ventre Virginis ejusdem, ex puriſſimo ipsius sanguine corpus humanum, cui simul creatam intimè conjunxit animam: & tunc Secunda Trinitatis Persona Deus Filius, in ventre Virginis Mariæ Incarnatus est, uniendo suæ Hypostasi Divinæ tàm animum illum, qnàm corpus utrumque Sanctissimum. Sub hæc à die quo Dei Filius Incarnatus est, ad diem ejus Natalem, novem omninò mensibus evolutis, Iesvs Christus Salvator totius Mundi. Deus & homo verus, ex Mariâ Virgine natus est; id quod profitens Sanctus Ancreas dixit: *Credo in* Iesvm *Christum Filium Dei unicum Dominum Nostrum*, cui statim subjunxit Sanctus Ioannes: *qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*. Bethlemi propè Ierusalem natus est Christus Dominus & Redemptor Noster. Ibi eum Angeli,

geli, & Virgo ejus Mater cum suo Sponso Sancto Iosepho; Reges præterea tres, & alij multi adoraverunt, ut Dominum supremum. Interim Herodes, qui regnabat Ierosolymis, timens ne regno, cuj cupidè incubabat, per hunc puerum pelleretur, voluit eum occidere: sed elusa ejus crudelitas est, IESV in tempore subtracto. nam ab Angelo Iosephus admonitus in somnis, Bethlemo fugit in Ægyptum, tollens secum IESVM Christum & ejus Matrem, Virginem, mansitque illic; quoad Herodes pessimâ morte vitam absolvit; tyrannus omni malo dignissimus; quippe cujus tanta fuit immanitas, ut in Bethleem & in omnibus finibus ejus, omnes parvulos à bimatu & infrà trucidaverit; IESVM Christum eâdem cæde comprehendendum existimans. Falsò id quidem. quippe servatus, ut dictum est, IESVS cum Virgine suâ Matre ac Sancto Iosepho, reversi sunt in terram suam & Civitatem Nazareth, præmonito de hoc ipso in Ægypto per Angelum, Iosepho. Factus inde IESVS duodecim annorum, ascendit Nazaretho Hierosolymam, in Templum, ubi erant Doctores Legis, quibus Scripturas Prophetarum & Patriarcharum, adventum Filij

Dei

Dei prædicentes, declaravit, tàm illustri miræ Sapientiæ specimine, ut passim omnes stuperent. Hinc reversus Nazareth, ibi mansit usque ad ætatem quasi annorum triginta. quando inde proficiscens ivit ad fluvium Iordanem, ubi erat S. Ioannes Baptista multos ad se accedentes baptizans: inter quos & IESVM quoque Christum baptizavit in Iordane. Ex eo se loco IESVS Christus contulit in Desertum Montem, ubi quadraginta diebus & totidem noctibus omni cibo potuque abstinuit. In eo Monte Diabolus nesciens Christum esse Dei Filium, impellere ipsum tentavit in peccata tria, Gulæ, Cupiditatis, & vanæ Gloriæ: sed cunctis rejectis Christus à Diabolo & à Monte victor descendit in Galilæam, ubi multos homines convertit; & multa dæmonia ex Energumenorum corporibus expulit, mandans ut unde facesserent. cui mandato statim illi, rebelles licet & contumaces Spiritus, parebant, mirante non sine causâ populo, & Doctrinam ejus Divinam sapientissimis concionibus probatam, tum præterea virtutem mirificam in curandis omnis generis morbis, famâ latè fusâ celebrante. Hinc multi scilicet ad fidem adhibendam

ijs quæ à tantæ autoritatis Magistro prædicabantur, persuasi, ægros qualicumque languore laborantes, undique certatim ad ipsum trahebant, qui eos omnes, Sanctarum suarum contactu manuum abstersâ lue quavis, statim dimittebat in Domos suas sanos & gratulantes. Post hæc vocavit IESVS Christus Apostolos duodecim & Discipulos septuaginta duos. quos secum circumducebat Vrbes & Pagos obiens, docendis mysterijs Regni Dei, concionando ad concurrentes turbas, & fidem ijs quæ tradebat conciliando frequentissimâ editione miraculorum ingentium. nam coràm omni populo Apostolis & Discipulis præsentibus, reddebat visum cæcis, loquendi facultatem mutis, auditum surdis, vitam mortuis, gressum claudis, motum paralyticis. quibus quotidiè cernendis Apostoli & Discipuli magis scilicet magisque confirmabantur in fide IESV Christi: qui tantam illis Sapientiam & Virtutem communicavit, ut rudes licet ac Piscatores illiterati, conciones ad populum haberent, supplente studij atque Institutionis humanæ defectum Divino Magisterio Filij Dei IESV Christi; cujus etiam invocato nomine, mira ipsi quoque Apostoli

opera-

operabantur; à morbis varijs & ab infeſſionibus malorum Dæmonum corpora hominum liberantes; ijſque humanam facultatem excedentibus factis, velut obſignantes quæ docebant de Adventu Filij Dei; ea quantumvis nova, abundè credibilia evincentes teſtimonijs tot ſignorum, minimè dubium Divinæ ſuffragationis characterem præferentium. Illuſtris hinc Chriſto Diſcipuliſque ejus latè per Iudæam parta claritas perſtrinxit oculos Primatum Gentis prætumidorum opinione ſui. quorum ij præſertim qui Pharizæi dicebantur, ſuperciliosiſſimi deſpectores omnis excellentiæ, cum etiam ſolerent indignari, ſi cuivis non ſuæ hæreſis ac ſectæ, laus vel mediocris Doctrinæ contingeret, facile æſtimatu eſt quanto ſuperbiſſimarum cruciatu mentium cernerent, audiri miro plauſu Multitudinis Chriſtum reprehenſorem dogmatum ſuorum, adeoque jam efferri ſtudijs Vulgi, ut nihil propiùs abeſſet, quàm ut ipſis ex arce quam dudum inſederant, autoritatis & exiſtimationis ſummæ, deturbatis, eò novus Magiſter, cum grege Piſcatorum illum ſequentium, promoveretur. Hac rabie inſtincti ſtygij livoris, univerſas decreverunt calum-

lumniæ artes intendere ad famam Christo unà cum ipsâ extorquendam vitâ. Ad hoc cum alios tunc potentes rerum artificiosis sunt sermonibus adorti, tum Pilati per id tempus Iudeæ Præsidis animum precibus, suspicionibus, criminationibus variè versatum, perpulerunt denique ad annuendam ipsis, quam ut quieti publicæ necessariam vehementer flagitarant, comprehensionem IESV. Obrepi eatenus sibi externus ille Rector passus est insidiosis machinationibus istorum: non ille quidem ignorans invidiæ ipsos propriæ, communis utilitatis fucosam speciem obtendere; sed aut pertæsus instantiæ importunè urgentium, aut demereri potentes in plebe studens, tanti duxit vel propriam quietem, vel alienam gratiam periculo redimere, clari quidem viri, & Eliæ ac Ieremiæ veterum, vel recentioris Ioannis Baptistæ facilè similis; non tamen, ut putabat, humano fastigio majoris. Si enim perspicuè novisset IESVM esse Dei Filium, haud ullo videtur perpelli potuisse ambitu ad eum invidentium furori condonandum. Capto porrò autoritate publicâ IESV, illud privatâ malignitate Scelerati ejus osores addiderunt, ut quàm contumeliosissimè crudelis-

deliſſiméque tractari eum per ſibi obnoxios curarent. Hinc ille concurſu ac convicio per vias ac plateas tractus, è Domo in Domum ad varia tribunalia raptatus, ſpretus, objurgatus, conſputus, cæſus colaphis, ad extremum deductus ad Pilatum eſt, cum falſis teſtibus, & infeſtis vocibus concitati populi necem ei crucemque depoſcentis. Hærebat Præſes tamen, innocentiæ delati conſcius; quoad intentato metu excidendi gratiâ Cæſaris, ſi deſignatum & mox rebellaturum Iudæorum Regem dimiſiſſet incolumem, inflexus ille ad votum accuſantium, IESVM, crudeliſſimè priùs toto corpore à capite ad calcem flagellis conſciſſum, Iudæis, idipſum immani vociferatione flagitantibus, crucifigendum conceſſit. Antè tamen quàm in Crucem tolleretur, ſubornato in ſpeciem jocularis Regis, coronâ in capite ſpineâ, ſceptroque arundineo in manu, illuſerunt Pharizeorum Emiſſarij, poſitis coràm, ironicâ veneratione, genibus Regem Iudæorum ſalutantes; moxque conſpuentes in ejus faciem, & crebris genas alapis tundentes; tum cannam extortam dexteræ, in verticem ſpinis obſeptum impingentes. Tandem in Monte Calvariæ, vicino

cino Vrbi Hierosolymæ, ipsum Cruci affixerunt. Sicque mortuus est in Cruce IESVS Christus ad salvandos Peccatores. ita ut Sanctissima ejus Anima verè à pretiosissimo ipsius corpore separata fuerit, quando is in Cruce expiravit. adhuc tamen tam animâ, quàm corpore, licet invicem disjunctis, unitis Divinæ Personæ permanentibus: quare sicut spiritus à Divinitate indivulsus avolavit, ita exangue cadaver, sive adhuc in Cruce pendens, sive depositum & sepulcro conditum, comitem secum individuam intimè conjunctam Divinitatem eandem ubicumque habuit, nusquam ab illâ destitutum. Cæterùm in morte IESV Christi Sol obscuratus est, proprio lumine amisso, Terra tota contremuit, scissæ petræ sunt mutuo illisu, Monumenta sponte mortuorum patuere, multis emissis corporibus Sanctorum Hominum, qui vitæ redditi, plurimis in Civitate Ierosolymâ se videndos præbuerunt. Quibus signis visis qui præsentes adfuere morienti Christo, convicti exclamarunt: verè utique illum Dei Filium fuisse. Hactenus narrata Sanctus Iacobus Apostolus profitens, adjunxit hæc jam dictis per alios Apostolos: *Credo in* IESVM *Christum qui passus est sub Pontio*

*Pilato*, *Crucifixus*, *mortuus*, & *sepultus*. Iesvs Christus erat Deus, quandoquidem erat secunda Persona Sanctissimæ Trinitatis: simul idem erat verus Homo; ut pote Filius Virginis Mariæ, constans Animâ rationali & corpore humano. Quatenus Homo erat, verè mortuus est in Cruce, quando est ei confixus. Mors siquidem aliud nihil est nisi separatio Animæ à corpore in quo & cum quo vivebat. Sanctissima porrò Anima Iesv Christi sejuncta est à corpore, quando is in Cruce expiravit. Tunc autem vinculo corporis soluta Anima illa Sacratissima, permanens unita Divinitati Dei Filij, ut semper antea fuerat ex quo Dominus Deus eam creavit, descendit ad Limbum. Est hic locus subterraneus in quo detinebantur Animæ Sanctorum Patrum, Prophetarum, Patriarcharum, Aliorumque multorum, illic congregatæ, expectantes omnes Adventum Filij Dei, à quo se liberandas & ex illo carcere transferendas in Paradisum sciebant. Semper usque à primo Rerum conditû vixerunt in Mundo Boni Homines, qui cum essent Amici Dei, & liberi professores veritatis quam cognoscebant, minimè dissimulare consueverant

rant in occursu Malorum quid sentirent. Reprehendebant enim Peccatores, increpando haud molliter scelera rebellantium inverecundè & impiè in Deum ac Creatorem omnium communem. Id pravi ac flagitiosi Homines molestè scilicet ferebant. Ergò instincti adjutique à conjurato cum ipsis, cujus auspicijs militabant, Malo dæmone, omnis generis maleficijs infestabant Bonos Dei Amicos, captivantes, exterminantes, nullâ non eos injuriâ & contumeliâ vexantes. Huic tanto Vitarum discrimini consentaneâ proportione respondebat diversissima conditio Animarum è corporibus per mortem emissarum. Earum siquidem quæcumque Bonæ, dum in vitâ degerent, fuerant; eæ corporum deinde vinculis per mortem expeditæ, in eum se, quem vocari Limbum dixi, conferebant locum. qui quoniam longè infra terræ superficiem profundo depressus hiatu est, Inferni quoque & Inferorum appellatione designabatur. non quòd illic, sicut de Inferno simpliciter dicto passim intelligitur, tortor ignis ardeat, aut vigeat alia vis noxia crucians animas; quæ mala sontibus reservantur. Istæ autem, prout decebat puras scelerum, Deo-

que gratas mentes, beatâ compoſtæ pace quieſcebant. Sed ſubeſt huic Tranquillæ Sedi Regio inferior, vocata Purgatorium, quoniam Fullonica hîc velut quædam eſt purgandis & perpoliendis Animabus, quæ mortalem quidem vitam capitalis inſontes criminis in Dei gratiâ clauſerunt: cæterùm aut levioribus inſperſæ nævis venialium culparum; aut nondum penitùs explicitæ ſequacibus debitis noxarum lethalium; revocatarum quidem ſalutari pœnitentiâ, non hâc tamen adeò plenâ & perfectâ, ut ſupplicij perſolvendo piaculo requiſiti omne in ſolidum nomen expunxerit, hærentes adhuc labes ex concretâ olim tabe, mordaci velut limâ tormentorum acrium pergunt eradere. quoad exæquatis ad libellam culpæ ac pœnæ ratiunculis reſiduis, cunctiſque harum reliquijs patiendo exhauſtis, liber Spiritibus in terſiſſimum denique nitorem defæcatis, aditus panditur cernendæ hereditati, cujus interceptam pœnali dilatione poſſeſſionem per legitimum ſpatium tulerunt. Vltimus ſubterraneorum locus eſt Infernus infimus, ſive Tartarus, ſedes miſerrima tam horribilium incendiorum inextinguibiliter urentium, aliarumque omnis

nis generis adeò intolerabilium ærumnarum, ut si mortales serió quotidiè, per horulæ spatium, meditando incumberent ad informandam, quamcumque assequi per hanc vitæ caliginem possunt, istiusmodi tormentorum imaginem, næ illi magis abhorrerent à tot tantisque flagitijs sceleribusque conscíscendis, per quæ ludibundè ac facilè sese obligare, luendis per totam æternitatem diríssimis hisce supplicijs, non dubitant. Ibi est Lucifer Princeps rebellium Deo Spirituum. Ibi omnes ejus Sectam secuti Dæmones, illuc è Cœlo detrusi. Ibi cuncti quotquot ab orbe condito ultimum spiritum extra Dei gratiam efflarunt homines culpæ lethalis Rei. In hanc stygiam fornacem qui semel sunt conjecti, æternùm sine spe gemunt, sensu semper puncti vivo ingentium & innumerabilium malorum, quorum nec remedium, nec laxamentum, nec solatium vel minimum, posse ipsis undelibet contingere per infinitam sæculorum omnium perennitatem, persuasíssimum habent. O Fratres mei: quæ ísthæc (malum) dementia nostra est! ita nos securos ab omni Tartari metu vivere, cum criminum in dies atrociorum congerendis in Con-

ſcientias noſtras ſtruibus, flammis illis ſempiternis materiam ſeduló paremus. An non hoc indicium eſt evidens noſtræ, non dicam modicæ, ſed planè nullius fidei? quippe quam etſi lingua profiteatur, manus tamen & vita certiori argumento refellit. ut recuſare nequeat, qui ſe Chriſtianum ferens, licentiam uſurpat, in peccando, Mahumetanorum & Idololatrarum, quin ſi quando ſeſe dicat credere ignes Infernos, & pœnas nullo terminandas fine Dei Legem migrantibus ſervatas, fallere ac mentiri judicetur. Eccleſia, vel Fidelium in Terris militans, vel Sanctorum cum Deo regnantium triumphans in Cœlis, nunquam orat pro mortuis in infimum Infernum relegatis; quippe quorum in omnem æternitatem Paradiſo excluſorum ſpem planè conclamatam irreparabilemque ruinam norunt. Verùm ambæ Animabus in Purgatorio gementibus benignâ ſuffragatione opem ferunt: uti & pro ſalute adhuc in vitâ degentium ſolicitæ, gratias illis conantur impetrare, quarum auxilio exitioſiſſimum in æterna incendia Tartari, lapſum effugiant. Chriſti IESV Sextâ Feriâ mortui Anima Sanctiſſima Divinitati ſemper juncta deſcendit

dit in Limbum: & quotquot illic Animas reperit adventum ſuum expectantes, eduxit inde: tum die tertiâ, quæ fuit Dominica, ſurrexit à mortuis, ſuam iterùm Sanctiſſimam Animam rejungens eidem corpori quod in Cruce exſpirans reliquerat. Mox redivivus & dotibus beatæ immortalitatis vigens, apparuit Matri primùm ſuæ Mariæ Virgini Sanctiſſimæ, deinde Apoſtolis & Diſcipulis, aliiſque ſibi caris, eo ipſorum gaudio, quo & abſtergeretur, & abundè compenſaretur moeror ex ejus morte ipſis graviſſimus obortus. Suis etiam Inimicis & Crucifixoribus per Diſcipulos obtulit veniam, réque ipsâ præbuit, quotquot admittere voluerunt. Hi non pauci fuere. nam miro eventu contigit, plurimos qui Chriſto credere viventi, prædicanti, ac prædicationem ſignis ingentibus confirmanti, pertinaciſſimè recuſaverant, ei non ampliùs viſo vel audito, ſed teſtimonio Diſcipulorum ipſius reſurrexiſſe à mortuis credito, fidem plenam adhibere; in ipſo ſpem ponere; ejuſdemque, ut Dei ac Salvatoris hominum, cultum religionemque profiteri. Hactenus expoſita ſic ſe habere Sanctus Thomas affirmavit his verbis: *Cre-*

*do in* IESVM *Christum qui descendit ad Inferos, & tertia die resurrexit à Mortuis.* Mansit Christus in terris postquam resurrexit à mortuis per dies quadraginta; duplici, quantum intelligitur, de causâ. Primùm, ut planè persuaderet Discipulis se resurrexisse: deinde ut eos doceret quid agere deberent. Adeo ij turbati fuerant inexpectatissimo eventu mortis ejus, tantumque absorpti tristitiâ ex eo acerbissimo casu natâ, ut ægerrimè adducerentur ad credendam ipsius resurrectionem. nec una ad id alterave satis foret apparitio. morâ opus erat, & multiplicatis per iteratos congressus vitæ verè resumptæ indicijs manifestissimis. Hoc ut suaviter, & modo infirmitati humanæ accommodato Benignissimus Dominus ageret, triumphalem in Cœlos ingressum suum quadraginta dierum spatio distulit. crebris interim Discipulos sermonibus erudiens, quid credere ipsi, quidve facere, quid Gentes deinde omnes docere, quidque persuasis de Dogmate, operandum præscribere oporteret; ut tam ipsi quàm cæteri homines ipsorum prædicatione crediturі, pervenire ad Regnum Cœlorum possent, & eò se præcessurum suo tempore

pore subsequi. Consecutus utrumque quod optaverat, & cùm ejectâ omni penitùs ex cunctorum Discipulorum mentibus dubitatione de morte ac resurrectione ipsius verissimi Dei Filij ac Salvatoris hominum; tum satis omnibus edoctis de Regno Dei, hoc est de Ecclesiâ fundandâ, deque ipsis Dogmatibus tradendis; tum de Sacramentis & cæterâ Christianâ ubique terrarum per Apostolos instituendâ disciplinâ, causam in terris morandi nullam ampliùs Christus habens, profectus cum Mariâ Virgine suâ Matre, cum Apostolis & multis alijs in Montem Oliveti, cunctis ijs spectantibus, Cœlorum inde summa conscendit, liberatos è Limbo Patres secum ducens. Tunc patuerunt altæ Cœlorum fores, effusique obviam omnes Angeli triumphanti Domino, pompam fecerunt procedenti usque ad Thronum ipsi paratum ad dexteram Dei Patris. Eódem reversus, unde priùs descenderat, carnem humanam in sacrâ Genitricis Virginis alvo sumpturus. Illic sedet Advocatus peccantium, causas agens nostras apud Patrem, & iram ejus justam exarmans, auxiliaque submittens, quibus adjuti damnationis æternæ fugere periculum possimus.

Hæc

Hæc est sententia Articuli Symboli Sancto Iacobo Minori tributi : *Credo in* IESVM *Christum, qui ascendit in Cœlum & sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis*. Quia verò hîc Mundus sicut habuit initium, ita suo terminandus fine est ; ut sua ei clausula ritè, ac quemadmodum est consentaneum Divinæ Conditoris providentiæ, contingat, non priùs hoc commercium humanæ Societatis, hæc generationum latè sese propagantium successiva varietas desinet, quam de cunctis omnium Hominum cogitatis, dictis & operibus æquum judicium feratur, debitâ cuique mercede constituendâ. Iudex supremus IESVS Christus est ad istam causarum omnium exercendam cognitionem è Cœlis descensurus, prout eum certissimè facturum, jam tum in ejus è terris ascensu denuntiatum per Angelos est. Is forum aperiet, in quo universi qui unquam & uspiam fuerunt homines vadimonium sistent, coràm inexorabili Arbitri cuncta scientis, Omnipotentis, Tribunali, ad quæsita responsuri, num propositis ab Ecclesia dogmatibus crediderint ? num præcepta servaverint ? qui sic fecerint in Gloriam Paradisi admittentur : qui verò credere recusaverint,

verint, quales sunt Mauri, Iudæi, Gentiles, eos ignis excipiet æternus, ubi nulla Redemptio. qui autem fidem quidem professi fuerint, ut Mali Christiani, mandatis verò Decalogi obedire neglexerint, ij pariter Christi Iesv irrevocabili sententiâ flammis æternùm usturis addicentur. Antequam hæc fiant, instante Mundi exitu, omnes qui tunc vivent homines morientur. Est enim hoc naturæ debitum nulli non solvendum; utique cum eâ conditione quivis homo nascatur, ut aliquando vivere desinat; cujus legis cum ne Christo quidem Dei Filio gratia facta sit; manifestum est, quàm temeraria & irrita spes foret cujusvis alterius id sibi privilegium spondentis. Cæterùm non suâ causâ Iesvs est mortuus, sed pro peccatis nostris, mox tamen resurrexit propriâ virtute, ut & resurgendi nobis fiduciam resurrectione sanciret suâ, & acerbitatem necessitatis moriendi Pijs bonisque Amicis suis, exempli proprij communione temperaret. Ergò vel si qui Sancti & omni virtute perfecti in Mundo fortè reperirentur, quando ejus statutus imminebit finis, haud est putandum eos citrà mortem transferendos in speratam

& pro-

& promeritam ipsis felicitatem. verùm ij quoque mortem priùs gustabunt, ac sic cum cæteris vitæ redditi, suis quisque, ijsdem quæ priùs habuerant, corporibus resumptis, sed per beatas dotes in statum reformatis meliorem, transibunt in sortem promissæ felicitatis. In hunc modum Christo Iesv ad supremum exercendum Iudicium è Cœlis descendente, omnes à primo ad ultimum homines, priùs mortui, resurgent, omnes ab eo judicabuntur, Boni pariter & Mali: verùm ingenti, & in omne deinceps ævum immutabili, discrimine, illis ad gaudium, his ad exitium gemitumque perpetuum transituris. Hanc Sanctus Philippus profitens veritatem, dixit: *Credo in* Iesvm *Christum è Cœlo venturum ad judicandos vivos & mortuos*. Quando Christiani Crucis formâ nos signamns, Sanctissimæ Trinitatis Fidem certam profitemur. Id mysterium hujusmodi est: Deum unum solum singularem credimus & colimus, sed Trinum eundem in Personis. Prima persona Deus Pater, non est factus, nec creatus, nec genitus. Secunda Persona Deus Filius, est genitus à Deo Patre, non factus nec creatus. Tertia Persona Spiritus Sanctus

ctus procedit à Patre & Filio, non creatus nec genitus. Id indicamus quoties nos signamus, expressâ per manûs motum Crucis figurâ. Ponendo enim dextram in fronte, simulque pronunciando *In nomine Patris* demonstramus Deum Patrem nec factum nec genitum esse. Postea demittendo manum eandem ad infimum pectus, pariterque dicendo: *& Filij*, significamus Deum Filium à Deo Patre genitum non factum nec creatum. Porrigimus deinde manum in humerum sinistrum dicentes interim, *& Spiritus*; tum eandem retrahendo ad humerum dextrum, dicendo, *Sancti*, declaramus Sanctum Spiritum à Patre & Filio procedere. Hanc bonus omnis Christianus sine ullâ dubitatione tenere ac confiteri Fidem debet, consubstantialem Patri ac Filio, ex utroque procedentem Spiritum Sanctum credens, adorans, magnificans; qui suis sanctis inspirationibus nos à peccatis revocat, & movet corda nostra ad observanda decem Mandata Legis Dei Domini Nostri & præcepta Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ; inclinat etiam ad exercenda opera Misericordiæ Corporalia & Spiritualia. Hoc de Sancti Spiritus Divinitate

dogma

dogma complexus est Sanctus Bartholomæus his verbis : *Credo in Spiritum Sanctum*. Quicumque Christianam amplexi Religionem, ejus officium tenere ac Fidem præstare decrevimus, non modò credere, tanquam ad salutem necessarium, sine ullâ dubitatione debemus, quidquid de Christo ipso Domino, Deo simul & homine, Apostoli, Discipuli, Martyres & Sancti omnes crediderunt : sed etiam pari necessitate adstringimur universi ad persuadendum certissimè nobis, institutam ab eo in terris fuisse Catholicam Ecclesiam, cui qui præsunt à Sancto Spiritu diriguntur. ita ut dubitare nullo pacto liceat quin, quæ illi præscribunt observanda, & tradunt tenenda, recta & vera sint. In ijs enim quæ universali consensu cunctis pariter agenda vel vitanda decernunt ; uti & in illis quæ circa vetera dogmata, vel subnascentes de ijs controversias, maturo consilio definiunt, habent sibi promissam Divini Spiritûs assistentiam, quâ errare non sinantur. Sanctos igitur Canones Patrum, Decreta Conciliorum, Edictaque universalia Pontificum Summorum à Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque

Præ-

Prælatis Ecclesiæ proposita, pronâ veneratione, certâ fide, prompto debemus obsequio excipere; planè persuasi, juberi eadocerique autoritate ac Sapientiâ Christi Domini, per quos sibi substituit Ministros suam Ecclesiam gubernare, & ad finem ipsi præfixum æternæ salutis dirigere pergentis. Hoc nobis commendare voluit Sanctus Apostolus & Evangelista Matthæus quando dixit: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam*: Illud etiam pro certissimo tenemus quotquot non falsò Christianum nomen gerimus: merita operum heroicorum quæ Christus in vitâ mortali agens patiensque, Patri obediendo, in salutem hominum ingentia congessit, communicari, & influxu quodamintimo proficere veris omnibus Christianis in Dei gratiâ perstantibus. Ita ut quemadmodum in corpore naturali membra invicem communicant quod cuique inest bonum, vigore se in cunctos artus, ex capite præsertim, propagante: ita in corporemystico (quale est Ecclesia cujus caput Christus est) membra singula, hoc est, Fideles cuncti, hauriunt succum arcanum quo vegetantur & augentur ex unigenito Dei Filio Christo Iesv, cui ut vertici adhærent. nutri-

trimentum enim inde illis intimum affluit alimoniæ cœleſtis, per canales maximè ſeptem Sacramentorum derivatum. Ea ſunt Baptiſmus, Confirmatio, Chriſma vulgò dicta, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, Matrimonium. quibus ſacris myſterijs quicumque cum debitâ diſpoſitione initiantur, illi gratiam habitualem accipiunt vel augent; qualitatem animæ vivificam à Deo conceſſam indignis per ſe mortalibus, intuitu Sanctorum Operum à Chriſto dum viveret in terris patratorum. Quia enim ille, ut Patri obſequeretur, tot mala toleravit, tot ac tantas injurias & contumelias volens pertulit, dolores denique acerbiſſimos Crucemque ac mortem ultrò ſubijt, mercedem quantamvis illis factis eſt lucratus. Porrò idem ex ſe felix tali lucro non indigens, jus ad illud ſuum in nos transfert, ſibique imputat quod ex illâ nobis proficit. Hinc quæ confertur nobis gratia, fructus meritorum Chriſti eſt, & influxus quaſi capitis in membra. Quemadmodum verò non ſolum caput ſubjectis artubus, ſed membra etiam ſe occultis afflatibus mutuò fovent, alunt & vegetant; ita, præcipuè quidem, non tamen omninò unicè,

unicè, ditamur participatione thesaurorum quos Christus è rectè à se factorum & patienter in vitâ mortali toleratorum pretijs congessit. Voluit quippe idem etiam è cumulo gratiæ apud eum partæ Servorum suorum Fratrum Nostrorum laudabilibus actis & laboriosis perpessionibus, in nos aspergi ac promanare quidquam. Sic, illis orantibus, nobis impetratur; illis vice nostrâ patientibus, aut præteritas suas perpessiones offerentibus, nos pœnæ debito solvimur. Bona denique omnis generis opera eorum, nobis in Dei gratiâ, & in Ecclesiæ corporis compage perstantibus, variè prosunt, salubri effluvio commeabilis in connexa redundantiæ. Agnoscimus præterea profitemurque, Deo Domino Nostro vim ac potestatem inesse remittendi peccata, hoc est, abolendi maculas ac condonandi pœnas facinorum pravorum, per quæ, abutentes arbitrio nostro nos homines, à Deo secedimus, & contra eum rebellamus; ideo meritò excidentes ipsius gratiâ, in quam nos antea benignè admiserat. Confitemur etiam & credimus, istam potestatem à Christo Domino datam & communicatam fuisse Sacerdotibus Ecclesiæ

Catholicæ : vi cujus communicationis, autoritas nunc illis competit absolvendi à peccatis, quoscumque satis paratos invenerint, ut coram Deo ritè solvi culparum vinculis possint. Quare conscios Dei offensi id seduló agere oportet, ut dignâ exhibendâ scelerum suorum pœnitentiâ, se ad promerendam peccatorum veniam, & sic assequendam salutem Animæ, disponant. Ea enim controversia vertitur in sacro, cui se sistunt, Tribunali, Sacerdote Iudice, digni nec-ne ij sint, qui beneficio absolutionis impertiantur. Accusator idem qui Reus in isto foro est. Arbiter Sacerdos causam cognoscit, diligenter cuncta pro tantæ dignitatis officio, considerans. Confessio peccatorum mortalium omnium integrè à Pœnitente debet fieri, nisi tempus, ut in subitis periculis, ad id plenè peragendum desit. universis satis cognitis, pronunciante Sacerdote absolutionis formulam, Dei gratia rursùs infunditur Pœnitentibus, per quam delentur peccata quibus priùs eorum animæ deformabantur; & æternæ pœnæ, cujus pro ijs debitores tenebantur, certa ipsis remissio conceditur. Vtrumque istud Doctrinæ Catholicæ caput amplexus San-

ctus

ctus Simon his verbis est : *Credo Communionem Sanctorum , & remissionem peccatorum* . Quia verò fieret injuria Divinæ Infinitæ Bonitati atque Iustitiæ , nisi certò crederetur ; haudquaquam omissurum Deum largè remunerari eos qui illi fideliter inserviunt , observandâ exactè Sanctissimâ ipsius lege , aut è contrario dignis pœnis afficere nefarios contemptores , sui Numinis & mandatorum ejus pervicaces transgressores , credimus omninò futuram *Resurrectionem carnis* , hoc est, omnes planè quotquot vixerunt antehac , vivimus hodie , vivent post nos, Homines , resumpturos in fine Mundi reviviscendo corpus idem quod cum morerentur habuerunt : & in eo deinde perpetuò victuros in tormentis aut in gloriâ . Ita enim necessarium planè est , ut Deus Dominus Noster pro suâ rectissimâ & incorruptissimâ Iustitiâ, hinc quidem æternis gaudiis refoveat corpora Sanctorum , qui suos sensus & membra laboribus in vitâ mortali continuis subjecerunt , tolerantes etiam , ne à Dei Amore divellerentur , insultûs & plagas Persecutorum , eos ad Dei offensam pertrahere vi omni ac dirâ crudelitate contendentium . In quo etsi virilis

pars, Animæ in officio perſtantis, fuit: tamen cum corpora quoque fraudata ſibi convenientibus bonis, vexata, torta, immaniter non rarò iſtâ occaſione lacerata fuerint, digna ea quoque ſunt quibus pars quietis, lætitiæ ac gloriæ conſentanea contingat. Inde ex adverſo non minus erat conveniens, corpora flagitioſorum hominum, qui dum viverent, nullo legis Divinæ reſpectu, omnis generis nequitiâ ſe licentiſſimè inquinaverant, gulæ & obſcœnis cupiditatibus, ſpretis Dei mandatis, obſequentes, caſtigari ſuâ vice; ac illicitâ libidine appetitas voluptates, impoſitâ invitiſſimis, ignium nunquam extinguendorum æternâ tolerantiâ, luere; ſicque vel ferò intelligere: quantum malum ſit, Dei ſummè venerabilis ſupremum Numen, contemnere atque irritare, fuiſſe auſam viliſſimam creaturam. His de cauſis reſurgent, ut dixi, omnes homines boni pariter & mali, magno illo die Iudicij ſupremi; Animæque illorum eadem quæ naſcendo acceperunt, & uſque ad mortem animarunt, iterùm induent corpora; ijs nexu deinceps in ævum omne indiſſolubili devinctæ; cum ijs ituræ, prout vitæ cujuſque merita erunt, aut in

Cœ-

Cœlum ad regnandum cum Christo in Gloriâ Paradisi, aut in Tartarum ad gemendum cum Diabolo. Hoc voluit promulgare Sanctus Thadæus quando dixit: *Credo resurrectionem carnis*. Quoniam autem noster animus ad imaginem & similitudinem Dei Omnipotentis factus, inquantum naturæ spiritualis est, præditus potentijs Divinas perfectiones referentibus, scilicet, Voluntate, Intellectu, Memoriâ, atque, ut talis, instinctus ab ortu est, innato quodam & à conditore afflato desiderio, suo se prototypo jungendi, frustrà istum fuisse tam excellenti creaturæ à Creatore ipso inditum semper vigentem appetitum, credendum utique non est. Sed pro indubitatissimo potiùs tenendum, prout omnes Christiani persuasissimum habemus; futurum, Deo adjuvante, humanum animum, nisi per ipsum stet, tanti voti compotem, & perventurum ad fruitionem Summi Boni, quam vitam æternam dicimus. Et hujus quidem, jam ante resurrectionem corporum in Dei gratiâ defunctæ, ac plenè purgatæ peccatorum reliquijs Animæ, possessionem ineunt, ad Deum jam tum videndum ac fruendum admissæ. cæterùm

istam felicitatem sine interpellatione ullâ, resumptis suo tempore rursusque copulatis suis sibi, sed longè meliori conditione, corporibus, in perennitatem finis expertem propagabunt. Toto illo immensæ sempiternitatis spatio gavisuræ cum Deo in Cœlis inter Angelorum Beatorum Innumerabilium, & Sanctorum hominum statûs ac conditionis omnis, festo plausu triumphantes Exercitus; Dei Domini Creatoris & Domini communis benevolâ & beatificâ præsentiâ, cunctis simul omnes bonis cœleſtibus cumulante. Quorum bonorum tam excellens est sublimitas, ut quantumvis cogitando aut ratiocinando conemur in hac vitâ mortali, nullam unquam possimus ideam earum aut imaginem informare mentibus, quæ ad rei veritatem vel longo intervallo sese admoveat. adeo insuspicabilis illa Divinæ largitatis se totam in sibi caros Beatos effundentis magnificentia est. Tamen hoc exiguum quod de illâ ineffabili felicitate, quasi balbutiendo, dicere possumus, abundè illam nobis expetibilem ostendit. Ibi nimirum læti ac tranquilli florentissimâ pace vivunt Sancti, nullâ cujusquam querelâ, nihil ipsi quo quemquam incu-

incuſent habentes ; cari cultique omnibus, universos viciſſim amore ac veneratione ſuaviſſimè complexi ; cunctis abundantes, non dicam quibus egent, ſed quæ deſiderare ad conſummatam gloriam gaudiumque poſſunt, ſine ullo ullius ſenſu, appulſu, aut metu, mali ; beatiſſimâ contra Bonorum omnis generis omnium copiâ & tam profusè abundante, ut vota excedens, etiam in ſæculorum interminabilium uſum ſufficiat ; & tam certâ tamque tutò cuſtoditâ, ut timeri periculum nullum unquam poſſit ejus vel intervertendæ vel minuendæ. Hoc intellexit Sanctus Matthias quando dixit: *Credo Vitam æternam.*

## EPISTOLA II.

## IOANNI III. REGI LVSITANIÆ.

DOmine. De Rebus Religionem & Dei Domini Noſtri cultum atque obſequium ſpectantibus in his Oris Malacæ &

Molucci, confido Maiestatem Tuam ad minutum distinctè cognituram ex literis quas scribo ad Societatem in Europam; cum quibus sunt etiam rescripta ad literas huc ad nos datas à Te, Domine, quem habemus & agnoscimus præcipuum & verum Protectorem universæ Societatis Iesv; amore ac beneficijs cumulatè talis nominis officium explentem. De statu Religionis, ac Christianitatis Indiæ, Pij ac Religiosi Viri qui ifthinc ad Vos, studio promovendi Divini obsequij, se conferunt, Tuam Maiestatem plenissimè docebunt. Præterea Pater Frater Ioannes de Villa-comdea fidelis Dei Minister, & multâ præditus experientiâ rerum quæ geruntur in Insulâ Ceilano, de illis scribit quæ ad exonerandam conscientiam, tam ejus, quam Tuæ Maiestatis, significare ipsum & Te cognoscere, vtriusque interest. Ea ille fusè claréque, ac summâ fide differit, partim in Epistolâ inscriptâ Tuæ Maiestati, partim in Actis ac Commentarijs simul missis: quæ mihi omnia communicavit. quare dignam rem suâ cæterâ sapientiâ fecerit Maiestas Tua; si tam fidâ notitiâ rectè utens, quamprimum ea iusseris quæ ad defungendum

dum

dum tuo hac in parte munere ac officio, necessariò decernenda videbuntur. Denique, Fratres quoque meos è Societate, existimo & ipsos scribere ad Maiestatem Tuam; redderéque singillatim ac minutè rationem Christianitatum Comorinensis, Goanæ, & aliarum quæ per hos Indiæ Tractus aut jam conditæ sunt, aut quotidie condantur augentur-ve. Quod ad me privatim attinet, multum ac sæpe cogitavi, deliberavique cum animo meo, ecquid exponerem per literas Maiestati Tuæ quod mihi circumspicienti quæ hîc fiunt, & attentissimè cuncta reputanti, faciendum videretur ad latè disseminandam in his Terris, & firmiter stabiliendam Nostram Sanctam Fidem. Hinc quidem impellebat ut aggredere, studium obsequendi Deo & ejus promovendæ gloriæ: deterrebat aliunde ne auderem, quòd desperarem extiturum inde operæpretium. neque enim in rem unquam conferenda confidebam quæ proposuissem. Atqui tacere salvo officio haud mihi videbar posse; utique cum appareret, non sine certo consilio concessum mihi Divinitùs, ut hos penitùs animo sensus conciperem. Nec comminisci poteram veri-

verisimilius quidquam cur Deus ista mihi aperire voluisset, nisi vt à me indicarentur Maiestati Tuæ: & tamen rursus verebar, ne si quod me angit exponerem, hæc mea Epistola forte in horâ mortis accusaret apud Deum Maiestatem Tuam, aggravaretque conditionem ac periculam illius Iudicij supremi, demendâ Tibi excusatione ignorantiæ. Credat mihi quæso Maiestas Tua, id me non mediocriter angebat. quippe cum mihi essem intimè conscius, nihil me spectare aut cupere hîc aliud, nisi laboribus me conficere, & vitam ipsam profundere in salute Animarum per hos Indiæ Tractûs procurandâ: vt sic detraherem quantum possem de orere officij incumbentis Tibi; & defungendâ parte commendati Curæ Tuæ muneris, expedirem rationes Conscientiæ Maiestatis Tuæ; securioremque Te in Iudicij extremi terribili aleâ præstarem. quod vt tuâ causâ velim, & quavis contentione ac ærumnâ meâ bene putem emptum, meretur ingens Tuus in Nostram Societatem Amor. Hæ contrariæ, Domine, solicitudines, inter officij mei & tui periculi alternantes metûs, mirè miseréque, vt verum fatear,

meum

meum ad se quæque variè trahentes, discerpebant confundebantque animum; quoad denique in eam partem deliberatio confedit, quæ defungendum semel, exonerandamque effusione diù pressorum sensuum conscientiam præscribebat meam. En igitur quæ à me in his Indiarum, Malacæ ac Moluci Regionibus, præsenti, eâque longâ, experientiâ comperta, convulnerant mihi mentem & ægritudine conficiunt. Pro certo habeat Maiestas Tua; in his locis, uti & alibi, plerumque omitti multa quæ fieri ad Dei obsequium expediret, ob quasdam Sanctitatis specie fucatas, revera vitiosas & valde noxias æmulationes; arcanis offensiunculis eos invicem committentibus qui rebus hîc gerendis præsunt. Dum quidam ait: meum est hoc agere; nec alteri concedam ut ejus facti laudem tollat. Alius contrà: quando ego non hoc facio, à vobis fieri non gaudeo. Ecce alter diversè queritur: Ego pondus diei porto, & labores exantlo: gratiæ ac fructus operum proveniunt alijs. In istas altercationes ardescentibus studijs, pro se & scribunt & satagunt, quò suam quisque rem promoveat. Inter hæc tempus

pus consumitur, occasiones elabuntur: locus non relinquitur proferendo cultui Dei Domini Nostri. Nec dissimili de causâ sæpiùs evenit, ut quæ magnum honorem præcipuamque utilitatem allatura Maiestati Tuæ fuerant in Indiâ, negligantur. Vnum isti malo remedium excogitavi, quod si adhiberetur, & multi, ni fallor, Christiani fierent in his Tractibus; & qui ex ijs, quòd apud Potentes gratiâ careant, expositi sunt iniurijs, cari commendatique Magistratibus forent: vt nemo eos vexare, nemo spoliare, neque Lusitanus neque Indus auderet. Hoc autem est: vt significet Maiestas Tua, vel per literas Prætori ac Præfectis qui jam sunt in Indiâ, vel voce coràm, ijs quos huc mittes rebus præfuturos, clarè inquam iis significes ac certò denuncies: Te incrementum Nostræ Sanctæ Fidei, quod præ omnibus cupis, præcipuè, ante omnes Religiosos & Sacerdotes qui in Indiis sunt, ipsi Prætori aut loci Præfecto commendare; in eo præsertim confidere; ab eo repetiturum rationem; ei quod benè, quodve perperàm actum in eo genere fuerit, totum imputaturum, præmioque aut supplicio repensurum.

rum . Atque in eâ declaratione, quò minus esset interpretationibus obnoxia, cuperem equidem nominatim exprimi nos omnes qui versamur in his locis ; negando, in quemquam nostrûm, aut in omnes simul, deonerare Te ullam partem officij quod conscientiam Tuam gravat ; sed in eum solum qui à Te autoratus Prætoris aut Præfecti potestate, locum quemcumque obtinet, vbi rei Christianæ gerendæ qualiscumque occasio est . cum enim Deus Maiestatem Tuam isto graviſſimo constrinxerit officio, consulendi videlicet æternæ saluti subiectarum Tibi Gentium, non alijs à Te id debere demandari, quam Vicarijs autoritatis isthic Tuæ, & personam Tuæ Maiestatis, dignitate Magistratûs, repræsentantibus : quorum alicuius negligentiâ si eveniſſe comperias, ut non multi Christi Fidem, eo gubernante, in loco ipsi commisso susceperint, pœnas quæ ob neglectum obligationis tantæ in tuum ipsius impenderent caput, Te in ipsum aversurum ; cum jam antea clarè denunciaveris, totum istud graviſſimum officium, imbuendas curandi Fide Christi animas Infidelium Tibi subiectorum, Te in tuos Primarios horum tractuum

ctuum Miniſtros exoneraſſe. Quoties igitur ad Te Prætor aut Præfectus ſcribet, exponat quo loco Chriſtiana res ſit: quot & qui quales-ve crediderint ex Ethnicis: quæ ſpes ſit quæve facultas adducendorum aliorum. Literis ejus ſolis, in his quæ de hoc genere feruntur, fidem adhibiturum Te; alijs quorumvis eo de argumento ſcriptis, non acquieturum. Quod ſi eo in loco vel Provinciâ cui quiſque præeſt, eo tempore quo præfuit, parùm aucta numero Neophytorum Eccleſia Noſtra Sancta fuerit, cum conſtet multùm ubique ac ſemper augeri poſſe, modò Præſides velint; ſeriò ac fide regiâ denunciet Maieſtas Tua ipſis in Diplomatibus quibus eos inſtituis & poteſtatem confers, Te pœnas ab ipſis repetiturum. Idque percuperem Te iureiurando confirmare; pollicerique palam interpoſito ſolemni formulâ conceptis Verbis Dei Nomine; Te, per quemcunque Præſidem ſteterit, ne Fides propagetur: eum, poſtquam redierit in Luſitaniam, mulctaturum bonis, & pecuniam ejus remque familiarem univerſam in Opera Miſericordiæ expenſurum; ac præterea vinculis ipſum & durâ cuſtodiâ multis annis detentu-

tenturum. Claréque moneas ne errent, ſibique blandiantur, quaſi minæ deducendæ in rem nequaquam ſint. certo enim certius, Te nullas, quæcunque obtendi poſſint, excuſationes accepturum: vnamque reſtare ipſis viam Tuæ ſeveritatis evitandæ, promerendæque gratiæ, ſi quamplurimos, locis & temporibus quibus rexerint, effecerint Chriſtianos. Cur ita fieri neceſſe ſit multis poſſem experimentis, quæ mihi ſunt perſpectiſſima, demonſtrare. Sed hærere in his nequeo, ne moleſtus ſim Maieſtati Tuæ; & meas ærumnas præteritas ac præſentes, ſine ſpe operæpretij, recitem. Tantum dico: Si Prætor aut Præfectus, quicumque ſit, certiſſimè ſibi perſuaſerit, talia ex vero à Maieſtate Tuâ dici, planéque ita facturum Te ſicut denunciaſti ac iuraſti, vno anno univerſa Inſula Ceïlani, & multi Oræ Malabaris Reges, totumque quam latè patet Comorini Promontorium, Chriſti Religionem amplectentur. quamdiu vero Prætores aut Præfecti locorum Indiæ non vrgebuntur iſto metu dignitatis & rei familiaris amittendæ, niſi Chriſtianos plurimos fecerint, nullum magnum ſperet Tua Maieſtas ſucceſſum prædica-

dica-

dicationis per Indias Evangelicæ ; certissimumque habeas , nec accessuros multos ad Baptismum , nec qui accesserint multùm in Religione profecturos . neque omnino per aliud stare quominus quotqnot vivunt Homines in Indiâ Christi Divinitatem agnoscant , & ejus Sacram Doctrinam profiteantur , quàm quod , qui Prætor aut Præfectus id curare neglexit , nullâ per Majestatem Tuam gravi pœnâ mulctatur . Et quoniam vix spero id umquam futurum , parum abest , quin me hæc scripsisse pœniteat : ubi præsertim reputo ; forsitan Majestatem Tuam ex hoc ipso quod Te de hoc admonui , inexorabilius apud Dei Tribunal judicandam . nec scio vtrum tali tempore admittenda sit exceptio quâ forte allegabis : Te non fuisse obligatum ad fidem adhibendam meis literis . Ex animi mei sententiâ , summâ fide ; profiteor Majestati Tuæ , me nequaquam scripturum hæc fuisse , quæ hactenus exposui , de Præfectis aut Præsidibus horum Tractuum , si posse me reticere ista sine crimine , persuadere mihi ullo modo potuissem . Nondum , Domine , planè constitui an sim iturus in Iaponiam : sed magnum mihi momentum ,

tum, vt in consilium eò proficiscendi propendeam, addit, quod valdè diffido adfuturum mihi hîc in Indiâ eum verum & efficacem Magistratuum favorem qui esset necessarius ad incrementum Nostræ Sanctæ Fidei, & ad conservationem Christianitatis jam factæ. Obsecro atque obtestor Maiestatem Tuam, per, quo Deum Dominum Nostrum prosequeris, amorem; quôque flagras ei gratificandi, studium, ut tuis fidelissimis per Indias Subditis, mihique cum illis, tantum regiæ istius indulgeas gratiæ, vt proximo anno multos Nostræ Societatis Concionatores hùc mittas. Nam Tibi Domine verissimè denuncio, multùm talibus egere Arces tuas Regias per Indiam; tum ob Lusitanos qui in illis Præsidijs degunt, tum ob novos Christianos qui subiectis in Vrbibus aut Pagis vivunt. Expertus loquor. quæ, inquam, vidi, quæque præsens sensi ad hoc scribendum me impellunt. Quo tempore Malacæ, quôque in Molucis fui, bis quolibet die Dominico, aut alioqui festo, ad Concionem dicebam. Id ita facere cogebar, quòd egere plurimum & milites & populum qui ibi sunt, multi-

plicato Divini Verbi pabulo videbam. Lusitanos igitur de sacro pulpito docebam ad matutinum Sacrum : à prandio Filios, & Filias, prætereaque Mancipia ipsorum, & liberos ex Indigenis Christianos, accomodato ad captum cuiusque sermone erudiebam ; Capita Christianæ Doctrinæ singillatim edisserens. Certo verò infra Hebdomadam die ad congregatas in Templo vxores Lusitanorum, tam Indigenas, quam ex vtroque genere mixtas, concionem Catecheticam habebam de Fidei Articulis & Sacramentis Confessionis & Communionis. Paucis annis ingens operæpretium ad Dei obsequium extaret, si hîc docendi tenor constanter in locis omnibus vigeret. Intra ipsas porrò, Arces tradebam per id tempus quotidie Doctrinam Christianam post meridiem liberis Lusitanorum vtriusque sexûs ; Servis item & Ancillis eorumdem, ac Christianis Indigenis. ex quâ Institutione præsens fructus extabat, quòd Idololatricæ superstitiones & magicæ præstigiæ, quæ inter rudes Neophytos, antea frequentabantur, jam prorsus omitterentur. Hæc ita minutim refero Maiestati Tuæ, vt hinc pro Tuâ sapien-

pientiâ judices, quantâ hîc sit opus Concionatorum copiâ; & eam, quod est consequens, idoneam procurare ne obliviscaris; vtique cum, si quæ hîc jam gravis sentitur ejus auxilij penuria, in posterum quoque perseveret, non modò qui recens ad Nostram Sanctam Fidem sunt conversi, non perstituri sint in proposito; sed ne ipsi quidem Lusitani vltrà fere plerique quàm nomine tenus, sint futuri Christiâni. Valdè vereor, Domine, vt quem velim, & opus esset, hæc mea desideria effectum nanciscantur: ægréque adducor, infelicitatem Indiæ expertus, ad certò confidendum, tanti eam boni, quantum illi opto, futuram compotem: cuius ea est quasi conditio innata, aut potius maligna indoles, vt exactam religionem & excellentiam officiorum exquisitæ virtutis in publicum morem induci, & passim apud plerosque invalescere minimè ferat. Idibus Ianuarij hujus anni appuli Cocinum Malacâ veniens, vbi Episcopum repereram, ex eiusque conspectu, atque usu magnum animi fructum ceperam; animadvertens quantâ caritate ingentes corporis labores sustineat, obeundo singillatim Ar-

ces intra ſuam Diœceſim ſitas, & adeundis excolendiſque Chriſtianis S. Thomæ; ſuo ſic plenè officio fungens, prout verum ac bonum, qualem ſe per iſta probat, Paſtorem decet. Horum tam laudabilium operum merces ei à certis horum Tractuum Hominibus talis omninò perſolvitur, qualem Sanctis rependere Mundus conſuevit. Multùm mihi placuit, & quadam ſui reverentiâ perfudit, præſentibus perſpecta experimentis Sancta Viri Patientia. Scio muſſitari neſcio quid per Indiam de illo à Filijs huius ſæculi, quos etiam arbitor ad Maieſtatem Tuam ſcripturos ſiniſtram iſtam ipſam ſuſpicionem, quâ eum temerè aſpergunt, occaſione mortis Michaëlis Vazij. quâ in re, hoc ei veriſſimum & ſynceriſſimum debere me teſtimonium ſentio, &, ut gravi me exonerem officio, reddo: affirmans certò ſcire me (quamvis quâ viâ quove modo id didicerim, dicere aut ſcribere non poſſim) compertiſſimum, inquam, mihi eſſe, nihilò magis eum de iſto eventu culpari iure poſſe, quam me ipſum, qui longiſſimè illinc apud Molucas aberam quando iſtud contigit. Oro atque obſecro Maieſtatem

ſtatem Tuam, pro eo quantum & Deum amas, & Deo gratificari ſtudes, & tuam ipſe Conſcientiam ab omni contagione labis ſervare puram cupis; ne quidquam circa hæc agas aut decernas unde iſti Viro bono ægrè ſit. Sanè ſi Maieſtas Tua Fidem adhibere videretur falſiſſimæ iſti calumniæ, inde adderetur autoritas, & augeretur confidentia Obtrectatoribus qui ſunt in Indiâ. Quod Maieſtas Tua Petrum Gonzalvium Proëpiſcopum Cocinenſem inter Sacelli Regij Præfectos adſcivit; quodque Fratris ejus Filium Aulæ Palatinæ honorarijs Ephebis accenſuit, ut ad meum quoque beneficium pertinere putem, ingentia Viri huius in Societatem Noſtram merita faciunt. Me itaque ac Noſtros omnes eo peculiari nomine Maieſtati Tuæ obſtrictos profiteor. quod minus miraberis, Domine, ſi ſcias Domum Cocinenſis Proëpiſcopi Diverſorium eſſe Societatis IESV. Nec vulgaris hoſpitij aut uſitatæ amicitiæ finibus benignitas in nos ejus coërcetur: eò uſque liberalitate prodeunte, ut poſtquam in noſtros uſus cuncta expendit, quæ ad manum ſunt, mutua corroget ab alijs quæ ſuperimpendat. Oro Maieſtatem

Tuam nomine Societatis universæ, ut tam ei quam ejus Fratris Filio iubeas isthic expediri necessarias Literas, vt hîc statæ ipsis Pensiones cum fide præbeantur. Vterque istâ gratiâ dignus est: Proëpiscopus quidem, quia invigilat Saluti æternæ fidelium Subditorum Maiestatis Tuæ; Fratris ejus Filius, quia militarem operam Patriæ ac Reipublicæ tuis auspicijs navat. Desino in hoc voto: Det utinam Deus Dominus Noster Maiestati Tuæ; vt penitùs in animo tuo sentias, ac simul factis exequaris, quidquid ipso in momento mortis tuæ gauderes à te factum. Cocino XIII. Kal. Februarias An. CIↃIↃXLVIII.

Tuæ Maiestatis Servus inutilis.

*Franciscus*.

## EPISTOLA III.

*Patribus Societatis* IESV *Oram Travancoris excolentibus.*

ILlud ante omnia commendatum vobis cupio, ut singulari diligentiâ invigile-

giletis in Baptiſmum Parvulorum; ne quam prolem recens natam non continuò regeneratam Chriſti lavacro, in ullo ex his quæ præſentes luſtrabitis, aut quoquomodo procurabitis, pago, vel mapali relinquatis. Iſtud equidem exiſtimo præcipuum & maximè ſalutare Miniſterium omnium eorum quæ per vos iſtis in locis exerceri queunt. quare neutiquàm vos velim id demandare alteri, aut in hoc cuiquam fidere. Explorate vos ipſi & quærite: inventoſque qui egeant primo illo ſummè neceſſario Sacramento, veſtrâ ipſi manu tingite. Scio datum negotium Accenſis Regijs qui præfecturam in eâ gente aliquam exercent: commendatum item impensè Patribus Familias, ut ſimul Domum ſibi auctam novo conjugum partu viderint, ultrò indicent, & Baptiſmi Miniſtros accerſant. Indormire tamen illi fiduciæ non expedit. Et Accenſi alias res agent; & Patres oblivíſcentur. Parvuli interim inexpiati morientur. Ite igitur vos ipſi, indagate, inveſtigate percontantes oſtiatim ecqua Mulier, ex quo illàc tranſiſtis, enixa fœtum ſit. ecquod quomodocumque ibi reperiatur nondum ablutum aquâ luſtrali caput. Vix unquam

id fruſtra quæſieritis. proferent infantulos; vos ſine morâ Chriſto initiate: & in tuto locate ſalutem animæ, abſque iſtâ ſedulitate graviter periclitantis de jacturâ faciendâ Felicitatis ſempiternæ. Credite mihi experto. Totum ex nobis inter Gentem iſtam alicujus momenti operæpretium ad duo demùm officia redigitur; baptizandorum Infantium, & Puerorum utcumque Diſciplinæ capacium, erudiendorum. Quare hoc alterum pari aut majori ſolicitudine accurandum vobis injungo, ut efficaciſſimè procuretis ſine intermiſſione doceri Pueros. Procuretis, inquam, id fieri per alios, nam vos, quos non expedit ullo in ſingulari Pago ſtatum ac fixum Domicilium habere, ſed ſemper expeditos obire loca cuncta, & invigilare luſtrando curſandoque per regionem totam, profectibus iſtius Eccleſiæ, tali providentiâ egentis; manifeſtum eſt non poſſe Scholis ubique quotidie habendis aſſiduitate neceſſariâ vacare. Præficite igitur in omni vico aut mapali Magiſtros idoneos ac Canacapulas, prout ſtatutum eſt, qui & literas & elementa religionis, precationeſque memoriæ; mandandas, certâ quot diebus horâ locoque

adeſ-

adeſſe ſimul juſſis tradant atque inculcent Pueris. quò id fiat exactiùs, ubi Pagum quemque circum omnes curſando luſtrabitis, nunquam omittetis congregare omnes Parvulos, ex ijſque coràm Ludimagiſtris rationem eorum quæ didicerunt repoſcere, ſicque cùm ipſorum, tum Magiſtrorum diligentiæ ſpecimen capere, ſedulò annotando quantum quiſque ſacrarum orationum inoffensè recitaverit, quem uſque ad locum Catecheticæ Doctrinæ audiendo & mente amplectendo pervenerit: denunciantes vos eodem brevi redituros, ulteriores rebus jam comprehenſis profectûs, proportione interjecti dimenſuros ſpatij, & ex iis æſtimaturos, quis ſtrenuè contenderit, quis ceſſaverit. Eâ expectatione Magiſtrorum pariter & Diſcipulorum acuetur induſtria. Curabitis ut diebus Dominicis Viri omnes ſimul congregentur in templo, ad recitandas orationes: & peculiariter inquirite, an iſtos cœtus Patangatini frequentent. In locis in quibus fortè tali die reperiemini, præeritis ipſi vos iſtis conventibus; & poſtquam orationes cuncti ex memoriâ reddiderint, brevi & facili explicatione, quæ illi pronunciaverint, declarabitis; tum reprehende-

hendetis vitia illic dominantia, demonstrandâ claris exemplis & similitudinibus ad rudium captum accommodatis, fœditate & pernicie illorum : accumulandis deinde ad terrorem eorum qui emendationem distulerint, comminationibus iræ ac vindictæ cœlestis, non seræ tantùm, & post hanc demùm vitam sævituræ ; sed instantis & tantùm non præsentis, morborum, pestium, præcocium funerum, infestationis à Regibus Barbaris, qui eos spoliabunt, mancipabunt, diris exemplis torquebunt; per quæ mala in supplicia sempiterna Tartari peccatores indurati perventuri sint. Per singula loca inquiretis, ecquid simultates & odia inter aliquos illic degentium sint : ac dabitis diligenter operam, ut ij non solùm invicem concilientur, depositò ex animis rancore ; sed hoc ipsum etiam palàm profiteantur, ad satisfaciendum offensioni publicæ. quare Viri quorum fuerat nota dissensio, in conventu Virorum (qui ut dixi quavis Dominicâ celebrabitur) & Mulieres in cœtu Fœminarum diebus Sabbati cogendo, in præsentiâ universorum, vobis agentibus, testentur : se injuriarum illatarum pœnitere, veniam poscere, acceptà-

ceptarum obliviſci deinceps velle, ac priùs infenſis exoſiſve Chriſtianæ ac Fraternæ Caritatis officia cuncta exhibere, conſtanter decreviſſe. Cum primùm declarationis Articulorum Fidei in linguam Malabaricam Translatio, quam commiſi accurandam P. Franciſco Coëllio, perfecta fuerit; ſedulò procurabitis, ut multa ejus exempla pro Pagorum aut Vicorum numero deſcripta, & per locos ſparſa ſingulos, illic in ſtatos congregatis cœtus, Viris quidem Dominicâ, Mulieribus autem Sabbato, à vocali & cunctis intelligibili Anagnoſte perlegatur. ubicumque autem veſtrûm aliquis hiſce diebus fuerint, peractæ lectioni vivam vocem adjungat; exponendo dilucidiùs & diſtinctiùs, quæ minùs clarè à tardioribus percepta videri poterunt. Eleemoſynas, oblationes, à Reis votorum poſt pericula vitata morborum, aut infeſtorum caſuum, in iſtis, ex more, cœtibus Virorum aut Mulierum collatione ſolitas congeri, curabitis univerſas egenis diſtribui: neque ullam vel minimam particulam illarum in veſtros uſus abſumendam admittetis. Singulis Dominicis in cœtu virorum, & ſingulis Sabatis in conventu fœminarum clarè promulga-

mulgari curatote, ut cum primùm in Domibus eorum quiſpiam cujuſque ſortis in morbum inciderit, moneant vos confeſtim, ut ſuccurrere maturè, ac quæ tali tempore procurandis animabus ſunt neceſſaria, adminiſtrare valeatis. denunciate autem omninò fore, ut ſi quiſquam huic officio defuerit, ſicque Propinquus ejus aut domeſticus ſine Sacramentorum commeatu ultimo deceſſerit, haudquaquam permittatis talem mortuum in Eccleſiæ Cœmeterio ritu ſacro ſepeliri. Quando vos infirmos inviſetis, recitari ab ijs, ſi poſſunt, aut ab aliquo præſentium, linguâ ipſorum, ſacrum Symbolum jubebitis, interrogando Ægrum ad ſingulos Articulos, ecquid quæ audit credat certiſſimè ac conſtantiſſimè? ſub hæc pronunciari ab ipſo curabitis formulam Confeſſionis Generalis & orationes, teneri mente à cunctis ſolitas: poſt quas vos ſacrum Evangelium ſupra illos pronunciabitis. Quando aliquis obierit, prodibitis è Sacrâ Æde procedendo ad locum ubi jacet mortuus, Cruce præeunte, Pueris comitantibus, & per viam eundo ac redeundo cantantibus orationes quas in Scholis Doctrinæ Chriſtianæ didice-

dice-

dicerunt. delato in templum defuncto, recitabitis sacras preces quas Ecclesia tali tempore præscribit, easque more solito iterabitis antequam corpus terræ mandetis. semper autem ad congregatam in exequias turbam aliquid appositæ ad rem Conciunculæ habebitis, admonentes de necessitate moriendi & incerto vitæ: quámque, id reputantes conveniat emendatè vivere, nec differre Pœnitentiam delictorum; in quorum conscientiâ, si mors eos præoccupet, æternam damnationem vitare nequeant: uti è contrario perseverantes in Dei Gratiâ, meritò sperent, se in Paradisi gaudia morte transituros. Præcipietis Dominicâ, Viris; Sabbato, Mulieribus, ut infantes ægros deferant in Sacram Ædem ad vos super ipsis Evangelium recitaturos. Id valebit ad excitandam & corroborandam Fidem Patrum pariter ac Matrum, & utrorumque amorem in Ecclesiam resque sacras conciliandum. Postremò sic Parvulorum quoque ipsorum vitæ ac valetudini consuletur. Circa lites & controversias jurium inter Christianos suborientes, primum id agetis quàm suavissimè & efficacissimè licebit, ut ambæ Partes, tractantes

tes invicem, eas ex æquo & bono per se componant. Ad hoc si qui adduci nequierint, & non magni momenti res fuerit, Dominicis diebus post recitatas orationes dabitis negotium Patangatinis Ædilibus locorum, ut litigantibus utrimque auditis, causas finiant. Vos verò ipsos quàm minimè & quàm rarissimè implicari patiemini cognitionibus istiusmodi, quæ vobis & otium & autoritatem minuerent necessariam functioni spiritualium ministeriorum Vocationis Nostræ propriorum. quare quamlibet instent deferendo arbitrium, audirique postulantes, qui contendunt invicem, excusate occupationes graviores, & cognoscendi moram judicijque invidiam prudenter declinate, remittendis ad Præfectum Lusitanum illorum Tractuum controversijs majoribus: aut, si quorum interest, magnoperè mavelint uti Arbitro Sacerdote, ijs ad P. Antonium Criminalem allegandis. Omni ope adnitimini, ut vobis istius Gentis amorem concilietis. Longè plus enim eritis idonei juvandis ijs, si ab illis diligamini, quàm si vos timeant. nemini pœnam decernetis aut inferetis priùsquàm de re totâ P. Antonium Criminalem con-

consulueritis : ac ne hoc quidem assentiente , quemquam comprehendi , aut pro merito mulctari jubebitis in loco ubi præfectus Lusitanus præsens adsit , nisi eo admonito , & rationibus expositis in vestram sententiam pertracto . Supplicium legitimè sumendum de Viro aut Muliere qui Pagodis Idolum sculpsisse convicti fuerint , esto exilium è loco ubi peccarunt , & relegatio in alium . nunquam tamen eo nomine quemquam exterminetis , nisi P. Criminale in id assentiente. Pueris assiduè frequentantibus Scholas Catecheticas , ubi meruerint castigandis , quantum potest salvâ Disciplinâ temperetur . præstat enim dissimulare interdum , quod peccasse ipsos , ut illa fert ætas , cognoveritis , quàm severitate utcumque justâ , concitare teneros animos in vestri odium , qui ubi à suæ saluti consulentibus abhorruerint , in abrupta pessum rapiuntur . Ferèque ab istiusmodi faciliùs , ut frugi sint , impetraveris multâ significatione amoris , quàm vi sævâ extorseris . Cavete diligenter ne unquam Christianos Indigenas coràm Lusitanis vituperetis . quin potiùs eos semper defendite , & ubi accusantur solicito patrocinio tuemini ,

mini, excusantes ac commendantes quantum poteritis. rogando Lusitanos, ut benignè considerent, quàm prava miseris istis nuper ex Idololatriâ conversis ad Christum, à pueritiâ educatio contigerit: quàm parùm ijsdem exiguo tempore ex quo Fidem sunt amplexi, per tot casus absentiæ Sacerdotum, incursionum & terrorum à Badegis, vacaverit seriò animum intendere Christianæ institutioni, quantùm erat opus, percipiendæ. quæ si sapienter reputaverint, non modò clementer ignoscere debeant defectibus Barbariei tam incultæ; sed jure mirari possint, non esse illos aliquantò etiam pejores, quàm ex culpis in quas incidunt, plerumque non gravissimis, appareant. Sacerdotibus Malabaribus favebitis. & benignè consuletis, in rebus præsertim ad Religionem spectantibus, efficiendo, ut assuescant proprias animas confessionibus purgare, ut Missæ Sacrificium ritè ac crebrò Deo offerant, ut exemplo vitæ sanctæ præluceant populo. querelarum porrò vestrarum de ijs, aut reprehensionum, si quid offenderint, ne ullum, in literis præsertim scriptis à vobis ad quemlibet, vestigium extet quod possit ostendi, cavetote.

tote. Præfectum Lusitanum omni semper obsequio ac comitate demereri conabimini: diligentissimèque vitabitis ne quacumque tandem causâ inimicitiam cum eo suscipiatis. Pari curâ contendetis omnium in vos Lusitanorum isthic degentium tueri gratiam; nullum eorum aversantes, nulli viciſſim exosi: sed humanitate, prudentiâ, caritate verâ satagentes, ut etiam cum pacem odientibus sitis pacifici; ac si qui ultrò resiliant, eos tamen officio & benevolentiâ retinentes, ut vel inviti sentiant sinantque se amari à vobis, & in discidium apertum protrudere ullam cum vobis simultatem vereantur. nec eò tamen hoc pertinet, ut connivere debeatis ad vexationes injustas quibus istos interdum Christianos oppriment. cum id animadverteritis, reprehendite sanè illos; sed blandè ac cum omni significatione amoris. in quo si parùm profeceritis, deferte querelam ad Præfectum, justque innocentium afflictorum modestè, ac salvâ, quantum licet, eorum contra quos disceptatis amicitiâ, tuemini. De Præfecto, iterùm pro rei momento moneo: placatum eum vobis atque benevolum quocumque impendio servate: nec quidquam

omninò vobis tanti sit, quod pro ejus offensione vitandâ retinendave gratiâ, unquam paciſci recuſetis. Iam veſtri cum Luſitanis ſermones de Divinis ſemper animæque ſalutem ac profectum attinentibus rebus ſunto. diſſerite apud illos, privatis quoque congreſſibus, de Morte, de Iudicio, de ſupplicijs Inferni & Purgatorij, ſuadendo ut Pœnitentiæ & Euchariſtiæ frequentent Sacramenta, ut Divinæ Legis decem præcepta cuſtodiant; & quæ ſunt ejus generis. nam ſi cum ijs agendo ad alia nunquam confabulationum argumenta deflexeritis, alterum duorum eveniet, ut aut illi vos adeuntes, eandem ultrò collocutionum materiam uſurpent, magno ſuo bono ſcilicet: aut ſi eos ejus triſtitiæ tædium capiat, convenire vos deſinant, & bonas horas, veſtri multiplicis officij urgentibus occupationibus neceſſarias, vobis liberas relinquant. Mementote in occaſionibus Goam ſcribere ad Patres Fratreſque Noſtræ Societatis, referentes quæ conſolari eos & animare ad benè agendum queant, de fructu miniſteriorum veſtrorum, & ſucceſſu conatuum ad Dei Gloriam. dabitis etiam eodem argumento literas ad Dominum

num Episcopum, cum omni demissione ac reverentiâ, tanquam ad Prælatum, cujus autoritati ac jurisdictioni Tractûs isti omnes subjacent. Ad nullam Regionem aut Provinciam ibitis, quantumvis vos advocent Reges ac Principes earum, nisi cum assensu P. Antonij Criminalis, & Præfecti Lusitani Oræ istius, & si qui acriùs invitando urserint, ijs obtendite obedientiam quam profitemini, excusantes; per eam haud licere, injussu eorum qui vobis præsunt, de statione præscriptâ decedere. Iterùm inculco vobis etiam atque etiam commendans, ubicumque cum quibuscumque versabimini, contendite vos gratos & amabiles omni hominum generi præbere; de cunctis benè merendo, inserviendo singulis, nullum non blandè modestéque compellando. Hæc enim benignitas factorum, verborum humanitate condîta, conciliando vobis omnium amore, aditum cordium aperiet, magnamque præbebit facultatem luculentos congerendi fructûs animarum. concedat id vobis Deus, & cum omnibus vobis sit semper. Amen. Februario Anni CIↃIↃXLVIII.

Totus Vester. *Franciscus.*

## EPISTOLA IV.

*P. Gaspari Barzæo Societatis* IESV *Armuziam proficiscenti.*

ANte omnia tui memento, Deo primùm, tuæ deinde conscientiæ satisfaciens. His enim rectè fungenti officijs duobus, prona facultas affluet ingentium è Proximorum animis eliciendorum profectuum. In ministeria humilia fac te semper quoddam studio exaggeratum quasi pondus, inclinet. His enim te exercens, parabis, augebisque demissionem animi. quare nemini committas, sed per te obeas censeo, minimè speciosam occupationem inculcandi memoriæ Rudium orationes quas tenere mente Christiani omnes debent. Has verbatim ediscentibus patienter præi filijs & filiabus Lusitanorum, tum eorumdem servis ancillisque, postremò Indigenarum liberis. Id qui te agere sedulò viderint, omni profectò arrogantiæ suspicione absolvent; tantóque, ut est pellax ad æstimationem opinio modestiæ, te digniorem judicabunt cui se docendos quæ ignorant de Christianæ

næ Religionis myſterijs præbeant. Pauperes in Ptochotrophijs & Noſocomijs crebrò inviſes, & ſubinde adhortaberis ad rationes cum ſuâ cujuſque conſcientiâ ponendas; excitando ipſos ad confeſſionem & perceptionem Euchariſtiæ, quarum illa peccata deleat præterita, hæc præſervet à futuris: ambæ veras cauſas amoveant miſeriarum, ſub quibus nunc gemunt, quas in poſterum metuunt. cum quæ patiuntur mala, nihil niſi pœnæ culparum ſint. quare illis purgare animas, peccata fatendo, volentibus, aures, quantum vacaverit, commoda. His procuratis quæ ad animum pertinent, in ijs quæ corpus ſpectant, prout poteris, Miſeris conſules: commendando eos curatoribus Domuum illarum, vel ab aliis qui juvare ipſos queant, quæ opus habent corrogando. Carcere detentos adibis etiam, & conciones ad eos habebis, magnoperè adhortans ad vitam univerſam præteritam ſacrâ confeſſione recenſendam. Iſtâ huic generi hominum magis opus admonitione eſt; idcircò quod multi vel plerique ipſorum, nullam ex quo ſunt nati exactam peccatorum confeſſionem obierunt. Sub hæc Sodales Miſericordiæ

rogabis ut curam Infelicium illorum gerant; agendo cum Iudicibus ut juris ipsorum habeant rationem, & ijs quibus deest unde alantur, victum necessarium donando. Sodalitati Misericordiæ inservies quantum poteris, ejusque te studiosum in primis feres, promovendo, commendando, eique adjuvandæ operam in omnibus promptissimam strenuè navando. Si quorum in isto Emporio pecuniosorum hominum confessionibus auditis perspexeris, gravari eos conscientiâ malè partorum, quæ restituere omninò & debeant, & velint: nec tamen id facere passis injuriam possint, quòd ij vel obierint, vel qui sint aut ubi, nesciatur; eam pecuniam ultrò licet tibi obtrusam, integram transfer ad Sodalitatem Misericordiæ; quantumvis menti occurrant tibi noti pauperes in quibus optimè collocanda eleemosyna videretur. Sic defungêris periculo errandi ab insidiosis artibus vafrè simulantium & egestatem & innocentiam, fraude ac scelere pleniſſimorum hominum, qui non tam facilè obrepent Sodalibus Misericordiæ, ad quos tutiùs honestiúsque à te avertes inquisitionem invidiosam & perplexam. sicque ad veros Pauperes eleemosynæ pervenient, impostorum avarorum quæ-

stuo-

ſtuoſis mendacijs eluſis . ſic etiam tu ſolutior & expeditior vacabis miniſterio tui ſtatûs proprio, juvandarum animarum ; cui non parvam neceſſarij otij partem ſpiſſa iſthæc & multiplex pecuniæ diſtribuendæ cura ſubtraheret . denique ſic querelis & ſuſpicionibus ibis obviam hominum, pro communi pravitate, malè de te opinari paratorum , quaſi ſimulatione conſulendi alijs, rem aſtutè tuam agas, & nummorum quos erogandos acceperis, partem tibi recondas, neceſſitatibus inopum improbo furto defraudandis . Ad eos quibuſcum religioſam aut civilem, domeſticam aut forenſem usûs ac ſermonis conſuetudinem vario vitæ commercio uſurpaveris , ſive ij mediocrem, ſive ſummam tecum familiaritatem affectaverint , ſic te ſemper adhibe , quaſi exiſtimares : aliquando eos ex tibi amicis inimicos evaſuros . ita non committes , ut conſcios illos habeas ullius facti dictive, quod ſi unquam, iræ indulgentes, protulerint , vel erubeſcere traductione tui , vel incommodo aut damno negotiorum te dolere ſit neceſſe . exigit hanc à te irremiſſæ cuſtodiæ vigiliam pravitas hujus ſæculi nequam , cujus filij filios lucis ſuſpicacibus

ſemper oculis obſervant . debes eandem tuo ipſius in ſpiritu profectui , haud parvis incrementis proceſſuro , ſi totam ad quidvis agis aut loqueris , prudentiæ moderatricis attentionem adverteris . Præmunies ſic etiam adversùs periculum mutationis , leves Amicorum animos ; & in quocumque eventu defenſores apud eos tibi parabis , memoriam obſervatæ in Te rectitudinis , & natam ex eâ verecundiam tui ; quà ubi à te deſciverint , confundi eos ſit neceſſe . Simul iſta reputatio inſtabilitatis hominum efficiet , ut Deum intuearis , ut te intimè deſpicias , ut ubique præſenti Numini demiſſione infimâ , ſuavitate magnâ , ſemper adhæreas ; qualium intermiſſione officiorum multa nobis obrepunt , ſpectantium oculos lædentia , & illorum à nobis ſenſim abalienantia voluntates . Iſtius curæ partem explebit Examen , quod particulare dicimus , quod ne bis , aut ſemel ſaltem , quot diebus , ritu nobis ſolito , uſurpes , cave ullâ unquam quantavis impediat occupatio . Ante omnia primam ac potiorem curam tuæ mundandæ , atque innoxiæ præſtandæ conſcientiæ impende : alienarum præſervandarum aut ſanandarum poſterior tibi eſto diligen-

ligentia. nam qui sibi malè consulit, quomodo prodesse alijs poterit? Concionare ad populum omninò quàm poteris frequentissimè, latissimè quippe se porrigit hujus utilitas ministerij, nec uberior ex alio quovis ad Dei obsequium profectumve Animarum fructûs expectandus. In concionibus cave unquam proponas argumenta dubia, contrarijs perplexa sententijs Doctorum. Certa & perspicua seligi oportet quæ populo tradantur; ad morum informationem & reprehensionem vitiorum ferè pertinentia. demonstretur peccati fœditas, exaggeretur atrocitas læsæ ab homine culpam conscisscente supremæ Dei Majestatis, incutiatur horror fulminandæ in convictos reos judicio supremo extremæ damnationis, graphicè depingantur acerbissima tormenta æternùm infligenda detrusis in Tartarum. Mortis denique, præsertim inopinatæ ac subitæ, metus intentetur, maximè incurioſis obsequii Divini, & conscientiæ gravissimorum criminum indormire supinâ negligentiâ nihil pensi habentibus. Inserenda his opportunè commemoratio Christi Crucis, vulnerum, ac mortis, quibus nostra peccata dignatus est luere. Sed hoc faciendum

dum oratione affectibus quàm maximis incensâ, per figuras & colloquia ad motus animorum ciendos accomodata, quibus dolor intimus de peccatis, ob Deum per ea læsum, excitetur, usque ad lacrymas ex oculis audientium expressas, sequentibus hinc propositis eluendæ quantocyùs per confessionem conscientiæ, reconciliationisque cum Deo per Eucharistiæ perceptionem ritè celebrandæ. Hanc veram & unicam, quàm intuens effingas, propositam tibi velim Ideam fructuosarum concionum. Cave-sis unquam personam personasve insignes dignitate, præsertim gerentes magistratum, nominatim pro concione objurges aut perstringas. Si quid in ijs displicuerit quod significandum putes, privatim conventis indica, vel ultrò ad confessionem accedentibus in arcano Tribunali Pœnitentiæ ad aurem insusurra. Ab ijs palàm traducendis omninò abstine. nam hoc genus hominum anceps & irritabile, incomitiationibus istiusmodi adeò non solet corrigi, ut harum aculeo, velut oestro Tauri, efferari consueverit, ruereque pernicioſiùs in præceps. Ac ne privatas quidem admonitiones talium temerè attentes. usus tibi primùm

mùm aliquis & prævia familiaritas; cùm ijs contracta quos emendare vis, aditum ad illas muniat. deinde increpationis quasi tonum intendi aut remitti expedit, pro gratiæ apud Amicum quem arguis tuæ autoritatisque mensurâ; ut liberiùs & districtiùs tibi magis obnoxium, parciùs & timidiùs minus familiarem arguas. Semper autem censuræ supercilium, frontis serenitate, arrisu oris, blanditiâ obtutuum mitiges: multò autem magis humanitate verborum, & declaratione amoris, qui te unus ad molestum, sed necessarium, eximendæ ab Amico deformantis illum labis conatum impellat. Inferendi quinetiam colloquio amplexus, demissæ venerationes, cæteraque benevolentiæ synceræ, reverentiæ non fucatæ, signa idonea; quorum, velut mellis aut sesami, admixtione amarities condiatur nauseosi per sese remedij; &, si merum respuentibus obtrudatur, insalubris evasuri. nam si ad odium tristi negotio innatum asperitatem vocis, austeritatem vultûs, frontis ac rigidi aspectûs minas adjunxeris; vereor equidem ut stomacho imperent delicati fastidij & tenerarum hominum aurium; quos potentiâ subnixos, assue-

fuetosque adulationibus, verisimile potius est, excussuros frænum omne moderationis, & Censorem importunum convicio repulsuros. In istis partibus, ubi peccandi magna licentia, pœnitendi rarissimus est usûs, Sacræ confessionis cùm à te suadendæ, tum ab aliis exercendæ, hanc arbitror rationem optimam. quem velle videris onus ex longo exaggeratum prægravatæ conscientiæ, in tuis auribus deponere; eum fac adhorteris primùm, ut biduo triduove in id sumpto, se totum excutiat, inde usque ab ultimâ Pueritiæ recordatione, per omnes ætatum & occupationum gradus, relegens vestigia vitæ decursæ, & cuncta perperam acta, dicta, cogitata in summam contrahens, ac, si opus est ad memoriæ subsidium, scripto sublegens. sic paratum postquam audieris, plerumque juverit non continuò absolvere, sed agere cum illo, ut boni consulat, per duos tresve dies abducere à curis familiaribus animum, & idoneis ad dolorem peccatorum ex amore Dei offensi ciendum commentationibus, comparare se ad fructum uberiorem è sacramentali absolutione percipiendum. Eo triduo Pœnitentem exercebis aliquot meditationibus primæ Mensis

asce-

ascetici Hebdomadæ, quarum illi capita edisseres, modum commentandi & orandi trades; suadebis etiam, ut pœnâ quapiam ultrò susceptâ, puta jejunio aut flagellatione, se ipsum ad veram detestationem criminum intimè concipiendam, & per lachrymas etiam prodendam, juvet. Præterea hoc spatio curabis, ut si quam injustè isti detinent alienam rem, Dominis restituant: si famam cujuspiam læserunt, dictum revocent: si amoribus inconcessis implicati vixerant, flagitiosa cum quibusvis commercia abrumpant, occasionesque jam nunc amoveant culparum. Talia in posterum quantumvis prolixè ac seriò pollicentibus, haud tutò creditur sine pignore. Fac repræsentent in antecessum quod se præstituros asseverant. nullum est tempus aptius his officijs, quàm necessarijs tàm difficilibus; ubi ardor commoti animi refrixerit, & illecebræ familiares male-suadâ dulcedine dudum assuetos in tantisper omissa retrahere flagitia cæperint, frustra reposcas promissorum fidem. Ergò antequam illos salutari sententiâ culpis solutos omnibus dimittas, hæc ut prævertant, omninò exige. Aliàs quæ humana fragilitas est, bre-

vi

vi relapsos in præcipitium, à cujus lubricâ declivitate non satis eos longè submoveras, inutiliter dolebis. In causis Sacri Pœnitentiæ Fori cognoscendis, cave præproperâ severitate deterreas qui detegere sua vulnera cæperunt. quantumvis atrocia memorent, non modò patienter, sed clementer etiam ausculta; quin pudorem ægrè fatentium subleva, ultrò commiserans, nec mirari præ te ferens, ut qui graviora his fœdioraque cognoveris. ac ne desponcant veniam, Immensæ Dei Misericordiæ divitias prædica. Interdum quod magno æstu animi, piaculum confessi sunt, haud esse tam grave quàm putant, suggere: Te capitalioribus etiam noxis, ex Dei Gratiâ, posse remedium afferre: pergant fidentes, nec quidquam proferre vereantur. Hâc maternâ quadam indulgentiâ velut obstetricari opus est miseris animabus, ærumnosissimo nisu parturientibus spiritum salutis, quoad conscientiæ sentinam exhauserint. Erunt quos ætas aut sexus infirmior acrioribus verecundiæ stimulis à declaratione fœdissimarum quibus se inquinarunt libidinum, repellet. Hoc ubi senseris, obviam benignè prodi. memorans nec solos, nec primos eos

in

in id cœnum prolapsos ; longè atrociora in eo genere nosse te , quàm esse ista demùm possint quæ fateri vereantur . Partem culpæ magnam , vehementiæ tentationis , pellaciæ occasionum , innatæ cunctis hominibus concupiscentiæ imputa . quin ( ajo tibi ) eò interdum in talium occursu descendendum est , ut quò ista relaxemus noxij vincula pudoris , linguas infelicium astu mali Dæmonis constringentia , nostras ipsi ultrò generatim vitæ præteritæ labes indicemus , ut sic eliciamus necessariam enunciationem premendorum à Reis alioqui , cum irreparabili pernicie , criminum . nam quid vera & ardens Dei Caritas recuset pro salute animarum Christi emptarum sanguine paciſci ? Id tamen quando & quatenus , quibusve cautionibus administrandum sit , in rerum Articulis præsentium ipsa te unctio spiritûs & experientia docebit . Invenies interdum aliquos ( & utinam ne multi occurrant tales ) qui dubitent de vi & efficaciâ Sacramentorum , ac præsertim de verâ præsentiâ Christi Corporis in Eucharistiâ . Id illis accidit ex infrequentiâ participandi sacra illa mysteria , & assiduâ familiaritate cum Idololatris , Mahumetanis ,

nis, aut Hæreticis, ex minùs rectis exemplis quorumdam Christianorum, etiam ex nostro (quod fateri piget & pudet) Sacerdotum Ordine. quorum nonnullos cum videant è nihilò sanctiori quàm vulgus profanum vitâ, temerè ac ludibundè prosilire ad aram, suspicantur vanè à nobis prædicari præsentiam in Missæ Sacrificio Divini Christi Numinis, quod utique si adesset, contrectari se impunè à tam impuris haud sineret manibus. Horum curandorum hanc inire debebis rationem. Primùm comi sermone ac blandis modis insinuans te in ipsorum amicitiam, elicere, familiariter rogando, conaberis intimos animi sensus, & si errores quos dixi deprehenderis, errorum causas, occasiones, principia scrutabere. Sic intelliges ubi applicandum remedium sit; ad quod impigrè te accinges, allegando quæ ex usu, pro re natâ, videbuntur; & magnoperè incumbendo ad clarè demonstrandam Sacri ejus Dogmatis veritatem; nec absistes quoad perviceris, ut fide certâ citrà ullam dubitationem, persuasissimum se habere protestentur: verissimè Christi Domini ac Redemptoris Nostri Corpus ac Sanguinem sub panis & vini ritè con-

consecrati residere speciebus. Inde videlicet non ægrè attrahentur ad purgandum bonâ fide per confessionem animum, & devotione congruâ sacras Divinæ mensæ frequentiùs epulas gustandas.

In sacro Tribunali ubi quæ præmeditati pœnitentes de suis peccatis narrant plenè cognoris, ne rem continuò factam arbitrere, aut te defunctum curâ omni. indagare ulteriùs oportet, & percontando exculpere, quæ cognitu curatuque necessaria, etiam ipsos, præ ignorantiâ, pœnitentes fallunt. Interroga ergo unde, qua ratione quæstum faciant? quam in commutationibus, præstationibus, & totâ fide pactorum, formulam sequantur? reperies plerumque sordere usuris cuncta, & maximam pecuniæ partem per rapinas congestam ijs ipsis, qui se tamen præfidenter ab omni contagione iniqui lucri asseverabant puros, vero, ut ajebant, conscientiæ nusquam ipsos reprehendentis testimonio. quippe multis ita occalluit conscientia, ut rapinarum in sinum corrasarum vastis etiam molibus, aut nullo, aut perexiguo urgeantur sensu. Hujus generis diligentia adhibenda major etiam tibi fue-

rit, quoties se sistent in Sacro Tribunali Ministri Regij, Præfecti, Quæstores, Scribæ, Redemptores vectigalium, & ad quos quocumque nomine Fiscalis pecuniæ ac jurium procuratio tractatiove aliqua pertinet. Peraccuratè ab his omnibus exquire quâ ratione ex sui magistratûs aut ministerii functione proventuque rem augeant? & si dicere cunctentur, arte blandâ indaga, odorare. non longè percontando circumduxeris, quin vestigijs haud dubijs pervenias ad cubilia ipsa fraudum & Monopoliorum, quibus emolumenta publica in privatas Domos pauci homines avertunt, præmentes regiâ pecuniâ quod statim dispertiant lucro sibi sepositò ingenti, augmento immani pretij luendo mox à singulis quos suæ rationes coëgerint ad ejus mercis licitationem accedere. Interdum etiam morâ & elusionibus cruciant eos quibus à Fisco debetur: ut sic eos cogant ad secum decidendum, remissâ pensionis parte; quam illi sibi, fructum industriæ, ut vocant, hoc est, rapinæ improbissimæ prædam habeant. His & horum similibus ex ore ipsorum variè ac cautè rogitando expressis, longè scilicet statues certiùs quantum alie-

næ

næ rei detineant apud se, quantumque, ut cum Deo in gratiam redeant, refundere defraudatis à se necesse ipsos sit; quàm si quæras ex ijs: eccui se meminerint injuriam feciſſe. negabunt enim statim. quoniam usus istis pro lege est, & quæ fieri vident, rectè fieri non dubitant. nempe mali jam mores, quandam quasi præscriptionis autoritatem à consuetudine sibi trahere videntur. quod tu jus neutiquam admittes: sed serio convictis denunciabis, si mederi animorum vulneribus velint, planè ipsis abstinendum possessione injustâ rerum malâ fide acquisitarum. Simul quænam illæ sint, haustâ ex confessione ipsorum peritiâ, monstrabis. Fac majorem in modum te obedientem atque ad omnia morigerum Proëpiscopo præbeas. Simul Armuziam perveneris adibis illum, & positis humi genibus, ei supplex osculaberis manum. non nisi eo volente concionaberis, confessiones audies, Doctrinæ Christianæ declarabis elementa, & cætera Instituti nostri ministeria obibis. nunquam quacumque ex causâ cum eo contendes, aut ab illo dissidebis. quin dabis operam omni sedulitate obsequij, ut eum tibi de-

vincias amicitiâ, cujus illicio persuaderi sibi sinat usum commentationum Ascetica-rum, te tradente, capessendum: sin minus universarum, earum certè quæ ad primam Hebdomadem pertinent. omnes item alios Sacerdotes cunctis veræ benevolentiæ officijs impensè ambies; vitabisque cane pejus & angue qualemcumque cum ullo ipsorum occasionem dissensionis ac conflictûs; summâ potiùs veneratione universos & exquisitâ significatione honoris colens. quò scilicet amorem tibi viciſſim concilies eorum, ex quo spontè nascatur, ut illi à culturâ suarum animarum tibi permittendâ non abhorreant, nec aspernentur invitationem ad Exercitationes Ascèticas, si non plenè per mensem integrum nostro ritu obeundas; saltem secessu dierum aliquot in suis ipsorum ædibus degustandas, te illos quotidiè visente, & argumenta meditandi explicante, ex ijs quæ in primam digesta Hebdomadam sunt. Præfecto majorem item in modum te obsequiosum & subjectum exhibeto, humillimis ante ipsum demissionibus fidem intimæ reverentiæ faciens. Cave autem quocumque obtentu simultatem cum eo suscipias; neque

que si clarè videas illum, in rebus etiam graviſſimis, delinquere. Tunc verò, duntaxat poſtquam ſenſeris tuis tibi erga ipſum obſequijs non vulgarem ejus gratiam paratam, convenire hominem privatim aude; atque idonea præfatus de tuo in eum amore, ſalutiſque ipſius & honoris zelo, cum ſummâ modeſtiâ, vultu ſereno ſignificabis acrem quo intimè ureris dolorem, dum ejus animæ periculum, & bonæ famæ jacturam, ex factis his & illis parùm in vulgus probatis increſcentem intelligis. Hîc commemorabis qui de ipſo ſint hominum ſermones, quos etiam in ſcripta tranſituros, & longè quò nollet mittendos veriſimile videatur, niſi maturè prævertat offenſioni publicæ ſatisfacere. Hoc tamen ipſum ne officium ſuſcipias, priuſquam ſatis certis indicijs congnoveris, ſic eum eſſe affectum, ut boni conſulturus admonitionem, & ex eâ profecturus non temerè putetur. multò autem minùs facilè annuas precibus plurimorum, perferri te internuntio ſuas ad Præfectum querimonias poſcentium. Recuſabis id miniſterium quàm poteris conſtantiſſimè, excuſans occupationem aſſiduam concionandi, docendi,

confessiones audiendi, tum ad hæc studio & commentatione te parandi: quæ res spatij nihil relinquant ad operosum, longumque negotium terendi summatum liminis, & otiosâ in aulis patientiâ, difficilium admissionum rara momenta præstolandi. Addes, neque si vacaret, & copia ultrò daretur audientiæ, satis scire te quantum proficeret admonitio. nam si talis sit Præfectus qualem ipsi accusantes memorant, frustrà speretur hunc, qui nec Dei respectu, nec officij curâ, ut ipsi ajunt, tangatur ullâ, tui recta suggerentis rationem habiturum. Conversioni Gentilium ad Christi Religionem totum tempus quod tibi à quotidianis necessarijs officijs erit reliquum impende. Vide autem in delectu ministeriorum, ut semper ea prævertenda ducas cæteris, quorum manifestè latiùs patet utilitas. Hæc te regula docebit, nunquam præferendam concioni publicæ auditionem confessionis, nunquam intermittendam statâ quot diebus horâ Scholam Catecheticam, ut aliquem unum privatim adhortere; aut simili vaces officio singulari personæ profuturo. Horâ porrò quæ præcedit constitutum tempus lectioni Catecheticæ,

Tu

Tu vel Tuus Socius Forum Plateasque Civitatis percursabitis, voce magnâ invitando cunctos ad audiendam explicationem Sacræ Doctrinæ. Scribes identidem ad Collegium Goanum, quæ ministeria Divinæ Gloriæ promovendæ apta, quo ordine, quo fructu animarum, Deo fortunante tuos imbecilles conatus, exerceas. Fac autem accuratæ scriptiones istæ sint, quas Nostri Goenses rectè mittere in Europam possint, specimen illic futuras, nostræ in his partibus industriæ, favorisque Dei tenues minimæ Societatis labores successu aliquo dignantis. nihil in eas irrepat quo jure quisquam offendatur, nihil quo legentes primo ipso aspectu ad Deum laudandum ipsique obsequendum impellendos, non appareat verisimile. Missitabis etiam ejusdem argumenti, accommodatâ ad personas cautione, proprias literas ad D. Episcopum, & ad Cosmum Agnezium; utrumque impertiens faustis nuntijs fructûs per Dei Benedictionem existentis ex culturâ isthic animarum. Cum primùm Armuziam perveneris, visas censeo privatim quos maximè probos ac veraces, simulque morum urbis ac commercij peritos illic homines repereris. ab his sedulò

exquire, quæ ibi vitia dominentur? quæ fraudum genera in pactis & fœnerationibus vigeant? quò his planè ac certò compertis, parare ad expeditum usum possis aptas rationes & accommodata verba ijs vel dedocendis, vel increpandis, qui se tibi, vel in familiari congressu, vel in Confessione Sacramentali offerent palliatarum usurarum aut captiosorum Rei contractuum, vel alterius cujuspiam affines usitatarum in illo tam frequenti ex cunctis gentibus Emporio omnis generis pravitatum. Singulis noctibus Domos Vrbis obambulans, commendabis suffragijs viventium animas defunctorum, in Purgatorio noxarum reliquias luentium, verbis ad hoc utens paucis, sed aptè delectis ad commovendam miserationem audientium, & religionis sensum quendam ijs ingenerandum. Addes voces quibus excitare cunctos coneris ad orandum pro animabus peccati lethalis maculâ fœdatis, impetrandamque ipsis à Deo Gratiam è statu tam infelici emergendi. utramque commendationem finies indictâ, & primoribus vocabulis inchoatâ recitatione Orationis Dominicæ & Salutationis Angelicæ. Continuâ in id attentione dabis operam,

ut

ut omnibus semper quibuscum ages, vultum benignum & serenum exhibeas; torvitatis, supercilioſæ arrogantiæ, mœstitiæ suspicioſæ, aut iræ minacis, cunctis indicijs procul amotis. Alioqui si te infestum his intemperiarum signis qui te adeunt deprehenderint, haud dubiè contrahentur, & se avertent; nec eam tui fiduciam admittent, quæ necessaria fuerat, ut ex tuo congressu proficerent. multò autem studioſiùs affectare comitatis amabilis speciem, arriſu & affabilitate blandiſſimis, debebis, quando aliquem privatim, culpâ ejus id exigente, reprehendes. tunc enim vel maximè omni ope conandum est, ut emineat ex ore atque oculis humanitas & caritas, quâ te unâ præ te feras urgeri ad benè merendum de illo quem admones, labe ipsum inquinante detergendâ: non autem averſione ullâ, instinctûve odij ad eum objurgandum erumpere. Quos Sacerdotes, Clericos, aut Laicos adscribi Societati, & Ascaticis commentationibus exerceri cupientes, idoneos ad hoc judicaveris, mittere poteris Geam cum Epistolâ quæ quid sint & velint indicet; vel etiam si eorum isthic auxilium tibi utile putabis, in convictum

ibi

ibi tuum admittere, & consuetis, prout res feret, experimentis tyrocinij probare. Dominicis & festis diebus horâ pomeridianâ secundâ, vel paulò post, concionaberis aut apud Sodalitium Misericordiæ, aut in templo, declarans Articulos Symboli Servis Ancillisque ac Christianis liberis, filijsque ac filiabus Lusitanorum: misso antea per vicos Civitatis Socio cum nolâ, qui addito ad tintinnabuli sonum vivæ vocis invitatu, cunctos admoneat, ut ad audiendam Capitulorum Christianæ Fidei explicationem conveniant: nisi per te ipse ipso per plateas præconio defungi mavelis. Tolles porrò Domo tecum in locum concioni delectum proficiscens, summam Doctrinæ Christianæ & expositionem Articulorum Sacri Symboli, itemque quam scripto digessi Vitæ quotidianæ Christianè ac Sanctè transigendæ formulam, quâ traditur, quo ordine ac modo Animæ Christi religionem profitentes & salutis æternæ cupidæ, singulis diebus venerari, & invocare Deum debeant, præmuniréque se à lapsu, & ea quæ ad finem optatæ gratiæ ac felicitatis certò adipiscendum conferunt, exequi. Hujus exemplum formulæ ijs tra-

des

des quorum confessiones audies, pœnæ loco injungens, ut quod in eâ præscribitur, certo dierum numero factitent. Eo nempe usum contrahent, ac postea ipsâ consuetudine ducente, facilè per se tenebunt quod Mandato Spiritualis patris semel arripuerint: gustatâ videlicet interim rei utilitate ac suavitate illecti. nam valdè bonas ea Formula Exercitatiunculas suggerit: experientiâque didicimus multos sub peccatorum Confessionem eâ uti aggressos, ingenti animi sui fructu in ejus usurpatione perseveravisse. quocirca optimum factu censeo, non ijs illam solùm à te tradi qui prioris vitæ maculas tuo ministerio expiaverint: sed quibuscumque salutis propriæ non penitùs incuriosis, utcumque alijs à te conscientiæ Arbitris utantur, communicari & commendari. Ac quoniam exempla ejus scripti, numero idoneo ut tam multis dispertias, habere te facilè non posse video; suadeo ut illam formulam in tabulâ descriptam defigas loco publico: puta in Ædc Sacrâ Nostræ Dominæ de Misericordiâ, ut eam inde qui ejus commodis frui volet, queat per sese describere. Quos ad Societatem juvandam aptos à te judicatos

ritè

ritè in eam admiseris, eos post mensem Exercitijs Spiritualibus de more impensum, eo experimentorum genere probabis in quo nihil admodum ridiculæ traductionis ipsorum ad vulgi ludibrium appareat. Iube illos sanè ministrare languentibus in Nosocomio, & ad omnia loci ac curationis ejus, quantumvis humilia & stomachosa, obsequia descendere. Impera vinctos in custodijs adire; seque ijs miseris solandis ac recreandis impendere omni sedulitate religiosæ caritatis; tum si quæ sunt ejus generis sui depressionem cum studio benemerendi de hominibus conjungentia, ipsis ut palàm exerceant injunge. Spectacula sui gratuitam insaniæ speciem habentia dare illos in populum nec præcipe, nec tolera. nolo derideat eos vilis plebs; & horum, quasi personatorum in Scenâ, mimicâ traductione delectetur: sed admoneatur officij, & ad rectum laudabili exemplo, visis ijs, provocetur. Id eveniet si nunquam compareant nisi in apparatu ad opus quoddam bonum accommodato. puta cum suspensis ab humero manticis ostiatim pro egenis mendicabunt, & quæ collegerint ad carcerem aut Ptochotrophium palàm deferent.

Ejus-

Ejuſmodi de ſe victorias deque mundo referant quarum ſpecie, Vulgus intuens ad bonum excitetur, fructu pauperes juventur. Porrò ad hæc ipſa experimenta à quibus natura abhorret plurimùm, ne cunctos eos indiſcriminatim adigas; ſed explorato priùs quid quiſque habeat animi, quid commodè poſſit. non enim eædem ſunt vires omnium. diſpar indoles, diverſa educatio, diſſimilis in virtutibus profectus, diſcrimen Tyronum magnum efficiunt, in primis conſiderandum ipſorum moderatori, ut ſtatuat, quænam exercitio cuique conveniat. hoc eſt quâ in re quiſque ita tentari poſſit, ut meritò ſperetur facturus cum tentatione proventum, pro menſurâ illi communicatæ Divinæ Gratiæ. Abſque hâc diſcretione Rectoris Tyronum, facilè continget eos qui gravabuntur ſupra vires, deſpondere animum, & retrò reſpicere, pedemque referre; cum potuiſſent, ſi peritiori uterentur duce, ad magnos olim in religione progreſsûs pertingere. Præterquamquod iſta inconſulta præſcriptio mortificationum captum ac ſtatum tenerorum in viâ Spiritûs Novitiorum excedentium, averſionem ijs ingenerat à Magiſtro, fiduciam-

clamque demit pandendi ei cordium intima. Atqui omni ratione providendum est Tibi, & omnino cujvis Institutori Iuvenum ad Religionem, ut quas in animo sentiunt depravatæ naturæ aut maligni spiritûs suggestiones à recto avocantes, confestim ut exoriuntur enuntient, summâque ingenuitate fateantur. quod ni faciant nunquam earum se laqueis expedient, nunquam ad perfectionis apicem trans insidiarum obstacula perrumpent; quin è contrario ista prima mali semina ab ijs infeliciter suscepta, & incauto fota silentio, in perturbationes sensim inquietiores adolescent, quoad obducto tandem tædio Disciplinæ salutaris, respectare unde venerant victos animi coëgerint, & jugo Christi excusso ad veterem resilire licentiam. Quos aut Confessione ipsorum, aut signis alijs cognoveris ad inanem gloriationem, ad obsequendum cupiditatibus sensuum, aut ad quævis alia vitia vehementiùs impelli, ijs hac commodâ ratione suggerere auxilium in tali opportunum periculo poteris. Iube illos dato ad id spatio conquirere argumenta omnis generis, quibus efficacissimè posse sibi viderentur aliquem vel arrogantiâ turgidum,

gidum, vel intemperantiæ deditum, vel si quo alio ipsi tentantur, animi morbo laborantem, aut curare jam affectum, aut præmunire periclitantem: te ipso loca librosque indicante, ac manuducente ad inventionem rationum hùc facientium. ubi farraginem congesserint, præcipe ut ex his orationes concinnent, quasi pronunciaturi, vel ad concionem in Templo aut plateâ, vel ad convalescentes in valetudinario, vel ad vinctos in carcere: tum re ipsâ da operam ut sermones ejusmodi perorent. Licebit sperare quæ alijs remedia præscripserint, ipsos ultrò sibi sumpturos: & hæc antidota venenorum mentis vim priùs suam exertura in animis quibus intimè admota studio attento & acri commentatione fuerint, quàm in auditoribus obiter aliena sensa inopinatò proposita cognoscentibus. pudebitque ipsos haud dubiè in eo labi, unde alios tanto conatu retrahere contenderint. Similem cum proportione adhibere artem poteris ad sanandos propè desperatæ perversitatis peccatores, qui negant imperare se sibi posse, ut aut occasiones flagitiorum â se amoveant, aut rem alienam quam malâ fide deti-

detinent, restituant. ideóque volentes in-
criminum conscientiâ persistunt, exortes
Sacramentalis absolutionis, quâ se meritò
privari non ignorant: & tamen propter
infamiam spontanei cujusdam anathematis,
quo se cum publicâ offensione irretitos no-
runt, sentiunt quædam interdum suæ ip-
sorum tædia nequitiæ, nec non periculi
æternæ damnationis, cui subjacent, quos-
dam identidem horrores. His blandâ in-
sinuatione tibi conciliatis suggere-sis: ut
pro suâ prudentiâ secum ipsi exigant, quid
dicturi Amico forent cum ijsdem difficul-
tatibus luctanti, ut eum ad emergendum
è luto illo, & saltum è foveâ expedien-
dum excitarent. Ac comiter roga ut vel
exercitationis ludicræ gratiâ, sermone te-
cum familiari, ne graventur experiri quan-
tum ingenio valeant in excogitandis ad ta-
les suasiones argumentis. Audita probata-
que quæ afferent in ipsos suaviter retorque,
orans pro amicitiâ, ut velint sibi quoque
ipsis idem officium præstare, intimè admo-
vendo, vulneribusque applicando proprijs
quas morbis Amicorum depellendis salu-
bres medicinas autumant. Miserans ani-
mas quas ad se laudandum, & sic felicita-
tem

tem assequendam à se conditas, beneficentissimus Deus Noster ruere in perniciem per abrupta vitiorum cernit, hanc ijs adiecit quâ retraherentur quasi ansam propensi ad salutem aliorum studij : ut qui veram in se primùm ipsos caritatem habere pro mensurâ debuerunt amoris in proximos : ex hoc adhuc vigente, in necessarium salutis propriæ studium, quod male negligunt, reflectantur ; arte non omittendâ nobis, quos nihil intentatum in reducendis ad sui Creatoris obsequium animabus, æternoque ipsarum exitio prævertendo, quoad ejus rei per hanc vitam tempus est, relinquere convenit. Sistent tibi se interdum in Sacro Tribunali pœnitentiæ impliciti fœdis amoribus homines, aut prædis raptu congestis, quibus avarè incubant, redundantes, quos ad abigendas è contubernio Pellices, ad resarcienda rapinarum spoliatis, per restitutionem, damna, nec Dei Amor aut reverentia, quas funditùs perdiderunt, nec metus mortis, aut Inferni, ad cujus sensum occalluere, queat adducere. Hos una ratio terrendi est, intentandis minaciter malis, quæ horrent sola, vitæ hujus. Ergò

istis denuncia, brevi, ni Deum iratum placare properent, superventuras ipsis jacturas naufragiorum, insectationes Præfectorum, calumnias litium, damnationes judiciorum, carcerum longas ærumnas, morborum incurabilium in summâ egestate ac destitutione, nullâ consolatione mitigatas acerbitates; inter infamiam, ipsos & Posteros eorum indelebili maculâ deformantem, inter odium & execrationem publicam; qualia his & illis probè ipsis notis, nec magis quàm illi meritis, eveniſſe meminerunt. Deum quippe nunquam impunè contemni: & eò irrevocabiliùs sævire, quò patientiùs expectaverit. Taliumcertò imminentium imagine cladium perculsos facilè primus concutiet impulsus timoris Domini, qui miserè hactenùs dementatis initium sapiendi sit futurus. Quotiescumque te accinges ad tractandum cum quolibet de rebus Dei cultum & salutem æternam attinentibus, adhibe hanc prudentiam, ut non priùs verbum facias, quàm odoratus sis, ac quibus poteris signis exploraveris, statum intimum ejus animi. Tranquillus ne an turbatus vehementi affectu: paratus sequi viam ad rectum ostensam,

sam, an scienter aberrans, & irrevocabiliter affixus studijs humilium curarum, quibus officia religionis posthabere cùm hactenùs solitus, tùm certus videatur in posterum: oppugnatus diabolicis infectationibus, an sibi & naturæ relictus: denique paratus monentem audire; an tactu asper & irritabilis, erupturus timeatur in furias, si contrectetur incautiùs. Ad quamcumque de his præsumptam notitiam tua deinde accommodanda fuerit allocutio: ut iratis mansuetè, turbatis placidè, præoccupatis, arte aptâ sese insinuet; in benè dispositos & ad quidvis honestum dociliter sequaces, se liberiùs effundat: nullum tamen inaniter oblectans, aut in assentationem desinens meram: sed salubris semper aliquid antidoti ægris quamlibet fastidientibus scitè immiscens, quo per gradus ad sanitatem disponantur. Ergò cuipiam odio ardenti ex acri sensu recentis injuriæ, factum de quo queritur, si pravum est, & ipse improba. sed autorem imprudentiâ prolapsum, non deliberatâ peccasse malitiâ, quibus poteris argumentis doce. ubi audiri te, nec planè displicere senseris, adjunge: permisisse forsitan hoc Deum in

pœnam ſimilis olim ab ipſo commiſſæ culpæ. Hîc familiariter interroga: ecquid unquam ſe facto aut verbo læſiſſe alium meminerit? num ſaltem in pueritiâ rabioſulus aliquando in Parentes, contumax magiſtris, iracundus æqualibus, juſtam quibuſdam de ſe querendi cauſam dederit? ubi aſſenſerit, vicem ſibi rependi, ut æqui conſulat, mone. Hanc enim ipſi nunc offerri divinitùs veteris expiandæ noxæ occaſionem pretioſam. ſi non juſtè queritur, ſenſim adrêpens dilue rationes falſas quibus ſibi perſuadet quod longè à vero eſt: tum creſcente paululùm fiduciâ, merenti molliter ſuccenſe: denique ubi tutò poſſe te ſenſeris, fortiùs increpa. Emineat inter hæc ſerena quædam & amoris mixta indicijs in vultu dicentis alacritas. His Dei Benedictione adjutis artibus interdum excantantur intemperiæ perturbatarum mentium, & quaſi quidam quo tenebantur, Faſcinus ſolvitur, liberas jam eas, & recti capaces ſinens. ſic explanatâ velut viâ fidenter ingrediens, promove ad perfectum quàm potes maximè, totas effundens habenas ſtudio Deum honorandi, conciliando ipſi amore ac veneratione ſummâ

crea-

creatarum ad eum diligendum & laudandum mentium. Quod præcepi ſuperiùs, ut quæ peccata, quæve commerciorum fraudes Armuziæ frequentantur, è Peritis diſceres: nec ad eum locum, nec ad iſta ſpecierum capita reſtringas velim. ubicumque fueris, etiam obiter & peregrinando, à Viris Bonis & vitæ communis experientibus ſtude ſemper quàm exactiſſimè cognoſcere, non crimina ſolùm, aut rapinarum ibi uſitatas artes; ſed uſum univerſum populi, perſuaſiones vulgares, ſtudia Gentis, peculiares regionis conſuetudines, modum regiminis, Fori ſtylum, litium formulas, Pragmaticorum cavillationes, & quidquid omninò in Reipublicæ ac civilis Societatis ratione verſatur. nihil enim horum (experto credas mihi) non utile ſcitu eſt Medico animorum, ut citò morbos intelligat, facilè remedia expediat, promptam ſemper ac paratam cunctis occurrentium neceſſitatibus opem habeat in manu. Hinc ſcies quid creberrimè in concionibus inculcandum ſit, quid confitentibus magnoperè commendandum. Hæc te notitia ad promiſcuos cum hominibus congreſſus inſtruet. Eâ præmunitus, nihil ut novum mirabe-

re, nullo improvisi occursu æstuabis. Hinc animi præsentiam in varietate subnascentium casuum, hinc dexteritatem in multiplici tractatione cum quibusvis, hinc autoritatem ad omnes hauries. Sæculi homines cum à Religiosis admonentur, ferè contemnunt; quòd eos imperitos rerum putant. Si quem non minus quàm ipsi versatum ac tritum in usu vitæ civilis experiendo cognoverint, hunc mirabuntur, huic se permittent; eo Autore non dubitabunt etiam sibi vim facere, ac quidquid, quamvis arduum, suaserit, exequi. Vides fructum istius scientiæ ingentem; in quâ ideo parandâ, non minùs tibi nunc, quàm alias in Scholis, in Doctrinâ Philosophicâ vel Theologicâ quærendâ elaborandum existima. Ea porrò non è libris mortuis in chartâ descriptis, aut membranâ; sed è vivis Codicibus, viris scilicet experientibus negotiorum, morum popularium callentibus, petenda tibi est. Cum illâ plus proderis quàm si totas speculationum Bibliotechas mente comprehensas, torrente verborum in turbam effunderes. Memento autem in ijs apud quos pondus tibi aliquod dignationis ac meriti facultas ista com-

comparaverit, primum autoritatis tuæ istius experimentum ostendere, procurando efficiendoque omninò, ut totius vitæ noxas accurato examine recognitas per Sacramentalem Confessionem in tuis auribus deponant: tùm ut ad earum veram detestationem, rationibus ex Dei Majestate, & ei à suis creaturis debito amore, ductis, per secessum & commentationes eò accommodatas excitare se conentur. sic habe; fundamentum hoc est bonorum omnium. hoc caput. hoc cunctis prævertendum. Da deinde operam, ut eos controversiarum forensium tricis, odiorum nempe ac calumniarum Seminarijs, expedias. Suade igitur ut Amicorum arbitrio lites finiant, magno pecuniæ, curarum, existimationis compendio; nec cognitionem, si detulerint, recusa; cui vacare tuo & illorum commodo poteris, Dominicis aut alioqui feriatis à negotio diebus: querelas aut petitiones litigare parantium singillatim audiens, & compositionum temperamenta proponens, in qualia convenire conducibiliùs longè sit, quàm sumptu, tædio, periculo ingenti, per mendacia emptorum testium, fraudes impostorum, legulejorum

innumerabiles insidias, inter labyrinthos irremeabiles cavillationum, judiciorum æstu, ac quadam irrequietâ reciprocatione quasi vorticum Euripi, miserrimam quotidie aleam jacere statûs atque honoris funesto naufragio perdendi. Talia differens litigandi pruriginem vadimonia meditantibus excuties. multò autem faciliùs expertis jam Prætoriorum auram, & tumultûs Tribunalium pertæsis, approbabis consilium ab inchoatis certaminibus spontè desistendi. Scio ingratum hoc futurum Scribis, Advocatis, & cæteris variorum nominum Hirudinibus Fori, quibus quæstus ingens comparatur ex frequentiâ & longitudine causarum. Tu verò istorum de te hoc nomine querelas partim contemne; partim quos poteris horum tuis artibus aggredere, deterrens à noxio artificio trahendarum in moras interminabiles litium; tum admonens de periculo ipsis instanti æternæ felicitatis amittendæ: & quò tantæ rei prospiciant, invitans ad secessum dierum aliquot in ascetica commentationes expendendorum. Hærebis Armuziæ quoad à me literas acceperis, quæ migrare aliò jubeant. Scribes ad me per naves Armuziâ

Mala-

Malacam ituras, inscribens fasciculum Francisco Perezio. Volo ijs literis singillatim ac minutè quidquid operæpretij ex tuis laboribus extiterit, exponas. eas Franciscus Perezius Malacâ in Iaponem ad me curabit, si cordi Deo fuerit me ad ejus Divinæ Majestatis obsequium ad Iaponem tendere. Si à me spatio trium annorum nullas literas acceperis, toto tamen hoc tempore Armuziæ persevera, quantumvis à quocumque aliò inviteris, aut voceris. nam hoc triennio te manere illic ad Dei Gloriam opportunum judico, & planè impero. Post evolutum triennium, si nihil à me literarum perlatum ad te sit, persistes ibi tamen quoad Rector Collegij Sanctæ Fidei inde te migrare jusserit. quare tunc fusè perscribes ad illum quod eatenus Armuziæ feceris, quem fructum Dei operæ reportaveris, quem in posterum speres; quid distinctè mandatum tibi à me discedente fuerit de commoratione illic trienni, quantumvis eo intervallo à Goano Rectore evocareris: de cætero profitebere, quando jam præfixum id tempus elapsum sit, in ejus arbitrio te fore, paratum ad nutum exequi quod præscripserit; suggerens

rens tamen quæ post omnia coràm Deo expensa, digna consideratione videbuntur ad statuendum quod è re fuerit circa opportunitatem aut etiam necessitatem tuæ ulterioris in eâ statione moræ. Ad eas literas quidquid ille rescribens mandaverit, sine ullâ excusatione aut dilatione facies. quod dixi de literis ad me tuis, Malacam Armuziâ mittendis, non sic intelligas, ut semel in anno id factum satis sit. nolo sinas navem omnino ullam illinc Malacam solvere, sine tuâ ad me Epistolâ, Francisco, ut dixi, Perezio commendatâ. In nave quàm conscendis proficiscens Armuziam, fac, oro te, curam ingentem habeas Navarchi, pelliciendo illum ad confessionem peccatorum; & ubi se ad frugem tuis hortatibus receperit, diligenter præcavendo ne iterum à recto deficiat. In nave concionabere Dominicis diebus, aliisque quibus tibi opportunum videbitur. Arbitrio enim tuo, circumspectis cunctis quid in re præsenti magis expediat statuenti, id totum permitto. ne in concionibus eruditionem ac memoriam ostentes, recitandis magno numero testimonijs, & autoritatibus Scriptorum veterum. Pauca,

sed

sed lecta, & ad rem apta sufficiant. magna pars dictionis consumatur in graphicè depingendo statu interiori ac tumultu Animarum peccantium · inquietas machinationes, artificia callida, spes & cogitationes vanissimas, consilia fraudulenta quæ mente versant fac in oratione recognoscant tuâ, & velut in speculo palàm cernant. Addes funestos harum molitionum exitus; dilues sophismata captiosarum suggestionum capitalis Inimici Diaboli, modum ijs se laqueis extricandi trades. ni faciant terrores accumulabis. attentè nimirùm homines illa potissimùm audiunt, quibus intimè convenitur conscientia ipsorum. Speculationes sublimes, quæstiones perplexæ, Scholasticæ controversiæ, ut captum, sic & curam humi repentium prætervolant, inani sonitu detonant, nullo fructu evanescunt. Ipsos ipsis clarè ostendas necesse est, si tenere ipsos ex te loquente suspensos velis. ut autem exprimas quæ penitùs sentiunt, nosse illa priùs opus est. noscendi verò unica ratio, multùm cum illis esse, explorare, rimari, observare. Hos itaque vivos libros evolve plurimùm. hinc rationes ad efficaciter docendum: hinc facultatem

tem agendi ferendi, ac quò ad illorum salutem conveniet, flectendi movendique Peccatores trahes. non veto tamen lectionem mortuorum librorum. Sacræ Scripturæ, Patres Ecclesiæ, Sacri Canones, libri Ascetici, quique officiorum jura & differentias tradunt, suis sanè temporibus diligenter consulantur. Ex his enim remedia tentationum, argumenta persuasionum, stimuli heroicorum affectuum, exempla laudis omnis ex Sanctorum Actis saluberrimè ducuntur. sed frigida ista sunt, & parùm juvant, nisi priùs aperiantur ijs profundè admittendis Auditorum Animi. horum porrò reserandorum certa clavis est, ista quàm dixi repræsentatio statûs interni cujusque, peritè à consuetudinis humanæ benè gnaro Concionatore facta, & in bono lumine cujusque sensibus objecta. Quandoquidem pro suâ munificentiâ constituit Rex, ut illic tibi necessaria ad victum è suo Fisco præberentur, utere illâ Optimi Principis Gratiâ; & à solis ipsius Ministris accipe vitæ subsidia quibus indiges; ab alijs ultrò etiam oblata reijciens. nam ad autoritatem libertatemque curatoris Animarum, insignis est momenti, nemini

mini eorum quos dirigere in salutis viâ, & ubi aberraverint corripere retrahereque debet, esse obnoxium titulo præbitionis alimentorum, hoc est, vitam & spiritum debere. veréque de hoc genere Donorum dici solet, qui capit, capitur: fiduciam videlicet amittit quidquam jure censorio agendi cum eo, cujus patronali reverentiæ Clientis humilitate se adstringi passus est. Hinc est quod æstuamus in verbis reperiendis quibus castigemus, quando merentur, qui nos pascunt: aut si vim verecundiæ zeli atque officij imperio facimus, minùs tamen proficimus, apud despicientes nos quodam supercilio Dominij, beneficiorum in nos impensorum pretio sibi, ut putant, legitimè parati. Atque hoc cum universè verum est, tum magis locum habet in certis hominibus, de quibus te præmunire necessarium duco, qui flagitijs demersi, tecum tamen familiaritatem affectabunt, certatimque civilibus officijs amicitiam tuam ambient, non ullo desiderio proficiendi ex congressu sermoneque tuo ad emendationem nequitiæ, in quâ perdurare ad extremum decreverunt; sed ut tibi os obstruant & linguam vinciant,

ciant, cujus pertimeſcere cenſuram ſuæ ipſos conſcientia improbitatis admonet. Hos ne planè repellas cenſeo, aut eorum obſequia prorſus aſpernêre: ne invitationes quidem ad menſam, aut munera reijcias, ſi modica ſunt, nec magni pretij, ut aqua, fructus recentes, & quæ ſunt ejus generis, qualia recuſari, offerentes probro ducunt, more inter Luſitanos hîc in Indiâ recepto: cæterùm præ te fer & liberè denuncia, eâ te conditione munuſcula ipſorum admittere, ſi viciſſim illi tuas admonitiones & adhortationes boni conſulere ſint parati: promittere quoque ad cœnam, cum ab illis vocaris, iſtâ demùm lege; ſi pariter ad confeſſionem peccatorum, & participationem Euchariſtici Epuli, ipſi, te invitante, ſe accingant. porrò iſta quæ dixi non debere reijci metu amicitiæ lædendæ munuſcula eſculentorum, ſimul acceperis, continuò ad ægros in Noſocomium, ad vinctos in Cuſtodias, aut egentes alios tranſmitte. Probabit & commendabit videns populus talem acceptorum à te munerum uſum, & omni te deliciarum, aut quæſtuoſæ gratiæ ſuſpicione abſolvet. De diverſorio tibi, quando illuc perveneris,

ris, eligendo, prudenter inspecto statu rerum præsentium, decernes, ut aut in publico Xenodochio, aut in Ædibus Sodalium Misericordiæ, aut in Domunculâ Templo vicinâ, prout magis expedire videbitur, habites. Si contigerit te à me in Iaponiam vocari, scribes continuò ad Rectorem hujus Collegij, idque duabus tribusve vijs per naves totidem isthinc Goam versùs solventes, rogans eum ut provideat aliquem è nostris idoneum juvandis & consolandis civibus istius Vrbis, quem in eâ tibi statione successurum quàmprimùm destinet. Ad extremum te ipsum tibi ipsi præ omnibus impensissimè commendo. nunquam tibi excidat memoriâ te membrum IESV Societatis esse. In singularibus quæ se illic offerent occasionibus gerendarum rerum, quid magis è Dei Domini Nostri obsequio sit, ipse te usus & præsens experientia docebit. non est hâc ulla melior & certior prudentiæ magistra. Fac quotidianis tuis & tuorum quos in Religione diriges, precibus communi me Domino commendes diligenter. Postrema longæ Paræneseos hæc præscriptio sit: Singulis saltem semel Hebdomadis hanc Scripturam attentè

tè totam relege : ne unquam in eâ præceptorum ulla te ſubeat oblivio . Dominus utinam Deus Noſter , te comitetur & iſto itinere deducat : idemque tamen permaneat hîc nobiſcum . Vale . Goæ Menſe Ianuario An. CIↃIↃXLIX.

*Franciſcus .*

## EPISTOLA V,

## P. SIMONI RODERICO

Soc. ietatis IESV.

*Gratia & Amor Chriſti Domini Noſtri adſit ſemper vobis auxilio & favore. Amen.*

QVi has Tibi reddet literas, homo eſt uſu hîc aliquo mihi notus . Is intur animo poſtulandi à Rege præmia operæ à ſe Reipublicæ navatæ : vehementerque à me inſtitit , vt commendatitias in eam rem ad Te Literas darem . Agnoſco equidem , nec diſſimulavi , longè quæſtuoſiorem iobi

bitionis artem instituere illum, agendo cum Deo, posse; impetrandâque ab eo suorum peccatorum veniâ; quàm meritorum ac rectè factorum terrenam mercedem à Rege mortali nundinando. Is tamen ab istâ vtique spe ac cogitatione, hîc quidem, deduci non potuit. Experiare isthic censeo, ecquid animum cum Cœlo mutaverit. Et si forte illum mala periculaque navigationis opportuniorem cœlestibus monitis fecerint, suade homini, ut Monachus potiùs isthic hæreat, quàm hûc redeat Miles. Si persuaseris: næ Tu hominem miserum ingenti affeceris beneficio; atque adeo lucrifeceris animam perditam. quod si defixus caducis animus ad tantum Philosophiæ non assurgit, iuvetur sanè in ijs quæ iustè postulat; & Te; quoad potes, conciliante consequatur ex honorarijs quæ meruit longâ militiæ tolerantiâ, saltem quantum ad victum isthic ei opus est. Id ego Te ut coneris ejus causa etiam atque etiam per Dei caritatem rogo.

Postquam omnes literas perscripsi quas dare constitueram in Lusitaniam ferendas Petro Fernandez, functo in his Indiæ Tractibus munere Proëpiscopi, appulerunt huc

Malacâ Naves quæ certò nunciant, Portûs Sinicos infensos infestosque Lusitanis esse. Non tamen hoc me deterrebit à tentandâ profectione in Iaponiam, quàm uti iam significavi Tibi me decrevisse, ita Deo iuvante suscipiam. Non est enim alius fructus animi maior in hâc ærumnosâ vitâ, quàm vivere in magnis moriendi periculis, quorum adeundorum unica & vera causa fuerit solus Dei Amor, & ei gratificandi, dilatandæque Nostræ Sanctæ Religionis syncerum studium. Suavius, mihi crede, homini est in hisce laboribus versari, quàm sinè illis pacatè, otioséque vivere. Deus Dominus Noster nos in suâ sanctâ gloriâ coniungat. Vale. Cocino VIII. Kal. Februarias Anno CIↃIↃXLIX.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

EPI-

## EPISTOLA VI.

## IOANNI III. REGI LVSITANIÆ.

NOn scribo Maiestati Tuæ calumnias, iniurias, vexationes, quibus hîc exagitantur & opprimuntur qui recens ad Nostram Sanctam Religionem accesserunt. Pater enim Frater Ioannes de Villa-comdea isthuc proficiscens cuncta ejus generis fusè veriſſiméque narrabit, & quasi subijciet oculis Maiestatis Tuæ. Debes illi viro, Domine, multas gratias ob labores ingentes & innumerabiles quos per hos Indiæ Tractus exhausit in Divino tuoque obsequio, & ut conscientiæ atque officij Maiestatis Tuæ rationes expediret apud Deum. At in æstimando Patris Fratris Ioannis merito, nolim à Maiestate Tuâ solùm reputari contentiones, perpessiones, vigilias, & cæteras corporis ærumnas; vtcumque eæ multæ, graves, continuæque fuerint, quas pertulit. Ludus enim hæc ac remissio sint, si comparentur

cum mentis angoribus, & diriſſimo tormento animi quo intimè lacerabatur ſpectans ſuis oculis, nec prohibere ullâ ratione valens, Præfectos Arcium & Procuratores Fiſci immaniter agere ferreque, & avariſſimè diripere miſeros Neophytos, in fide Chriſti, quàm nuper ſuſceperunt, teneros adhuc: quos ideo illi ipſi qui vexant Chriſtiani Magiſtratus fovere potiùs debuerant & beneficijs amplecti. Hoc vero, mihi crede Domine, Cordolium longè ſupra omnes corporis dolores acerbiſſimum eſt; atque adeo, vt ſic dicam, martyrij genus horrendum, cruciatibus quibuſvis tyrannicis atrocius, cogi patienter acquieſcere cum videas momento deſtrui alienâ culpâ, quæ tuo & aliorum longi temporis vehementiſſimo conatu, ærumnoſiſſimâque conſtantiâ, proximè faſtigium perducta erant. Hîc pro certo ferebatur, Regem Ceïlani pretioſa xenia ad Maieſtatem Tuam mittere, ob beneficia quæ à Te quotidiè accipit plurima. Habeat pro indubitato Maieſtas Tua, immanem in eo & acerbiſſimum Chriſti hoſtem Ceïlani regnare: &, quod penè dictu nefas eſt, ad nocendum Chriſti cau-

fæ,

sæ, opprimendamque quàm potest maximè religionem, non aliâ magis potentiâ, quàm tuâ gratiâ tuisque Donis autorari & armari. Verissima hæc sunt; sed vobis auditu fortasse non grata. quare equidem perinvitus scribo; præsertim cum id ne frustrà fecerim, metuam, Dum enim hîc de futuris æstimatur ex præteritorum experientiâ, sanè verendi causa est, ne in posterum quoque maior longè ac clarior Tuæ Maiestatis favor, extet in illum professum & atrocem Inimicum Christi, quàm in Religiosos Sacerdotes qui rem Christianam Ceïlani curant. quæ palàm cernentibus, evidentia ipsa rerum voces interdum elicit liberas, quas pace tuâ, Domine, hîc ponam: Imperio Te Indiarum non ad amplificandum Christi Regnum uti; sed ad corradendas opes humanaque dumtaxat ac temporaria Tibi ac Tuis conficienda commoda. Ignoscat mihi quæso Maiestas Tua si tam clarè ac sine ambagibus res vt sunt exprimo. Hoc enim me ita facere cogit verus & syncerus amor ac studium quo Tui Tuæque Salutis æternæ, Domine, teneor: cum audire mihi videar Dei Sententiam Supremo Iudicio decer-

nentis, aut potiùs quid decreverit extremo Tuæ mortis momento, declarantis; cujus neceſſitatis vim nemo eluctari quantumvis potens; nemo arte propriâ, ope ve alterius cuiuslibet, valet effugere. Nec, quæſo, nimium confidat Maieſtas Tua iis Mandatis quæ multa & gravia piè ac ſpecioſè inſeris Literis Regijs ad Prætorem, Præfectos, & cæteros Indiæ Magiſtratus, iubens ante omnia Religioni caveri & faveri Chriſtianæ. Ego enim, Domine, qui res uti ſe habent præſens intueor, clarè intelligo, nullam prorſus reſtare ſpem fore ut talibus umquam mandatis verè ac ſeriò deferatur. quare una mihi non in poſtremis cauſa eſt Iaponiam cogitandi, vt illas in extremas Orientis Inſulas fugiens, operam utiliùs, quàm hîc hactenus, collocem. Pater Frater Ioannes fert ſecum communicanda Maieſtati Tuæ capita quædam circa miſeros Chriſtianos Oræ Comorinenſis. Capiat Maieſtatem Tuam aliqua miſericordia illorum. neu gravere eſſe illorum Pater; Orphani enim ſunt, morte nuper Michaëlis Vazij, optimo ac veriſſimo Patre amiſſo. Quinque & quadraginta jam anni ſunt ex quo Epiſcopus quidam

dam Armenus, nomine Iacobus Abuna, Deo hîc & Maiestati Tuæ inservit. Homo est ex æquo ferè Deo carus ob virtutem ac Sanctimoniam; & Maiestati Tuæ, ac omnibus ferè qui possunt aliquid in Indiâ, neglectus ac spretus. Deus illi sic merenti per se consulit; Nos eo haud dignans honore, ut instrumentis vtatur nobis ad consolandos servos suos. Soli eum Ordinis Sancti Franciſci Patres ita curant, eâque amplectuntur benevolentiâ cui nihil addi possit; absque quâ foret, iamdiù bonus senex confectus ærumnis efilasset animam. Liceat consulere quod sentio. Magnoperè autor sum Maiestati Tuæ, ut ad istum Bonum Præsulem scribi cures tuo nomine verbis honorificis & benevolis; indito Literis ijsdem, quod possit Gubernatoribus ac Procuratoribus monstrari, mandato, præsertim Præfecto Cocinensi, vt eum honorent, hospitio excipiant, officijs & favore prosequantur; maximè cum quid petet, aut quâ re indigebit. Hæc scribens, non illi pio Antistiti prodesse ac gratificari me putabam, sed Maiestati Tuæ. Nam ei per beneficam Patrum Franciscanorum caritatem, nunc quidem nihil

deeſt : Maieſtas vero Tua Hominis apud Deum gratioſi favore ac commendatione multùm eget ; quàm promereri tali poteris officio . Eo eſt ille vir , vel hoc nomine digniſſimus , quòd multum exhauſit laborum in excolendis Chriſtianis Sanctæ Thomæ : & nunc in ſuâ penè decrepitâ ætate obedientiſſimè ſe accomodat cunctis ritibus & conſuetudinibus Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ . Scio ſcribere ſolere Maieſtatem Tuam ad Patres Sancti Franciſci . ei faſciculo poſſet inſeri hæc ad Epiſcopum Armenum Epiſtolâ , quàm ſuadeo ſcribas omnibus favoris , æſtimationis , & affectûs ſignificationibus plenam . Deus Dominus Noſter imprimat penitùs menti Maieſtatis Tuæ claram notitiam Sanctiſſimæ Voluntatis ſuæ ; ſuggeratque ſimul vires , & auxilium conferat ad eam ita plenè perfectéque exequendam , ut Tua Maieſtas gauderet à ſe factum Horâ extremâ mortis ſuæ . quando à Te , Domine reddenda Deo ratio erit totius anteactæ vitæ . Id decretorium æternitatis momentum citiùs aderit quàm Maieſtas Tua putet . quare danda maturè opera eſt ut benè ad illud paratus occurras . Regna & Principatus tranſeunt .

seunt. His nova succedet & inopinatissima facies rerum: planè qualis ne cogitatione quidem ac suspicione primâ, Maiestati vmquam Tuæ in mentem venerit. Videbis enim Te per mortem spoliatum Regnis, & possessionibus eiectum cunctis, in alia longè diversa contrudi terribilia & tenebrosa Regna; in quæ durissimum & acerbissimum erit relegari ex illis alijs avulsum; præsertim si, quod Deus avertat, extra Paradisum & ejus spem esses amandandus. Cocino VII. Kal. Februarias Anno CIↃIↃXLIX.

Tuæ Maiestatis Servus inutilis.

*Franciscus.*

EPI-

# EPISTOLA VII.

## P. SIMONI RODERICO

Societatis IESV.

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri adsit semper nobis auxilio & favore. Amen.*

NE mirere quòd scribam ad Te sæpius. Nam & multi sunt qui hinc ad vos proficiscentes, literas à me quas ad Te perferant, petunt: & Ego perlibenter omnem occasionem arripio compellandi tui: utique confidens fore, ut quæ à me scribuntur fructu animi mei magno, à Te pro amore mutuo, legantur non sine voluptate. Qui Tibi hanc reddent Epistolam duo viri honesti sunt ac probi, optimique Christiani, cives Malacæ Vrbis, ubi Domicilia & Familias habent. Causa illis fuit isthuc navigandi, cura exolvendi se certis officijs obsequijsque ad quæ adstringebantur. Narrabunt Tibi multa de Malacâ civitate, de laboribus in eâ nostro-

ſtrorum, & fructu qui ex ijs provenit, quæ habent perſpectiſſima, utpotè cunctorum teſtes oculati. Ferunt etiam literas Patris Franciſci Perez, quibus puto illum, uti ſe facturum recepit, fusè, diſtinctè, ac minutim explicare quo ſucceſſu functiones Inſtituti Noſtri propriæ illic exerceantur. nec tacebunt de Sinicis Iaponiciſque rebus. in eâ enim Vrbe diù fuerunt, quæ commercijs illarum Terrarum & Gentium opportuna, optimè omnium novit quid in ijs geratur. Mirari ſe multùm aiunt amici mei ac familiares omnes, quòd navigationi tam longinquæ tamque periculoſæ me committam. Sed miror Ego magis modicam illorum fidem. Habet in manu ac ditione ſuâ Deus Noſter Tempeſtates Marium Sinici & Iaponici, quibus vehementiores negant uſpiam ullas exiſtere. Subſunt eiuſdem poteſtati venti omnes, ſcopuli, Syrtes ac Brevia, quæ plurima, inſidioſiſſimaque, ac infamia naufragijs ibi feruntur eſſe. Imperio idem ſuo continet Piratas omnes, quorum illic infinitum numerum prædicant, eorumdemque immaniſſimorum, quique ſoleant exquiſitis enecare cruciatibus quos capiunt,

præ-

præsertim Lusitanos . Cum igitur Deus Dominus Noster sub suâ ditione teneat hæc omnia , à nullo eorum quidquam timeo . Deum ipsum metuo solum ; ne ob meam in ejus obsequio negligentiam, quodque ineptus inutilisque meâ culpâ sim in Regno ac Nomine Iesv Christi Filij ejus inter Gentes quæ ipsum non norunt proferendo , iustè castigandum decernat . Extra hunc , omnes illos alios metus , pericula , labores , quæ tam formidolosè Amici certatim intentant mei , non facio nauci , & securus rideo ; unusque im me Dei Timor cunctos creaturarum metus extinguit ; quippe quas nocere nemini scio posse , nisi cui & quatenus Conditor ipsarum incommodare permiserit . Redeo ad duos Nostros , oroque Te , pro eo quantum Dei ac Domini Nostri Amor atque obsequium Tibi cordi est , ut paucis diebus quibus Vlyssippone futuri sunt , eos foveas , hospitio commodo excipi cures , in cunctis adiuves , prout poteris & res exiget . Ac cum , auditis , quæ multa illi vobis de Indiâ narrabunt , ipsos confectis negotijs remittetis hùc , fac eis deferendas ad nos tradas longas & accuratas literas , quæ

nos

nos omnia doceant de cunctis Societatis Noſtræ Patribus ac Fratribus, qui in Italiâ, Galliâ, Belgio, Germaniâ, Hiſpaniâ, & Aragoniâ ſunt: nominatim autem de benedicto & mihi ſingulariter caro Collegio Conimbrincenſi. Has Tu literas Malacenſibus Noſtris inſcribas cenſeo. Illis enim tradita earum autographa ab his duobus indidem civibus ad ſua reducibus, ſervabuntur ibi; & exſcripta ex ijs exempla ad nos è Malacenſi Portu, vnde ſingulis annis multæ in Sinas & Iaponiam naves ſolvunt, tot mittentur vijs, ut per vnam harum aliquam ſucceſſum habituram ad nos perventura ſint. Deus Dominus Noſter nos coniungat in ſuâ ſanctâ Paradiſi Gloriâ. Amen. Kalendis Februarij Anno CIↃIↃXLIX.

Tibi deditiſſimus & Tui Amantiſſimus in Chriſto Frater.

*Franciſcus.*

EPI-

## EPISTOLA VIII.

*P. Paulo Camerti Societatis* IESV *Rectori Collegio Goani.*

PRoficiſcens in Iaponiam te Goano Collegio Præpoſitum, Per quantum Deo Domino Noſtro gratificari ſtudes, perque amorem quo P. Ignatium & IESV Societatem univerſam amplecteris, primùm ac ſuper omnia obſecro atque obteſtor, ut infimâ demiſſione, attentiſſimâ circumſpectione, ſummâ ſemper in omnibus adhibendâ maturitate recti judicij, enitaris tranquillè, concorditer, amanter vivere, cum Antonio Gomezio, cumque omnibus noſtris variè per Indiam diſperſis. Equidem pro intimâ, quam habeo notitiâ omnium Societatis IESV Operariorum qui hodiè per hos Tractûs Deo & Eccleſiæ inſerviunt, facilè judico non indigere illos moderatore à quo in viâ Divini obſequij dirigantur: tamen ne illis plus merendi per obedientiam deſit occaſio; & quia Diſciplinæ Ordo ſic poſtulat; opportunum cenſeo aliquem ipſis cui obtemperent imponi.

qua-

quare fretus tuâ modeſtiâ, prudentiâ & Doctrinâ, factu optimum judicavi te ijs Curatorem Ducemque præficere, cujus imperio, cum limitationibus mox indicandis, ſubſint quicumque, vel Socij, vel externi Alumni, Goæ aut alibi, Rectoris Collegij Sanctæ Fidei reſpicere nutum & ſequi autoritatem hactenùs conſuevere. In hos eam poteſtatem exercebis, quoad ejus legitima revocatio tibi ſignificata ritè fuerit. Vide tamen quibus exceptionibus eam, juſtis de cauſis, reſtrictam velim. Primùm Antonio Gomezio jubeo plenum abſolutumque arbitrium jure quàm optimo competere in externos Seminarij Alumnos, ſive Luſitanos, ſive Indigenas. Eidem liberam attribuo adminiſtrationem vectigalium & totius pecuniæ Collegij, ut eam exigat à debentibus, & in uſus familiæ neceſſarios expendat, prout ipſi videbitur. nihil igitur intercedas quominùs ſic agat, aut facti rationem exigas. quæ item ad emiſſionem vel admiſſionem Alumnorum Luſitanici aut Indici generis pertinent, cuncta ipſius cognitioni ac judicio relinque; boni conſulens quidquid ſtatuerit, nec in ullâ rerum talium autoritatem inter-

interponens tuam . Si quid de his secus quàm ipse , senties , conveni eum consilio aut prece ; pro imperio nihil in causis hujusmodi præscribas . Castigationes etiam Puerorum utriusque generis , uti & totum Ordinem Disciplinæ ipsorum domesticæ , ac distributionem officiorum , assignationem , electionem , rejectionem Ministrorum Convictûs , illi uni committo. & ut ijs sine interpellatione aut contradictione tuâ , vel cujusquam , securè fungatur , jubeo . Atque hîc te iterùm pro rei momento rogo , perque obedientiam quàm Patri Nostro Ignatio volens promisisti , cujus vi tibi hæc mando , adjuro & obtestor quàm possum efficacissimè , ne ulla Te inter & Antonium Gomezium extet unquam animorum dissensio , altercatio verborum , simultatis initium aut species : sed mutuis potius significationibus conjunctissimæ semper voluntatis , summique invicem amoris , testatissima germanitas , & in commune bonum familiæ totius suâ cujusque ex parte omni sedulitate promovendum , unanimis conspiratio , quæ sui semper declaratione manifestâ , offensioni ac murmurationibus intra & extra Domum ansam præcidat

dat omnem . Quoties Fratres Noſtri qui Promontorij Comorinenſis Incolas , aſſiduè vicos eorum concurſando , excolunt , vel Colano Nicolaus , Meliapore Cyprianus , Melchior Gonzalez Bazaino , Franciſcus Perezius Malacâ , Ioannes Beira cum Socijs è Molucco ſcripſerint ad te , implorantes tuam apud Prætorem aut Epiſcopum gratiam , quorum ipſis favor in occurſu negotij cujuſpiam neceſſarius fortè ſit , aut aliud quidvis officij vel ſubſidij ſpiritualis aut corporei , quo egere cumque ipſos contigerit , petentes ; fac omnibus omiſſis , diligentiâ & caritate ſummâ efficiendis quæ poſtulant te impendas ; agens etiam cum Antonio Gomezio ut quod ſuarum eſt partium in id ſtrenuè ac largè ſtatim conferat . Literis porrò quas ad ærumnoſos illos in Sole ac pulvere pondus æſtûs ac diei ſudore ſuo multo portantes ſcribis , cave ſtillam unquam vel minimam acerbitatis ullius inſpergas : Omnes potiùs apices amorem & ſuavitatem ſpirent . Objurgationis, querelæ , mentionis cujuſvis unde offendi aut contriſtari queant , odor omnis & umbra quàm longiſſimè abeſto . Ad victum , veſtitum , tuendam , reſtituendam valetudi-

nem necessaria quæ postulant promptè prolixè, liberaliter suggerite. misereat enim vos laborum continuorum atque ingentium quos in Dei obsequio summâ vi annitentes tolerant, & diù noctuque, sine humani ullius admixtione solatij, exantlant. quod de ijs potissimùm dixero qui Molucenses & Comorinenses Ecclesias curant. nam hi verè Crucis gravissimæ onere molestissimo premuntur; qui ne sub fasce gemant, curate, per Deum, quantâ maximâ solicitudine potestis, ne fruſtrà, ne bis requirant quæ illos desiderare intelligitis, vel ad animorum solatia, vel ad subsidia corporum, quorum defectu languere ipsos quoque ac fatiscere animos certum est. Hoc ego, juvandorum Fratrum in acie stantium per vos castra servantes, tam æquum tam cunctis prævertendum officium judico, ut non dubitem adjurare vos, & Dei Domini Nostri & Patris Ignatij nomine, ne ad summam ejus alacriter exhibendi, cumulatè defungendi, diligentiam, reliqui vobis quidquam extremâ contentione faciatis. Te verò propriè quod attinet, rogo etiam atque etiam, Frater, ut continuis in virtutem profectibus accrescas, exemplo cunctis

ctis prælucens salutari, uti semper hactenùs feciſti. nullam ad me ſcribendi elabi occaſionem ſinas. Expecto autem copioſas literas quæ multa jucunda de te doceant; de familiâ hâc universâ, de conſenſione mutuâ, individuâque te inter & Antonium Gomezium caritate, de ſingulis noſtrorum Comorini Promontorium excolentibus, de Cypriano Meliapore degente, de Socijs quos naves hoc anno è Regno appulſuræ expoſuerint: qui & quot in ijs ſint dicendi ad populum inſigni facultate præditi, qui Sacerdotio initiati, qui Laici. Generahorum diſtingui, numerum ac ſpecies apponi, nomina, dotes, vires, virtuteſque ſingulorum fusè perſcribi poſtulo. Hujus tui mecum literarij commercij duæ ſaltem viæ certè ſuppetent. Solet enim bis quotannis navis regia Goâ ſolvere, Septembri quidem Bandam petens; Aprili autem ad Molucenſes Inſulas curſum intendens. Sed utraque obiter attingit Malacam, ubi noſter Franciſcus Perezius literas mihi inſcriptas accipiet, & non defuturis commoditatibus rectè ad me in Iaponem curabit. Fac, amabo te, hanc tibi à me relictam abeunte chartam ſemel quavis Hebdomade

relegas, ut sic non tantùm meorum mandatorum, sed mei quoque absentis memoriam refrices; quâ te velim incitari ad propitiandum mihi Deum tuis, Goensium nostrorum, & devotorum devotarumque tuarum precibus. Antonio Gomezio mandavi, ut si Concionatores è Lusitaniâ venerint, quosdam eorum in circumsitas stationes mittat; uti Cocinum, ubi adeo desideratur bonus è Societate Ecclesiastes; item in partes Cambajæ; puta in urbem Dium. Id ipsum tibi commendo. quare si naves hoc anno appulsuræ exercitatorum in dicendo Sociorum quandam copiam attulerint, age cum Gomezio de ijs opportunè dispergendis, ut ij omninò à vestrûm altero, quò indicavi destinentur. Quoniam vereor ut in tuis magnis regiminis multiplicis occupationibus satis liberum tibi facilè contingat otium ad me tot ista quæ scire cupio, tam minutè ac diligenter scribendi; eam curam demandes censeo Dominico Nostro, aut alteri cuipiam è Lusitanis domesticis; quem jube sedulò colligere, & in Commentarios referre quæ varijs occasionibus de nostris per missiones aut stationes sparsis, præsertim de Gaspare

Armu-

Armuziæ degente, ſubinde Goam ſcitu dignа nunciantur. Ea tu ſcripta ſub navium ſtatis vicibus Malacam petentium diſceſſum, in faſciculum compinges mihi inſcriptum, cui manu tuâ adijcies ſi quid arcanò mihi ſignificandum habebis. Quid in varijs ex iſto Collegio pendentibus Sedibus geratur, quive ſit locorum ſtatus, quia præſenti ſpectare tibi nondum contigit; nec experientia te docuit quomodo vivatur in Orâ Comorinenſi, Meliapore, Colani, in Moluccis, Malacæ, Armuziæ, neminem ex ijs qui per ea loca operantur, ad te accerſes abſoluto imperio. fieri enim poſſet ut propter ignorationem rerum quæ tunc fiunt, ſecurim benè ceptis infligeres, & negotia proximè ſucceſſum diù optatum magno molimine promota, importunâ Miniſtrorum evocatione diſturbares, detrimento non facilè reparabili ſalutis animarum & Dei Gloriæ. Hæc mihi cauſa eſt ſcribendi (quod modò faciam) ad P. Antonium Criminalem, ne aut ipſe loco ſe moveat cujuſcumque accitu, aut quemquam ex ijs qui cum illo Chriſtianos Comorinenſes in Sacris erudiunt, de ſtatione decedere, quocumque revocante, patiatur, niſi ei rebus

præsentibus inspectis, id sine incommodo fieri posse videretur. Idem alijs mando Stationes alias tenentibus: ne aut ipsi cepta omittant, aut Socios laborum illic necessarios ab opere abripi sinant, alióque abire, sic corrupturos spes magnas, & occasiones pretiosas perdituros dilatandi Christi Regni, recessu intempestivo & Divini obsequij rationibus apprimè noxio. Consultiùs igitur fuerit tuam in his autoritatem non interponere; nec aliquid pro imperio jubere quoá an expediat exequi haud satis compertum habeas. Porrò ut nominatim acciri Goam à te quemquam è nostris peregrè laborantibus veto, nisi priùs explorato judicio ipsorum, & consensu perspecto; ita si qui eorum, causis urgentibus, injussu ad te venerint, benignè accipi & singulari caritate ttactari jubeo; adeoque perbenevolè curari, seu remedijs aut subsidijs egeant corporum: seu malè affecti animis, suâ ipsi, proprio consulente periculo, voluntate, aut Sociorum de ipsis fraternè solicitorum suasu, missuve, quæsitum spiritualem medicinam venerint, pœnitentiæ ac correctionis secessûsve per dies aliquot ascetici. quæ tu illis officia impendes,

des, paternâ caritate, ne pereant aut detrimentum capiant, providens. Hactenus dicta ut obſerves ſedulò, te vehementer, Cariſſime Frater Paule, oro. Menſe Aprili Anno CIↃIↃXLIX.

Totus Tuus.

*Franciſcus.*

## EPISTOLA IX.

## IOANNI III. REGI LVSITANIÆ.

AVditis, Domine, ac ſæpe multumque conſideratis, quæ à varijs, iiſdemque idoneis, Autoribus, quippe in re præſenti verſatis, plurima & mira referuntur de inſigni quadam diſpoſitione quæ in Inſulis Iaponiæ cernitur ad accipiendam Noſtram Sanctam Religionem; putavi mihi vehementer atque inſtanter à Deo Noſtro Domino petendum, ut dignaretur ſenſu quodam intimo in animum meum immiſſo ſignificare, ecquid ipſi cordi eſſet;

me illò proficiſci; ſimulque daret vires ad perficiendum quod iuberet. Placuit Divinæ Maieſtati, ejus me voti compotem facere. Planè ſiquidem in animo meo ſentio, & penitus perſuaſus ſum, expedire ad Dei obſequium me in Iaponiam tendere. Ergo alacri vigens fiduciâ, moras abrupi omnes ex Indiâ ſolvens; vt jam haud dubiè vocantem, crebriſque ac vehementibus incitantem ad iſtud iter impulſibus Deum ſequerer. Eo curſu hunc Malacæ Portum tenuimus duo Socij mecum, & tres Iapones Chriſtiani recentes; ſed valdè boni, qui poſt plenè percepta Iesv Chriſti Domini Noſtri vitæ ac Doctrinæ myſteria & dogmata, Goæ in Collegio Sanctæ Fidei baptizati ſunt. Omnes legere more noſtro, ac ſcribere didicerunt, recitantque Eccleſiaſticas Preces, ac ſtatis horis Divina meditantur. Movet illos atque afficit præcipuè conſideratio Laborum & dolorum Chriſti; Cruciſque ac mortis ejus recordatio, in quâ ſæpè magnis animorum ſenſibus & teneris affectibus verſantur. Meditationibus aſceticis Patris Ignatij mentem excoluerunt attentione ſummâ, miroſque inde fructus reportarunt clarioris

Dei

Dei notitiæ. frequentant ſponte Sacramenta Confeſſionis & Communionis: & ad hoc nobiſcum iter ingentibus deſiderijs vrgentur adducendorum ad Chriſti Religionem Popularium ſuorum. Pervenimus hùc, ſex quos enumeraui, Malacam pridie Kalendas Iunias Anni CIↃIↃXLIX. Arcis Malacenſis Præfectus excepit nos omnes eximiâ caritate: prolixéque detulit quidquid à ſe optari ſtudij & favoris poſſet ad expediendum & promovendum hoc noſtrum iter, quod magnâ ſpe Deo inſerviendi, & Maieſtati Tuæ gratificandi, ſuſcepimus. mox verborum humanitatem officiorum ſeduli-tate ſuperavit. Ita enim elaboravit inquærendâ nobis nave commodâ, cæterâque opportunitate procurandâ tutò ac facilè pergendi quò tendimus, ut quæ quo primum die hùc appulimus liberaliter & benignè multa promiſerat, cumulatiſſimè repræſentarit. quidquid ejus poteſtatis fuit, in eo promptè, benevolè, vltrò nobis offerendo nihil ſibi ad ſummam humanitatem reliqui fecit: quæ vero ambitu & gratiâ exoranda ab alijs fuere, in ijs eblandiendis omni ſtudio, conatu omni efficiendis, tantum elaboravit, tamque inſigni te-

neræ

neræ in nos caritatis demonſtratione noſtrâ causâ contendit, vt facilè ſentiamus nos ſemper impares fore iſti ejus remunerandæ beneficentiæ; quâ maiorem efficacioremque ne à Fratre quidem germano expectare poteramus. Per quo Deum Dominum Noſtrum complecteris, amorem, oro obſecroque Te, Domine, vt quæ plurima hoc nomine Petro de Syluâ debemus, rependere vice noſtrâ Maieſtas Tua dignetur. Largè ſuppeditari iuſſit quidquid nobis opus fuit, non modo in viaticum navigationis hinc in Iaponiam; ſed in ſumptum etiam & victum commorationis illic longiuſculæ, & ædificationem Sacelli vbi ſacrum Miſſæ Sacrificium offerre Deo poſſimus. quàm propriè in rem largitus nobis eſt triginta modios piperis optimi electi ex omni copiâ quæ Malacæ fuit. Addidit multa ſpecioſa & magni pretij munera, Regi Iaponiæ offerenda: vt ijs ille delinitus faciliorem ſe admittendis nobis, & in Regno ſuo tolerandis præbeat. Hæc ita minutè narro Maieſtati Tuæ, quò intelligas quibus me beneficijs & honoribus afficiant Fideles tui ſubditi qui in Indijs ſunt. Equidem, Domine, verè mihi dicturus videor,

deor, neminem umquam in Indiam veniſſe, cui tantum vel honoris vel gratiæ tribuerent degentes illic Luſitani, quantum mihi detulerunt. Totum hoc debeo Maieſtati Tuæ, crebriſque tuis illis & efficacibus commendationibus mei ad eos quos negotijs Regni tui Præfectos habes per Indicos Tractus. Quos inter quoniam Dominus Petrus de Syluâ Præfectus Malacenſis in me iuvando, colendo, ornando inſigniter excelluit, ijſque me ſibi beneficiis obſtrinxit, quibus inopia & imbecillitas mea parem à me vnquam referri gratiam prohibent, peto vt me ſinas conſtituere in Liberalitate Tuâ ſupplementum egeſtatis meæ. Id conſequar ſi dignabitur Maieſtas Tua, & huic & alijs de me optimè meritis largiter in mei gratiam benefaciendo, ea cuncta repræſentare, quæ Ego ipſis cum debeam, exolvere non poſſum. Deus Dominus Noſter per ſuam Infinitam Pietatem & Miſericordiam illuminet plenè ac penitùs mentem Maieſtatis Tuæ ad clarè cognoſcendum ſuam Sanctiſſimam Voluntatem; addatque gratiam perfectè exequendi quæ ipſi placere noveris: ſic prorſus ut feciſſe gauderes in momento mortis tuæ. quando

do sistêris ante Dei Tribunal redditurus rationem omnium quæ per universam vitam egisti. Vehementer etiam atque etiam obsecro Te, Domine, ne pigrêris jam nunc præparare in illud ultimum periculum decretorij momenti quidquid expediri modò ac præverti potest. Morbus enim supremus & mortis ingruentis vicinia, ita mentem Languentis in angorum dolorumque, qui plurimi acerbissimique tunc sæviunt, præsenti sensu miseram defigit, ut illi nequaquam vacet alijs curis aut cogitationibus attendere, quàm quas illis horribilis scena rerum animo se se tum primùm obijciens, tristissimas & inutiliter cruciantes incutit, quarum informare speciem nemo potest qui non sit expertus. Malacæ die Festo Corporis Christi Anno CIↃIↃXLIX.

Maiestatis Tuæ servus inutilis.

*Franciscus.*

EPI-

## EPISTOLA X.

### EIDEM.

QVoniam Regijs iſthinc miſſis literis iuſſiſti me, Domine, ſcripto referre ad Maieſtatem Tuam de ijs qui per hos Tractûs cum fide ac diligentiâ commiſſo à Te ſibi munere funguntur; ſic velim habeas: Duartem Barretum, qui negotia Regni tui nuper procuravit Malacæ, nihil in eâ functione omiſiſſe quod ab homine gnavo, induſtrio, fideli expectari poſſet. Ita enim proſpexit rationibus Fiſci, ita Negotiatoribus favit, iure, ſine perſonarum reſpectu ex æquo dicundo, ita denique in omnibus ſe geſſit, ut ejus iſte Magiſtratus honori apud has Gentes Maieſtati Tuæ fuerit. quippe cum ex hoc ſpecimine iudicantes Homines vulgò crederent, Te Miniſtros hùc Imperij Tui tales mittere, quos virtutibus quæ Tibi maximè probarentur, quibuſque ipſe abundares, inſtructiſſimos ſcires. Equidem ſic arbitror: Regum ac Principum latè imperantium in eo verti gloriam; ſi,

quas

quas ipsi per se administrare non possunt suæ ditionis partes, iis committant quorum existimari similes honestum ipsis sit; quosque Populi cum viderint, cumque fidem, gravitatem, æquitatem ipsorum usu perspexerint, studio amplexi fuerint, expressam effigiem laudum ac decorum Principis absentis in præsentibus ab eo missis eius Vicariis, spectare sibi ac tenere videantur. Horum de numero ac genere optimo Ministrorum, qui summam sibi felicitatis ponunt in perfectè obsequendo Regi suo, vel inprimis est Duartes Barretus: hoc nomine dignus quem Maiestas Tua re ac dignitate auctum velit; cuiusque, ob egregiè Tibi ac Reipublicæ navatam operam, remunerandi quærendas occasiones putes. Ea quæ dixi ut faceret, multùm illi laborum exantlandum fuit; multæ (quæ copia hîc Improborum est) contentiones suscipiendæ, certandaque certamina. Nec imputari potest in locum idoneæ mercedis, pro sedulâ diligentiâ tot annorum, Præfectura, cuius memini, Malacensis. Primùm quia casu quodam factum est, vt parum ipsi quæstuosa foret; deinde quia tempus ejus totum expiere non

non potuit. quare hinc pauper discedit. Dignare, Domine, ei consulere, utique Homini quantamvis à Maiestate Tua gratiam merito. Adiungat precor Deus Dominus Noster multos annos ad vitam florentem & felicem Maiestatis Tuæ: concedatque per suam clementiam Tibi, ut in hâc vitâ cognoscas Sanctissimam ejus Voluntatem; benignéque suppeditet vires animi abundantes ad eâ sensibus, operibus, affectibus agenda quæ supremo tempore feciſſe Te gauderes. Malacâ IX. Kal. Iulias Anno CIↃIↃXLIX.

Maiestatis Tuæ servus inutilis.

*Franciscus.*

EPI-

## EPISTOLA XI.

### PATRIBVS PAVLO CAMERTI, ANTONIO GOMEZIO, BALTHASARI GAGO, SOCIETATIS IESV. GOAM.

*Gratia & pax Domini Nostri* IESV *Christi sint' semper in nostris Animabus. Amen.*

HOs paucos versus cursim vobis exaro, quoniam scio deesse non posse, quin vos delectet nosse, ut se iter hoc nostrum habuerit, & de nostro Malacam appulsu. Cocino solvimus VI°. Kal. Majas, incredibilem illic priùs experti humanitatem Franciscanorum Patrum. exceperunt nos summâ, nec fuci ullius suspectâ, demonstratione caritatis; quo illis nomine & debemus, & semper debere fatebimur plurimùm. In cursu Malacensi consumpsimus dies non totos quadraginta. Pervenimus Malacam valentes ac vegeti, cùm ego, tum Pater Cosmus Turrianus & reliqui, nullo languente, nullo ne nauseâ quidem,

aut

aut tenui commotiunculâ tentato. Tempestate usi sumus toto cursu percommodâ. Piratarum Acenorum nec periculum nec suspicio fuit. Adeò fortunare usquequaque navigationem istam Deo Domino Nostro placuit; cui maximas eo nomine & habemus & agimus, & rependi à vobis quoque poscimus, Laudes & Gratias. Pridie Kal. Iunias in hunc portum Malacensem exscendimus. Excepit me Præfectus & universa Civitas à summis ad minimos, ingenti & benevolentissimâ significatione lætitiæ. Primis ipsis congressibus Præfecto commendavi Iaponiense nostrum iter. Obtulit ad id prolixè quantum in se foret; moxque promissa in rem contulit non exiguâ diligentiâ. Hoc ille tam benevolo studio, & nos & Societatem universam sibi mirificè devinxit. Tantus enim eâ totâ curatione ejus eminebat in nos amor, ut suo sumptu, nostrâ propriè causâ, Lusitanam navim armare mittereque in Iaponem voluerit: feciſſetque, si reperiri navigium ad hoc aptum potuisset. Exclusus isto consilio, applicuit animum ad navem Sinensis formæ, quàm *Iuncum* vocant. Cujus navarchus Sina, Latro nomine, licet Ido-

Iolatra, familiam tamen Malacæ habet. Ab hoc pollicente se nos rectà perducturum in Iaponiam, Præfectus haud temerè credendum ratus homini Ethnico, Syngraphàm exegit, quâ volens declarabat: se in istius promissi fidem opponere pignori uxorem cum re familiari universâ; eâ conditione, ut nisi nostris ipsorum literis è Iaponiâ relatis constitisset, rectè nos illuc fuisse perductos juxtà pacta, conjux quàm relinquebat Malacæ, & quidquid in Lusitanâ ditione possidebat, Fisco manciparetur. Præterea nos idem Præfectus cunctis rebus ad navigationem istam usque Iaponem, & ad ibi Domicilium figendum, necessarijs, providentissimè, ac liberalissimè instruxit. Impendit quinetiam nummos aureos ducentos în munera offerenda Regi Iaponiæ, quò eum conciliare nobis, & propitium habere in Evangelij promulgatione possimus. Imus continuo cursu in Iaponem, sine ullâ in quoquam è Sinarum portubus morâ. Fortunabit, ut speramus, Dominus Deus Noster navigationem istam; nosque salvos illuc perducet, ubi sanctum ejus nomen glorificetur, primùm per nos innotescens cæcis illis Gentibus. Alfonsus

die

die Sanctiſſimæ Trinitati ſacro, primum Deo Sacrificium ritè obtulit, cum cantu & apparatu ſolemni, Diacono & Subdiacono miniſtrantibus. Proceſſit ordinata in pompam linteata multitudo Clericorum uſque ad Ædes Sodalitij Miſericordiæ, in quibus diverſabamur, novumque Myſtam, nobis quoque proſequentibus, ad majus urbis templum abduxerunt; reduxeruntque poſt Sacrum peractum eódem. In ipsâ functione myſterij ei adſtiterunt Proëpiſcopus & noſter Franciſcus Perezius, Diaconi partes obijt Pater Franciſcus Turrianus. Ego eodem die ad concionem dixi. mirificè delectavit, & veneratione affecit intimâ populum tàm auguſta ſpecies ſacrorum, quòd nunquam viderant primitias Divini Sacrificij adeò exquiſitâ ceremoniâ offerri. Expecto literas à vobis fusè ac diligenter ſcriptas, quæ me planè ac ſingillatim doceant, cùm de univerſo ſtatu Collegij, tum de ſingulis Patrum ac Fratrum illic degentium; ut quiſque valeat, quid agat, quantum proficiat, quâ induſtriâ, quo fructu, elaboret. Invidebitis mihi jucundiſſimum fructum animi, ſi me ullâ parte optatiſſimæ iſtius notitiæ fraudetis. Præterea ſci-

re aveo, quot qualesve Socios è Lusitaniâ profectæ naves exposuerint. qui numerus in ijs Sacerdotum, Clericorumve, quis adjutorum Laicorum sit. ecquid illorum aliqui valeant concionandi facultate? quanta? & quibus ij alijs polleant dotibus? Hoc propriè argumento duo triave folia majoris chartæ velim expleri. Postremò de omnibus nostris in Comorino, Colani, Meliapore, Armuziæ, Bazaini degentibus, facite ut sciam cuncta, sic tanquam oculis præsens subjicerem. ultrà istas à vestrûm altero, P. P. Paule & Antoni, dandas ad me literas, cupio significetis singulis Patrum Fratrumque Nostrorum vobiscum viventium, petere me majorem in modum, uti ne graventur mihi proprijs Epistolis exponere statum animæ ipsorum. juvabit, pro meo in singulos peculiari affectu, cognoscere quibus quisque à Deo cœlestibus recreetur donis, quâ pace gaudioque fruatur animi, quàm alacriter, obsequendo Deo Domino Nostro, ad perfectionem tendat. Velim etiam, ut nomine omnium Indigenarum alumnorum unus aliquis ipsorum, puta Iacobus à Mosambico, ad me scribat. nec nostri expectent dum mutuas

ab

ab ipsis eliciam præmittendis ad unumquemque meis ; ad quod sicut mihi caritas abundat , ita (prout facilè omnes vident) otium non suppetit . Hanc Epistolam communicari cunctis ipsis volo . rogoque ut quisque velut sibi nominatim inscriptam accipiat . Istæ porrò chartæ universæ , prout aliàs monui , mittantur Malacam ad Franciscum Perezium , cujus curâ rectè in Iaponiam ad me destinabuntur . Cum ipsi vos quæso mementote , tum date , amabo vos , operam ; ut omnes Patres Fratresque Nostri meminerint , Deo impensè commendare quotidianis Sacrificiis ac precibus , planè uti meipsum , Dominum Præfectum Malacensem , cujus tam luculenta in nos ac Societatem universam extant beneficia , ut ijs rependendis planè impares simus , nisi succenturiemus Dei Domini Nostri Omnipotentem beneficentiam in supplementum egestatis & imbecillitatis nostræ , ne turpissimam ingrati animi consciscamus labem . Literas quas Vlyssipone Conimbricâ , Româ , P. Simonis aut aliorum è Societate recipietis inscriptas mihi , scitis jam mittendas esse Malacam navi Bandam versùs soluturâ . sin ad tempus

ad id non occurrerint ; imponantur certè Regiæ celoci Ternaten Aprili Menſe deſtinandæ , quâ etiam occaſione non prætermittetis Molucenſes noſtros latè de omnibus quæ in Europâ & per Indias memorabilia geruntur, certiores facere . Cæterùm quas in faſciculo Europæarum ad me literarum obſervaveritis ſigillo regio inſignes, de illis hoc peculiariter mando : reſignate exemplaria earum quæ primâ viâ venerint & legite , tum in faſcem iterùm compacta Malacam , ut dictum eſt , mittite . Cur has literas velim à vobis, Pater Paule , & Pater Antoni, prælegi, ea cauſa eſt, quòd mentionem in ijs futuram arbitror duorum negotiorum , ad quorum plenam expeditionem , me abſente , veſtra erit opera neceſſaria . Scripſi ego dudùm ad Regem de Dominâ Iſabellâ olim Reginâ Molucarum (fuit enim Mater ejus qui ante Regem hodiernum illic regnavit ) quæ matrona, meo cum ibi eſſem miniſterio , Chriſtianam ſuſcepit Religionem . Scripſi pariter de Balthaſare Velozo affini intimo Regis Molucenſis ( habet enim ejus in matrimonio Sororem ) homine Noſtræ Societatis amantiſſimo , & qui promovendæ converſioni

sioni Ethnicorum ad Christum, operam studiosissimè utilissimam navat. De his capitibus duobus responsurum mihi Regem, pro cæterâ ejus benignitate, sperare debeo; quinetiam verisimiliter expecto; quædam regia diplomata, quæ istis ambabus de religione optimè meritis personis impetrare sum conatus, istis ad me literis jungenda. Si mea me opinio non fefellerit, oro etiam atque etiam vos, ut ista diplomata per navim regiam Mense Aprili ad Molucas Goâ profecturam, summâ curâ nostris Molucî degentibus commendetis. Sin Regis de his literæ tacebunt: nec ulla utrique, aut saltem alteri horum inscripta charta regia toto fasciculo cernetur: tum vos ambo, Pater Paule & Pater Antoni, convenite confestim Dominum Prætorem, eumque magnoperè orate, ut inspici jubeat num in fasce noviissimè perlato Chartarum ad ipsum Regiarum reperiantur decreta pensionis annuæ Reginæ Isabellæ persolvendæ, aut certi honoris, vel immunitatis Balthasari Velozo, Regis gratiâ, concessæ. Ea si fuerint inventa, impetrate à Prætore, cum ut cætera cuncta quæ ad plenum regiæ liberalitatis effectum repræsentandum opus

erunt ex se conferat ; tum ut ipsa diplomata vobis committat , curaturis ut ijs ad quos attinent , reddantur . Horum quod Reginam Isabellam spectat, sufficiet commendare nostris Stationem Moluccensem obtinentibus : Balthasari Velozo suum censeo vos ipsi proprio fasciculo , cum literis vestris, omni grati & obsequiosi animi significatione insignibus , inscribatis ; id sedulò agentes, ut intelligat: se cum præsentes nostros beneficijs amplectitur , omnium ubique Sociorum mutuam sibi gratiam , efficacibus semper in occasione officijs testandam , obstringere . Tibi jam Antoni Gomezi , maximoperè , ac quàm possum efficacissimè , commendo ut impensè reverendis, ac Beatorum , propè dixerim , honore prosequendis , Patribus Ordinum Sancti Francisci , & Sancti Dominici, summam semper caritatem , demississimam reverentiam , studium obsequiosissimum in omnibus exhibeas , non modò universos eximiè colens, sed singulis , ut quisque occurrerit , per humanissima officia plenam fidem faciens veri ac synceriſſimi amoris . Omnem autem ab eis dissensionem , aut simultatis initium quodvis ac speciem , cane pejus & angue

gue tibi cunctisque nostrorum vitandam statue. In quo sic habete: prævertendis odijs, invidiæque ac suspicionibus seminatricibus discordiarum in ortu ipso extinguendis, efficacissimam fore operam conspectæ semper in singulis nostrorum minimè fucatæ, sed ex intimâ demissione mentis in externam humilitatem propensæ modestiæ. Hos autem sensus atque affectus erga spectatissimos illos tam illustrium Religionum professores, nolo teneatis concluſos mentibus. exerite in opus visendis illis subinde officiosè, & quocumque per occasiones, etiam studiosè captatas, licebit, honoris atque obsequij genere demerendis. sitque horum ipse populus testis; ut spectator alioqui cupidus contendentium inter sese Sacerdotum, nullum à vobis, aut vestrâ ex causâ sperandum sibi tale spectaculum intelligat. Sed & ipsam plebem aut quidquid ibi cujusvis generis hominum est, ut vobis adjungatis, benevolosque reddatis, ipsorum causâ curandum est. sic enim duntaxat prodesse ipsis ad salutem animæ poteritis. istius porrò non quæstuosæ, sed religiosæ popularitatis, ars spesque præcipua in eo sita est, ut nullis non verbis,

factis,

factis, gestibus in quotidianâ conversatione demonstretis modestissimam compositionem sese aspernantis animi, & verè fraternam inter vos mutuò, tum promiscuè ad omnes fuci expertem & promptam ad opus caritatem. Hoc, quantum ad amorem erga nostros attinet; tibi præsertim Pater Paule, qui cunctis isthic præes, dictum puta. & boni consule orari te hîc quoque, & obsecrari à me, ut nihil prætermittas, quo reddere te amabilem Fratribus Nostris qui à te reguntur possis, pluriſque referre putes diligi te ab illis ex animo, quàm tibi eos ad nutum obsequi. Quod sequitur ad omnes isthîc nostros pertinet, quos jam nunc moneo, stent parati animis, intentique ad signum, si fortè animadversâ rei melius in Iaponiâ, quàm isthic gerendæ facultate, ad uberiorem eos messem evocavero frequentes. Auguror equidem deesse vix posse quin quamprimum à me illuc accersantur aliqui; cæteris, ubi pignus spei primis successibus acceserit, haud longo post intervallo secuturis. Date universi sedulam operam, ut Domini Episcopi vivam semper & ex animo propensam erga vos gratiam servetis. rolo autem

tem contentos esse vos vestram ei clientelam approbare meris honoris signis, & sterili declaratione reverentiæ. ultra omnes significationes venerationis infimæ, procedite, quantum ipse sinet, ad communionem laborum ipsius, & molis quâ prægravatur, solícitudinis Ecclesiarum, parte, quantam volet in vos deonerare, alacriter humeris tollendâ, sublevate canitiem Patris Optimi, Christianæ Religionis in his partibus supremi Moderatoris: in cujus exhauriendis omnis generis mandatis, atque adeò exequendis vel nutu suboſtensis voluntatibus, non aliam volo vos Obedientiæ Vestræ metam figere, quàm qui virium vestrarum extremâ contentione conantium, ultimus finis est. Impertiam vobis deinceps curam quæ me coquit rependendi, pro mediocritate facultatis nostræ, quantum debemus optimo & liberalissimo Regi nostro pro magnis quibus non cessat nos afficere beneficijs; quantum Lusitanis in Indiâ degentibus pro studio quo nos ingenti prosequuntur. Facilè video haud opis esse nostræ, aliam illis referre gratiam, quàm procurandæ Lusitanorum, ubicumque sive peregrinantur, sive Domicilium

lium habent, æternæ ſaluti, per Eccleſiaſtica Inſtituti Noſtri miniſteria, ſolerter & conſtanter inſiſtendo. Ad hoc, opus præſertim eſt, Concionatoribus bonis, quales jampridem doleo in multis Luſitanorum, ſatis alioqui frequentibus & talis auxilij multum egentibus, miſerè deſiderari Colonijs. cui neceſſitati, ut grati animi officium non cogeret, inſtinctu communis caritatis ſuccurrere deberemus. Eâ nunc præ cæteris inopiâ laborant Cocinum, & Bazainum. Hæc me cauſa ſubigit imperare tibi Pater Antoni Gomezi, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut eorum qui è Luſitaniâ proximè venturi expectantur, Concionatorum, unum confeſtim Bazaïnum, alterum Cocinum deſtines: etiam ſi duo tantùm advenerint; & reliquus poſtea nullus ſit veſtro Collegio Goano. nam iſthic eas partes tu ſuſtinere adhuc, ut feciſti hactenus, poteris. Vide ne moram in hoc interponas ullam. nam præterquamquod ex animi mei ſententiâ & certo judicio ſic jubeo; etiam fidem in hoc meam obſtrinxi Domino Epiſcopo, cui ſcribo; me, ut id fiat, omni exceptione poſthabitâ, mandaſſe. Deus Dominus Noſter pro ſuâ infini-

infinitâ Misericordiâ imprimat penitùs mentibus nostris claram notitiam suæ Sanctissimæ Voluntatis ; & simul vires spirituales nobis subministret ad ei obtemperandum, non minori perfectione obsequij, quàm quâ illi obedivisse, in momento mortis nostræ gauderemus. Exposui vobis scriptis Cocino literis quàm necessarium sit assignari Colani Societati Domum, in quam recipere se possint, & ex quâ prodire Patres Nostri qui excolendis per Oram Comorinensem Christianis insudant. in quam etiam congregari Seminarium, & ubi schola Instituì Puerorum illius Tractûs, valeat ; quò denique deportentur, & ubi curentur Operarij, qui succumbentes oneri laborum illius missionis immensorum, viribus subinde fatiscentibus, in morbos incidunt graviſſimos. Age, oro te, mi Frater Antoni Gomezi, cum Domino Prætore, cumque primario Quæstore, ut viam aliquam expediant tam non differendi Operis repræsentandi ; mittendâ quamprimùm ad Patrem Nicolaum Colani diversantem aliquâ pecuniâ, vel alio subsidio, quò protinus inchoare rem tam urgentis usûs queat. Quæ mox subjungam te petunt

Pater

Pater Balthasar Gage. egeo enim quadam in re tuâ operâ. Mandavi superiùs Patribus Paulo & Antonio, ut me certiorem faciant de rebus domesticis (hoc enim appellare vocabulo possum, quæ ad Personas, Domos, Acta, Sociorum qui sunt in Indiâ, pertinent.) Atqui vel necessaria, vel utilis certè, mihi est notitia eorum quoque quæ aut peregrè, aut ab Exteris geruntur. Hanc tibi ego Provinciam sepositi, multâ fiduciâ caritatis in me tuæ. ne igitur, oro te, gravêre scrutari chartas & Commentarios è Lusitaniâ perlatos Europæarum rerum, sciscitari etiam ex appulsis inde, sicque ex lectis auditisve mihi excerpere, quæ referuntur ad hæc capita. Qui sit status Romæ Societatis Nostræ? Conimbricense Collegium quatenus creverit? An & quinam è nostris utrobique sese offerant ad veniendum huc adjutum nos? Negotium Missionis Æthiopicæ vigeat-ne adhuc, an omissum sit? designatus-ne jam fuerit eò mittendus Patriarcha: & quàm mox soluturus nuntietur? Simon Noster quid cogitet, quid agat? per Indiam quid moliantur Reverendi Patres Ordinum Sancti Francisci & Sancti Domini-

minici ? quo fructu in Animarum culturâ elaborent ? utrum ipsis ex Europâ supervenerint supplementa suorum , præsertim Concionatorum ? velim etiam peculiariter me doceas ecquid valeat , ut floreat Optimus Amicus Noster Cosmus Agnezius ? quibus Domum ejus ac familiam Deus Dominus Noster favoribus fortunet ? Addas ad extremum de te ipso , quibus cognitis gaudeam , de valetudine , de progressibus in viâ Spiritûs , de desiderijs agendi magna , patiendi dura, pro Christi Gloriâ. Etsi hæc te sponte ac libenter meâ causâ , pro tuâ humanitate , facturum scio ; addo tamen , ne merito obedientiæ frauderis , præcisum sic agendi imperium . Moneo ad extremum , ut proficiscendi signum à me promptus ac procinctus expectes . accersam enim te huc citiùs quàm opinaris . Iterùm te compello , Pater Antoni Gomezi , enixè commendans , ut si nostri Comorinenses ad te preces querelasve suas , vel Christianorum quos curant , detulerint , miserè interdum oppressorum vi & injurijs Præfecti ; ad illos sublevandos , omissis omnibus , incumbas ; utarisque ad id operâ Ruyzij Gonzalis , qui Patronus & Pater

cum

cum sit infelicium illorum, idemque apud Prætorem gratiâ valeat, multùm ad illos protegendos & poterit & volet. Superest ut in hoc periculo ancipitis, longæ, laborioſæ navigationis noſtræ Iaponicæ, corroborari debilitatem noſtram veſtris univerſorum precibus expoſcam. Oro igitur vos pariter omnes, quotquot Goanum iſtud Collegium incolitis. dignemini quotidianis Orationibus & Sacrificijs opem Divinam implorare Patri Coſmo Turriano, Ioanni Fernandi, Paulo Iaponi, & Socijs ejus duobus Manuëli Chinæ, & Amatori, tum poſtremò mihi. Audimus hîc multâ de Iapone quæ ſpe optimâ nos implent operæpretij ingentis ex noſtrâ illuc profectione proventuri. narrant quippè albas ibi latè cerni ad meſſem fruges. tædere multos illic ſuperſtitionum avitarum. cupere non paucos audire de Chriſti Lege, cujus ad illos, cum non exiguâ commendatione, fama pervenit. Monſtrantur literæ quorumdam negotiantium in Siami Regno, teſtantes; appulſos illuc Iaponas aliquos, auditos fuiſſe cum dicerent: cupere populares ſuos adventum, in ſuas terras, Europæorum Sacerdotum, qui tradant

dant ipsis veram de Deo Doctrinam. In tantæ occursum spei advolamus alacres, gestientibus animis, & quodam augurio præsagæ fiduciæ, successûs sibi despondere quantosvis audentibus. Vtinam modò donorum auxiliorumque cœlestium, sine quorum affluxu copioso vanus omnis ad conversionem Gentium labor est, peccata nostra ne intercipiant uberes allapsus. Valete. Malacâ die Festo Corporis Christi Anno CIↃIↃXLIX.

Vester in Christo intimus Frater,

*Franciscus.*

# S. FRANCISCI XAVERII E SOCIETATE IESV INDIARVM APOSTOLI NOVARVM EPISTOLARVM. LIBER V.

## *EPISTOLA PRIMA.*

### P. IOANNI BEIRÆ SOCIETATIS IESV IN MOLVCIS INSVLIS DEGENTI.

*Gratia & Amor* IESV *Christi Domini Nostri adsit semper nobis auxilio & favore. Amen.*

DE Nostris Fratribus variè per Indiam dispersis, & ubique per Dei Gratiam in propagando Christi Regno non inutilem operam navantibus: itemque de ijs qui in Lusitaniâ rem gerunt: quo fructu omnes elaborent, copiosè vos docebunt qui proficiscun-

scuntur isthuc Patres : quæ mihi fiducia lucrifacit non parvum laborem scribendi permulta , commodiùs otiosiúsque per nostros , plenâ instructos talium notitiâ , familiari vobis coràm sermone referenda . de me narro tibi : deliberatum mihi ac planè jam certum est navigare in Iaponiam: quoniam idoneis autoribus comperi , optimè ad excipiendam cum spe fructûs , Evangelicæ Doctrinæ promulgationem dispositas vidèri gentes illas . Proficiscimur vnà sex numero , tres Europæi , totidem Iapones. Hi & homines in primis probi , & Christiani sunt perboni . Christi Religionem susceperunt Goæ ; literas nostrates ibidem in Collegio Sanctæ Fidei cùm legere tum etiam scribendo formare didicerunt . Mensem quisque ipsorum integrum Asceticis commentationibus impendit , fructu animi maximo ; quem quotidianis huc usque nec parvis cumulare augmentis pergunt . Incitantur omnes ad reditum in patriam desiderio ingenti communicandi cognatis & familiaribus thesaurum quem invenerunt ; & à vanis superstitionibus abductos Populares, Christo qui lux salusque unica Mundi est, conciliandi . Ajunt cogitare illic aliquos è Potentibus

rerum, destinare legationem ad Regem Lusitaniæ, quâ Sacerdotes promulgatores Legis Christi ad se mitti postulent. Imus universi magnâ gestientes fiduciâ fructûs non vulgaris (adjuturâ pro suâ Misericordiâ debiles nostros conatus Dei Domini Nostri Omnipotentiâ) ex hâc profectione prodituri. Ego satis jam gnarus quantum in his partibus possit proficí; si ultimas in illas appulsus Insulas, plus illic meritò sperari ex ministerijs nostris operæpretij clarè sensero, evocaturus vos illuc ad me sum, & ad messem uberiorem Operarios tracturus. quare comparate animos, & expédite impetum jam nunc, ut nihil vos teneat quominus visis meis in Iaponem evocantibus literis, sine ullâ cunctatione pareatis. Pater Alfonsus ad vos proficiscitur stationem habiturus in Arce Molucensi, concionaturusque illic, cum ad Lusitanos eorumque Servos & Ancillas, tum ad Indigenas Christianos liberos: explicaturusque quotidiè Doctrinam Christianam, quomodò ego solebam dum isthic essem; ac semel quavis Hebdomadâ ad uxores Lusitanorum congregatas, Articulos Symboli & Decalogi præcepta declaraturus; tradituruque

ruſque præterea rationem ſalubriter frequentandi Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ. Mihi repetenti memoriâ quæ iſthic præſens vidi, opportunum videbatur: Patrem Alfonſum per annum ſaltem in Arce Ternatenſi commorari; quin &, ſi Tibi ex uſu præſenti rem æſtimanti utile apparebit, per ſpatium etiam longius. nam huic, ut dexter & gnavus eſt, plenè perfuncto miniſterijs illic neceſſarijs ad curam animarum, nec otium, nec induſtria, nec gratia videntur defutura, quibus veſtra Chriſtianorumque, quos varijs per iſtas Inſulas ſtationibus excolitis, negotia rectè tranſigat: providens tempeſtivè ex emporio illo ea quibus egetis; ac quoties uſus inciderit, veſtris Amicorumque veſtrorum cauſis Reguli Ternatenſis, aut Præfecti Quæſtoriſve Luſitani, favorem concilians. Manuël Morales & Franciſcus Gonzalez ad Te proficiſcuntur; ibi ſub tuo imperio futuri. Eſt quod gaudeas cum hos duos, tum Alfonſum prius memoratum iſthuc mitti. Sunt enim omnes ijs præditi dotibus, è quibus multum ſperare auxilij debeas. Expecto à te literas quæ meſſem uberem à te iſthic in Eccleſiæ horrea con-

gestam nuncient . & utinam narrarent Regis Filium jam factum Christianum, (nam tale aliquid parare illum cognoveram) de Mauri verò Insulanis , quid docebunt ? num spem ostendi redituros eos ad frugem , & reconciliandos nobis ? de vestris quidem Molucensibus scire cupio ecquam ad credendum Evangelicæ Prædicationi inclinationem aut dispositionem monstrent. E finitimis etiam terris si quid ejus generis lætum ad vos perferetur , eo ne quæso me defraudes . quàm me delectaret si rescirem ex te, pandi ostium Evangelio apud Macasarem , Tollem aut Celebes à Christi Religione videri non abhorrere? de Regulo certè Molucensi ne omittas indicare , ut se cum Christianis gerit ; ecquid & quantum Ministris Evangelicis & Religionis negotio faveat . cuncta ejusmodi diligenter exequere , ex quibus possit statui quâ proportione fructus isthic labori respondeat , & an expediat operariorum in istis Tractibus numerum , submissis augere supplementis. Fac etiam per te sciant Romæ Pater Noster Ignatius , Vlyssipone Pater Simon Rodericus, quot apud vos ex Idololatriâ conversi ad Christum sint, quantum

tum Neophyti profecerint, quam in perſecutionibus conſtantiam oſtendant: quantâ concionum & Sacramentorum frequentiâ: quo quæſtu animarum, quave aſſiduitate ac contentione Sacerdotes ſacris miniſterijs inſiſtant: tum cætera ejus formæ, quibus illic vulgatis ad Deum laudandum provocentur qui audiunt. Sed ad eam ſcriptionem & delectus adhibeatur rerum, omittendis quæ ſuggillatione aliquorum aut aliâ ingratâ mentione queant offendere, & tota ſtyli ratio ad Eccleſiaſticam gravitatem prudenter accommodetur: ut tales ejuſmodi narrationes ſint quæ, ſimul perlatæ in Europam fuerint, ſpargi per manus, & publicis editionibus communicari etiam Exteris poſſint. nolo enim te fugiat expeti Commentarios illic tales ex tam longinquis partibus, & cupidè per Hiſpaniam, Italiam, alibique legi. quò magis convenit peculiari à nobis accuratione ac cautione hæc quæ illuc mittimus conſcribi, ut quæ in manus non amicorum ſolùm, ſed parùm etiam æquorum, interdum & invidorum infenſorumque ventura ſunt, omnibus, ſi fieri poteſt, ſatisfaciant, omnes ad Deo & Eccleſiæ Sanctæ gratulandum provo-

cent : certè nemini offensionis aut siniſtræ interpretationis ansam præbeant legitimam. Simili quoque argumento des velim Encyclicas ad cunctos Fratres Noſtros per Indiam , quæ illos impertiant fauſtis nuntijs rerum apud vos ad Dei Gloriam feliciter geſtarum . Cum verò uſus inciderit poſtulandi aliquid à Domino Prætore , aut à Domino Epiſcopo ; ut id tibi ſuo interventu conficiat , privatis literis rogabis Antonium Gomezium ; à quo etiam , quod ad victum veſtitumque noſtrorum tibi erit neceſſarium , petes . huic quippe mandavi , ut vobis ad talia præſtò eſſet ; ac vitæ ſubſidia , quibus vos egere ſignificaretis , per navem Goâ Molucum mitti quotannis ſolitam , rectè iſthuc perferenda omnia curaret . Poſtremò me de cunctis quæ circa labores veſtros , circa Prædicationis Evangelicæ ſucceſſum , circa Diſciplinam domeſticam , progreſſumque in virtutibus omnium noſtrorum , benè aut ſecus evenient , certiorem facere curabis , Epiſtolis minimè perfunctorijs , quas uti & ſuperiùs præſcriptas omnes ritè obſignatas & inſcriptas mittes Malacam ad Patrem Franciſcum Perezium , cui præcepi ut frequentibus in illo

illo celebri Emporio navium quoquoversum solventium opportunitatibus diligenter uteretur ad necessarium gubernationi Societatis inter nos commercium fidâ literarum transmissione committendum. Si quis Sociorum eam volens culpam conscisceret, ob quàm eijci è Societate mereretur (scis autem talem in primis esse præfractam recusationem obedientiæ) huic, juxta ea quæ tibi anno superiori communicavi à me cum Domino Episcopo constituta, imperabis in virtute Sanctæ Obedientiæ sub pœnâ excommunicationis, ut se quamprimùm sistat Domino Episcopo, ejus deinceps arbitrio gubernandus, quoniam illum de cætero Societas non agnoscet suum. Hoc sic à me decretum, tibi injunctum esse clarè profitere singulis nostrorum quos isthic habes, ut quisque intelligat quo suo periculo peccaturus sit: nec ullus sibi blandiatur, quasi utcumque remittat studium adipiscendæ perfectionis, & in obtemperando tardus ac pervicax sit, nihilò se tamen minus perseveraturum in Societate certum habeat. Deus nos in suâ Sanctâ Gloriâ conjungat, nam in hac quidem vitâ tam diversi peregrinamur, ut occurs-

ros

ros aliquando invicem, haud verisimiliter appareat. Vale. Malacâ XII. Kal. Iulias Anno CIↃIↃXLIX.

Venit in mentem vereri, occupationes isthic reputanti tuas, ut tibi satis vacet, quas dixi Patri Magistro Ignatio & Magistro Simoni ac Socijs universis per Indiam, propriéque de vestris necessitatibus Goam, literas scribere. quare quod nunc occurrit ejus operæ tibi compendium suggero. Habebis, ut dictum est, Ternate Alfonsum Nostrum. Ei censeo mitti jubeas è cunctis per Molucenses Insulas stationibus nostrorum, narrationes, utcumque tumultuarias, modo veras & exactas rerum gestarum, quibus exprimatur quæ ministeria nostri Sacerdotes, quâ contentione, quo fructu animarum exerceant: an & quas à quibus insectationes patiantur, quâ adversùs illas constantiâ, quo victoriæ per Divinum auxilium successu: quinam per illas Gentes habitûs ac dispositiones animorum sint; atque inde quæ spes in posterum. Ex his ille, ut est non modò prudens, sed etiam disertus, idemque stylo ac manu valet, literas formabit vestro omnium nomine in Europam & Indiam

qua-

quales illuc mitti expedit : prætereaque vestra domestica negotia partim expediet cum Præfecto Ternatensi, partim per Antonium Gomezium Goæ conficiet ; unum tibi duntaxat, quem deonerare in alium non potes, reliquum laborem faciens, scribendi ad me (quod planè volo & necesse est) de statu, progressu in spiritu, talentis, virtutibus, aut imperfectionibus singulorum è nostris qui tuo isthic ductu militant. Occisum te fuisse in Mauricâ, hîc dicitur ; sed sine certo autore. nec nos vano scilicet rumori credimus, speramusque à Dei Domini Nostri favore te in multos adhuc annos ad ejus obsequium vitam propagaturum. Si tamen contra quàm opinamur aut volumus, de te quidquam aut factum esset aut fieret, tum sanè nostros omnes qui vel in Moluccis jam sunt, vel eò postmodum pervenient, Patri Alfonso parere jubeo. quâ de re mandatum hîc adjungo ritè promulgandum in hæc verba : Pater Riberus & Nicolaus, si Ioannes de Beirâ ex hac vitâ migrasset, obediant Patri Alfonso. Manuël de Morales & Franciſce Fernandez qui estis in Molucis Insulis, mando vobis in virtute Sanctæ Obedie-

dientiæ, ut si Ioannem Beiram mori contigerit, Alfonsum de Castro Superiorem agnoscatis, eique obtemperetis. Si verò, quod potius reor & opto, Ioannes Beira vivat adhuc, ei ut vestro Legitimo Præposito, ambos vos ad nutum obsequi volo & jubeo.

*Franciscus.*

## EPISTOLA II.

### PATRIBVS PAVLO CAMERTI ET ANTONIO GOMEZIO SOCIETATIS IESV. GOAM.

*Gratia & Pax Domini Nostri* IESV *Christi sint semper in nostris Animabus. Amen.*

ADmiratione huc modò appulsum me perculit majori quàm ferè queam verbis exprimere, præsens conspectus Messis ingentis quam ex hâc Civitate Malacensi, velut ex latifundio segetis uberrimæ, Christi horreis infert sudor atque industria unius Coloni Evangelici Patris Franciſci Perezij.

rezij . Cunctis diebus Dominicis ac Festis manè concionatur ad Lusitanos in Templo Vrbis maximo : Vespere ibidem rudioribus liberis aut servis utriusque sexûs, Articulos sacri Symboli diligenter exponit . Semel per Hebdomadam in Æde sacrâ Divæ Dominæ Nostræ Deiparæ , congregatis magno numero uxoribus , tam Lusitanorum , quàm Indigenarum Christianorum , orationem habet accommodatam ad earum captum ac statum . Præter hæc diebus omninò singulis , in Æde sacrâ Sodalium Misericordiæ tradit atque inculcat laboriosissimè elementa Christianæ Doctrinæ multitudini permagnæ Puerorum . Vltrà ista quæ sufficere poterant uni homini abundè occupando , Pœnitentium non facilè numerabilium confessiones unus excipit . Ergò hic non deses aut iners in vineâ Domini operarius est ; utique cujus tam indefessam tamque assiduam videmus contentionem , ut cibi somnique capiendi spatio necessario fraudetur . Spero equidem non auditurum illum à Domino illam è Sacrâ Parabolâ increpationem : *quid hic statis tota die otiosi* ? quippe quem nullâ ferè diei ac noctis horâ quisquam inveniat non in-

ten-

tentum operi extrahendarum è cœno peccati animarum, & promovendarum ad ritè ſerviendum Deo Domino Noſtro, qui eas condidit. Ad eum è ſacro pulpito dicentem tantus concurſus fit, ut concionem Templa vaſtiſſima non capiant. Idem porrò in conſuetudine familiari mirabiliter comis atque affabilis, cunctos obvios occurſu primo allicit, populo univerſo ſummis æquè ac infimis ſingulariter gratus, Præfecto juxtà civibuſque univerſis in delicijs eſt, ac propter inſatiabile ſtudium lucrandarum Chriſto Animarum, viri paſſim Apoſtolici, ac Deo in primis chari, exiſtimatione commendatur. Fateor vobis, Fratres mei; puduit me mei cum hæc vidi: & ſubijcientem oculis quantum opimorum ſpoliorum Eccleſiæ Theſauris homo unus imbecillus & continuè ſemilanguidus, Deo juvante, indeſinenter adjungat, ſenſu quodam verecundiæ me intimè confudit propriæ ignaviæ conſcientia. Sic enim habetote: tantam aſſiduè vim hominum Franciſci Perezij privatis aut publicis ſermonibus ad vitam ſerio emendandam excitari, quanta detinere ſatis occupatos poſſet ſex ipſos benè exercitatos confeſſionibus audiendis Sacer-

cerdotes, totâ die nihil aliud agentes. Et tamen idem vir super hæc omnia in Sodalitio Misericordiæ partes cumulatè implet omnes Capellani (ut vocant) domestici. quod spissum ac multiplex scitis esse ministerium. quid hîc dicam, nisi confitear iterùm, pudore non dubio suffundi me oportere, meique similes, qui sani & valentes parùm agimus, interim dum Infirmi ac valetudinarij, tot ereptarum ex orci faucibus prædâ locupletantur animarum. Perezij Socius Rocchus de Oliverâ, non minùs & ipse strenuè atque utiliter operam navat. Scholam regit numerosam Puerorum, quorum alios legere nostrates literas ac manu pingere, alios Grammaticam Latinam docet. idque tam dudùm cepit, ut jam emeriti permulti, percurso Doctrinæ, cujus sunt capaces, orbe, redierint Domum, candore morum, & rectis omnis generis exemplis demonstrantes, non sine gratulatione parentum ac popularium, quanta sit differentia benè institutæ, & incultæ Pueritiæ. legunt illi expeditè, ac quantum opus est intelligunt vulgatas summulas Doctrinæ Christianæ, & preces Ecclesiasticas è libro recitant; modestiâ jam eâ quæ spectan-

spectantes ad Deo laudes grateſque reddendas provocet . nam nihilò minus vultu habituque compoſiti incedunt , quàm iſthic Novitij Religioſorum Ordinum . juramentum aut verbum inconditum , ne leviſſimum quidem , & ex ijs quibus faciliùs ignoſcitur , ex ore ipſorum quiſquam audierit. Inter alia multa quæ in hoc genere laudabiliter Rocchus Noſter inſtituit , hoc valdè probatum eſt : quòd ſæpe producit in pompam longâ ſerie diſpoſitos , per binaria ſibi altrinſecus reſpondentia, Diſcipulos ſuos, demiſſis oculis , paſſu gravi & lento , alternis cantantes Litanias , aut ejuſmodi ſacra carmina . Expetuntur vulgò hæ viſu gratiſſimæ ſupplicationes , cohoneſtandis præſertim funeribus , quoties hîc mori Chriſtianum accidit . Feretrum defuncti adultiores ipſorum humeris ſubeunt , & uſque ad ſepulturæ locum portant . nullus non eorum Orationem Dominicam , Salutationem Angelicam , Symbolum Apoſtolicum, alias aliquot Chriſtianarum precum formulas ad unguem callet , ac è memoriâ quavis occaſione reddit inoffensè : nullus non Miſſæ Sacrificio (cui quotidiè ſummâ reverentiâ omnes interſunt) decorè miniſtrare novit .

novit. Primo mane ad Scholam conveniunt, sub meridiem post auditam in Templo, quam Perezius quot diebus iterat, explicationem Doctrinæ Christianæ, ludo iterùm se reddunt, Oliveræ Magistro daturi operam. Auditâ redditâque lectione, cæterisque perfuncti Scholasticis Exercitijs, omnes simul genibus positis, altâ & consonâ voce, precationes sacras pronunciant. Hæc mihi coràm spectanti consolatione incomparabili perfundunt animum. Orate, quæso vos, Deum ut jam parta conservet, benè cepta promoveat, principia incrementis cumulet, ad Laudem & Gloriam sui Sancti Nominis, maiusque obsequium ipsius Divinæ Majestatis. Alfonsus in Molucas proficiscitur, unus ibi facturus quod hîc duo jam memorati Perezius & Olivera faciunt. Ægrè quidem hinc eum amoveo, quod, ut satis ex modò dictis confido vos intelligere, perneceſſaria hoc loco fuerat ejus opera. Sed cum prævertendum sit quod magis urget; vos oportet quamprimùm supplemento desideratissimo huic opitulari Stationi. Ergò huc mittite sine morâ Sacerdotem è nostris unum, causis conscientiæ dijudicandis tritum, qui

Francîſcum Perezium tot diverſis negotijs oppreſſum, parte ſaltem oneris audiendarum quotidiè Confeſſionum levet. non facilè alia per Indias Luſitana Colonia plus hâc Vrbe Malacâ Confeſſarijs bonis indiget. Incredibilis quippe huc undique confluit, occaſione variâ commercij, multitudo cùm Europæorum, tùm Indorum; quorum illi omnes, hi magno numero Chriſtianam profitentes Religionem, opus habent pro humanâ fragilitate remedio Sacramentalis Pœnitentiæ, cujus Miniſtros niſi nanciſcantur opportunè, in maximo & præſentiſſimo verſantur ſalutis Animarum æternæ diſcrimine. Itaque ſi intra hunc annum milleſimum quingenteſimum, quadrageſimum nonum quidam appulerint è Luſitaniâ Sacerdotes Noſtri, facilè vobis fuerit, quendam è veſtris, cujus iſthic locum recens appulſi ſuppleant, Anno ſequenti quinquageſimo, nave quæ menſe Aprili Goâ Malacam tendit, huc mittere. Menſe, inquam, Aprili. nam etſi ſcio eſſe aliam Menſe Septembri ſolvere ſolitam hùc Goâ navem; nolo tamen hoc tam neceſſarium in hâc urbe ſupplementum in ſecundam differri navigationem. Videte præterea

terea num Domi sit aliquis Fratrum Nostrorum, utcumque Laicus, hactenus tinctus literis, ut & legere & formas Elementorum pingere calamo, docere pueros queat. Talem magnoperè cuperem ei quem priùs designavi Sacerdoti huc venturo assignari Socium, qui supplere quadamtenus vices posset Rocchi Oliveræ, cui anno sequenti necessarium Goam iter est, sumendo ibi Sacerdotio, quo instructus quamprimùm Malacæ se reddat. quare mandatum hîc relinquo solvens in Iaponiam, ut anno millesimo quingentesimo quinquagesimo, navi quæ mense Novembri statum Goam versùs solvendi tempus habet, imponatur modò memoratus Rochus de Oliverâ, cum Ioanne Bravo Novtio, quem isthic Grammaticæ studijs vacare cupio. Igitur omninò volo, atque adeo vobis, Pater Paule Camers, & Antoni Gomezi, in Virtute Obedientiæ impero, ut Mense Aprili anni proximi, aut si vis improvisa ineluctabiliter obstaret, quo primùm tempore fieri poterit, duos quos dixi, Sacerdotem audiendis confessionibus aptum, & alium è Socijs idoneum Scholæ regendæ, Malacam destinetis. Scribo ad Patrem Nico-

laum, ut præsit invigiletque Nostris Meliapore degentibus, ijs item qui per Oram Comorinensem, quique Colani, morantur. ac pariter Comorinensibus mando, ut Patri Nicolao obtemperent, ad eumque referant de rebus suis, quoties aut pro se sul sidio, aut pro Christianis quos curant favore ac patrocinio opus habuerint, scriptis ad illum Colanum, vel Cocinum literis (nam ultrò citróque per illas Vrbes negotiorum causâ commeat.) Eidem porrò Patri Nicolao imperavi, ut quæcumque desiderari cognoverit à Comorinensibus, continuò Goâ petat. Te verò Pater Antoni Gomezi, volo quæcumque is poscet statim exequi, commendoque & injungo quàm possum enixssimè, ne quidquam in eo Tibi ad summam diligentiam & officiosissimam caritatem reliqui facias. Pater Nicolaus subsit Patri Paulo, prout illi præscriptum inde ibiens reliquisse memini. Alumni Goenses, sive Lusitani, sive Indigenæ, arbitrio Patris Antonij Gomezij regantur. Antonius verò ipse Gomezius, prout mandavi, Patri Paulo Camerti subjectus sit. cui eidem qui Bazaini, quive Armuziæ stationem habent, quatenus jussi & distinctiùs

ctiùs explicui, obedient. ut res isthic hoc Ordine ac Disciplinæ tenore procedant, curare impensè vos ambos iubeo, & me de cunctis quæ contingent certiorem facere. Valete. Malacâ x. Kalendis Iulias Anno CIↃIↃXLIX.

Vester in Christo intimus Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA III.

### PATRIBVS ET FRATRIBVS COLLEGII CONIMBRICENSIS SOCIETATIS IESV.

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri adsit semper nobis auxilio & favore. Amen.*

ET scripsi ego vobis fusè Mense Ianuario Superiori, & cunctos in his Tractibus variè sparsos, è stationibus quemque propriis, prout singulis mandaveram, scripsisse confido, quàm uberes & lætos Animarum fructus Indica ferat vineâ; &, non

in regijs modò præsidijs, verùmetiam in reliquis oppidis Barbarorum, Sanctissima Christi Fides quàm feliciter adolescat. Iaponicæ in Malacensi Portu navigationis capessendæ gratiâ profectus hùc sum ex Indiâ Mense Aprili, duobus è Societate Nostrâ Comitibus, altero Sacerdote, altero Laico; itemque Iaponijs Neophytis tribus, quos priùs satis instructos fundamentali mysteriorum Christi Domini Nostri ac Fidei Catholicæ notitiâ, sacro antea lavacro tingendos Goæ curaveram. Imbuti sunt elementis Christianæ Doctrinæ in Nostro Collegio Sanctæ Fidei, ubi & legere nostrates literas, & manu formare didicerunt. Exercitijs quinetiam spiritualibus dederunt menstruam operam, attentione summâ, studioque maximo ex illis proficiendi. nec Deus defuit bonæ ipsorum, quam præparaverat, voluntati. quippe intimis mentes eorum affecit sensibus beneficiorum ingentium, quæ se à liberalissimo sui Creatore accepisse, tùm primùm gratè recolebant, damnantes lugentesque priorem suam in ijs agnoscendis cæcitatem. unde in tales exardescebant mutuæ in Deum caritatis, religionis, virtutumque similium affectus

qua-

qualibus omnes nos qui cum ipsis agebamus, si pariter afficeremur, præclarè nobiscum agi putaremus. nunc legendi ac scribendi more nostro peritiâ quam pararunt expeditè utuntur, cognoscendis plerumque scriptis Mysteria Christi declarantibus, & Psalmis ac cæteris Ecclesiasticis precationibus statâ quot diebus horâ è sacro libro recitandis. quod agentes cum interrogassem aliquando, quam istiusmodi voluminum partem majore animi gustu è chartâ oculis subjectâ pronunciarent; responderunt: historiam tormentorum, & necis Christi. & fidem dicti facit, quòd eos vidimus non solùm omnia teneræ commiserationis signa edere ad quamvis fortè oblatam Domini IESV dolorum ac mortis mentionem aut recordationem, sed ultrò etiam eò animum referre, subindéque recurrere, & eâ consideratione nunquam non commoveri vehementer. Tempore illius menstrui, de quo dixi, Goæ secessûs, miris illos cœlestium suavitatum perfundi gaudijs, & in dulces sæpe lachrymas resolvi videbamus. Ante porrò quàm in eâ commentationum Asceticarum palæstrâ exercerentur, pluribus illos mensibus te-

nueramus in memoriæ mandandis Articulis Christianæ Fidei, Mysterijs vitæ Christi; causâ Incarnationis Filij Dei in utero Mariæ Virginis, ac totâ ratione reparationis humani generis, Domini Iesv morte sponte susceptâ perpetratæ, mente comprehendendâ. Sæpiùs ex eis percontatus sum, quænam ex omnibus Legis Christianæ Sacramentis, usu ipsis salubriora viderentur? constanter responderunt, palmam præstantiæ, ob causam utilitatis & universalitatis ad omnes conditionum ac temporum opportunitates extensarum, se duobus maximè tribuere mysterijs, Sacramentalis Pœnitentiæ & perceptionis Christi Corporis in Sacrâ Eucharistiâ. Addebant, tam aptè sibi videri cohærere inter sese cuncta Religionis Christianæ dogmata, universamque Disciplinam, ut neminem sani judicij putarent, postquam ea cognovisset, posse non probare. Audivi unum ex ipsis, cui nomen est, Paulo à Sanctâ Fide, cum altè suspirans exclamaret: O vos infelices Iaponiæ Populos, qui creaturas adoratis quas Deus, ut vobis servirent, fecit! Tum ego illi, quid ita, inquam Paulè, isthuc loqueris? Ille ad me: miseror,

ror nempe, repoſuit, Populares meos, qui Soli ac Lunæ Divinos honores habent, cum iſthæc ſidera Miniſtri ſint agnoſcentium Dominum IESVM, juſſu ejus diù noctúque lucem hominibus præferentia, quâ illi ſcilicet utantur ad gloriam intelligendam IESV Chriſti Dei Filij. Sed ut ad iter noſtrum revertamur, pervenimus in hanc Civitatem Malacenſem Tres è Societate, cum Iaponibus totidem, pridie Kal. Iunias hujus Anni CIↃIↃXLIX. Occurrerunt exſcendentibus conſentientia dicta plurimorum, mira certatim de ſpe optimâ ſucceſſum habituræ in Iaponiâ Prædicationis Evangelicæ nunciantium; è literis quas monſtrabant ab Amicis Luſitanis mercatoribus illic negotiantibus noviſſimè acceptas. Horum in unis legebatur; Dynaſtam quendam in illis Iaponum Inſulis ſanè opulentum ac potentem, cupere Chriſtianum fieri. jamque deſtinaſſe ad Prætorem Indiæ, Legatum, qui nomine ſuo ab illo peteret, mitti ad ſe Doctores Chriſtianæ Religionis, à quibus ad Fidem erudiretur. In alijs ad me propriè datis ſcriptum reperi: Luſitanis aliquot negotiatoribus, recens appulſis in certam Iaponiæ regionem, & hoſpitium

ubi

ubi diverſarentur quærentibus, loci Regulum obtuliſſe quaſdam Ædes idcircò habitatoribus vacuas, quod eſſet experientiâ compertum, eas à lemuribus infeſtari ſolere vehementer. Ingreſſos eò Luſitanos, ignaros ejus vitij (nam id Iapones aſtutè diſſimulaverant) mirari per noctes aliquot ſolitos, ſibi decumbentibus veſtes & lectulorum pallia detrahi, nemine dum circumſpicerent apparente. Tandem aliquem ex ipſorum familiâ Puerum nocte intempeſtâ viſo ſpectri horrendi conſternatum, voce maximâ paris perturbationis indice cunctos excitaſſe; ita ut ex ſtratis exilientes, cum armis ad vociferantem accurrerent, quaſi vim nocturnam à furibus illatam repulſuri. Sed cum obſeratas fores, incolumem ac ſolum reperiſſent famulum, ex eo percontatos, cur exclamaſſet? audiſſe nihil aliud, niſi viſum ſibi terrificum oblatum, quod tamen ad Crucis ſignum à ſe formatum evanuiſſet. Hinc deinde idem Puer multas Crucis formas varijs per ædes locis, & ad Oſtia conclavium appoſuit. Explorabant interim conſcij rei Vicini, ut ſe in infeſtâ Domo advenæ hoſpites haberent; & videlicet mirabantur, tandiu eos illic innoxiè

noxiè degere. Itaque nocturno illo Pueri clamore ac ſtrepitu accurrentium cum armis fortè audito, poſtridie quærebant, quam ob cauſam eâ nocte trepidaſſent? Luſitanis verò rem uti contigerat referentibus, faſſos ultrò Iaponas, Ædes illas pridem haberi malo quopiam Dæmone inſeſſas, etiam rogaſſe, quoniam hæc peſtis frequens eſſet in illis tractibus, ut ſi quid contra eam parati remedij afferrent, indicare aut communicare ne gravarentur. Ad quæ Luſitanis reponentibus: nihil eſſe ſigno Crucis ad maleficos abigendos Dæmonas efficacius; mox tum experimenti, tum reſponſi famâ paſſim latè ditatâ, Cruces è chartâ, ligno, aut ſimili materiâ formatas in ferè cunctarum ejus oppidi Domuum oſtijs eſſe conſpectas: videlicet Indigenis, larvarum ſtygiarum incurſus ſæpe pati moleſtiſſimos ſolitis, oſtenſum contra illas amuletum cupidè uſurpantibus. His adjungebant eædem inſcriptæ mihi literæ: videri optimè diſpoſitam excipiendæ Prædicationi Evangelicæ Gentem illam: quoniam circumſpecta ſit & prudens, è momentis rationum res æſtimans, eademque in primis curioſa cognoſcendi quidquid affertur novi.

novi . Quocirca magnam equidem , Divino fretus auxilio , ſpem ingredior fructûs ingentis in aliquibus , & fortè in univerſis extituri Iaponibus ; magnâ vi errantium illarum Animarum , ad Eccleſiæ Sanctæ ſe gremium aggregaturâ ; niſi noſtra peccata obſtiterint , quominus Deus Dominus Noſter , nobis ſuæ gloriæ miniſtris uti dignetur . Neque his tamen ego tam lætis auſpicijs in hanc expeditionem vocantibus ſtatim parui . multum exinde diuque deliberavi mecum explorans , omnibuſque veſtigijs indagans Divinæ circa id ſigna Voluntatis . Poſtquam autem intimis animi liquidò percepi ſenſibus ; planè Deo cordi eſſe , & ad ejus obſequium expedire , proficiſci me in Iaponiam , totus ſtatim in id conſilium incubui tam irrevocabiliter , ut mihi viderer , ſi à cepto deſiſterem , ipſis quoque Idololatris Iaponibus nequior ac deteſtabilior futurus . Et me in propoſito confirmat , quòd hoſtem humani generis multa movere video , ut me ab hac cogitatione dimoveat ; ex quo non obſcurè ſcilicet illum apparet , magnam inde rebus ſuis cladem perniciemque formidare . Sed quidquid ille tumultuetur ac contra obij-

ciat ,

ciat, imus tamen inanium securi terriculorum. jamque stamus in procinctu solvendi, convasato instrumento incruenti Sacrificij, quò litandâ primùm il ic Sacrâ Hostiâ, Christi Regis Nostri nomine terrarum ac Gentium illarum quasi possessionem adeamus. qui primi successus cepto responderint, anno vertente (si Deus dederit) meis inde perlatis ad vos literis plenè cognoscetis. Constitui jam nunc, à primo statim appulsu Regem ipsum totius Iaponis, ubicumque fuerit, adire; exponereque ipsi quæ mandata ad ipsum habeam summi Gentium omnium Imperatoris Domini Nostri IESV Christi. Audio in comitatu Regis illius magnam semper adesse Literatorum manum, ingenti subnixorum ingenij, doctrinæ, facundiæque fiduciâ. Horum obstituram nobis eruditionem: Deo fretus, non sanè reformido. nam quid boni scire possunt qui IESVM nesciunt? qui verò nihil omninò aliud nisi Dei Gloriam & Christi manifestationem in salutem Animarum, curamus aut quærimus, quid tandem damni aut periculi magnoperè pertimescere debemus? utcumque nos nudos & inermes, inter infe-

stas

ſtas non Gentis modò feræ, ſed Dæmonum etiam irritatiſſimorum acies, & tegere ne lædamur, & adjuvare ut vincamus, Deo, ſi voluerit, eſt facile: ſin ei aliud placeat, nihil quod ipſi libuerit, ducimus acerbum. In his bellis, etiam cadens, victor eſt: ſi occumbente duntaxat corpore, non ſuccumbat animus. una planè quæ per conſenſum in culpam accipitur, pertimeſcenda plaga mentis eſt. Sed cum Deus Dominus Noſter det omnibus gratiam ſufficientem ad ſibi ſerviendum, abſtinendumque à peccato, confidimus de Divinâ ejus Miſericordiâ tale haudquaquam nobis ab eo auxilium negandum. ac quia totum bonum aut malum noſtrum in benè aut malè utendo Dei Gratiâ ſitum eſt, multam collocamus fiduciam, primùm in meritis Sanctæ Matris Eccleſiæ Sponſæ Iesv Chriſti Domini Noſtri; deinde peculiariter in meritis omnium qui in Iesv Societate cenſentur, ac univerſorum utriuſque Sexûs, quotquot ijs ſuadentibus aut dirigentibus Deo ſerviunt: ita ut horum ſimul omnium amplectente nos patrocinio, ſuffragijſque apud Dominum juvantibus, ſperemus nos fideli cooperatione, benè uſu-

ros

ros offerendâ nobis in tempore Dei Domini Gratiâ. Ingenti solatio nobis est quod Deum scimus, intimorum cordis humani sensuum arbitrum, clarè perspicere, quid cupientes, quid spectantes, quo voto, aut cuius rei desiderio ad iter hoc Iaponiense moveamur. Cum enim nobis simus conscij, nihil planè nos aliud istâ expeditione sequi aut captare, nisi ut animas hominum ad Imaginem Dei Creatas ad sui Conditoris agnitionem perducamus: utque supremus Autor rerum omnium, à creaturis, quas in similitudinem suam condidit, prout dignus est laudetur; postremò, ut imperij Sanctæ Matris Ecclesiæ Sponsæ IESV Christi limites promoveantur, & spatia laxentur; imus alacri vigentes fiduciâ, & velut accepto spei pignore, certâ expectatione præsumere audemus, omninò successuram in lætos exitus hanc Iaponiensem peregrinationem nostram. Adversùs porrò minas omnes apparatusque Diaboli, haud dubijs jam quasi clarigationibus bellum acre, quò nos hoc cursu dejciat, denunciantis, duo quædam me sustentant. Prius certa, ut modò dixi, persuasio perspectissimæ Deo rectitudinis

mea-

mearum in hoc itinere cogitationum : Alterum indubitatiſſima notitia abſolutiſſimi Dominij Divinæ Voluntatis in res creatas univerſas ; ita ut nulla earum quidquam agere, niſi Deo permittente, queat. quâ lege teneri Dæmonas ipſos, nec quantumlibet cupiant, poſſe nocere cuiquam, niſi licentiâ ſæviendi à Deo impetratâ, in Iobi cernitur hiſtoria, cui viro Sacræ Literæ teſtantur, hoſtem licet immaniſſimum Diabolum ; ne minimum quidem, ſine Dei nutu atque arbitrio, incommodare potuiſſe. Hæc eò differo quod exploratiſſimum habetur, hunc quem mox tentare conſtituimus, Malacâ in Iaponem trajectum, præſentiſſimis diræ mortis eſſe periculis obnoxium, ob ſævam vim atrocium procellarum & inobſervabiles inſidias latentium ſcopulorum ac Syrtium ; denique ob feros incurſus infeſtantium illud mare Piratarum ; quæ diſcrimina quàm non ex vano timeantur, exemplis naufragiorum & ſervitutum, pro experiri curſum iſtum audentium numero increbeſcentibus, perſpicitur. ut jam tertiam quamque è ſolventibus ex hoc aut finitimo quopiam portu versùs Iaponem navibus, aliquo è tribus memo-

memoratis exitio absumi, pro re usu compertâ, nec ferè humanitùs evitabili vulgò celebretur. Hæc sæpe mihi reputanti veniebat in mentem vereri: ne plerique Societatis Nostræ pleni literarum homines, ubi has in partes ad Evangelizandum missi, præsens in experimentum venerint gravium laborum ancipitiumque discriminum capitis ac vitæ, qualium aleam ferè quotidie jacere, negotij quod tractamus, & rerum ut hîc se habent, conditio subigit: religione quadam animi tangantur, quasi temeritatis in hoc culpa conscisçatur, &, quod sacræ literæ vituperant, Deus quodammodo tentetur. Sed postquam de re totâ cogitavi otiosiùs, facilè me revoco, deponoque metum istum omnem; confidens, à paternâ Dei Domini Nostri erga Societatem providentiâ suaviter procuratum iri, ut illustria talenta eruditionis & eloquentiæ, quæ isti ad Societatem attulerint, ita nostris Disciplinis domesticâque institutione temperentur, ut semper in potestate sint Divini Spiritûs, ipsos, uti & cætera membra Societatis, animaturi. Quod ni fieret, multùm equidem illis metuerem, nec possem animo conquiescere, objectum

continuò mentis oculis circumferens, quod à Beato Patre Noſtro Ignatio audiſſe me recordor : Veros Societatis IESV Filios, multum in eo contentionis ponere debere, ut ſeipſos vincant, modoſque exquirere excutiendi à ſe terrores formidoloſarum rerum, qui homines impediunt à conſtituendâ in Deo plenâ ſpe ac totâ fiduciâ. Etſi enim viva fides ac ſpes ejuſmodi, gratuitum Dei Donum eſt, quod ille quibus eſt ipſi libitum tribuit : tamen plerumque id illis indulget, qui ſibi acriter ipſis imperant ; nihilque omittunt quo poſſint conſequi plenam affectuum omnium ſuorum ſubjunctionem, ex verâ caritate, ſub Divini obſequij gloriæque rationes. Latum eſt, mihi credite, diſcrimen inter eos qui Deo fidunt, inſtructi tamen cunctis rebus ad victum uſumque neceſſarijs: & eos qui idem iſtud faciunt, in ſummâ deſtitutione & extremâ egeſtate, in quam ſe ultrò Chriſti causâ imitandi, conjecerint, vitæ ſubſidiorum omnium. Ac quod eſt inde conſequens, multùm item intereſt, inter eos qui fidem ſpem fiduciamque in Deo collocant extra mortis pericula ; & eos qui Deo fidunt, & in illo ſperant, dum ſponte ac volen-

volentes, quò ei gratificentur, in discrimina se mortis evidentia objciunt, horum vitandorum aut adeundorum potestatem & plenum arbitrium habentes. Sanè mihi videtur qui sic elegerit in continuis vitæ periculis vivere, ex mero studio Deo serviendi, omni alio respectu aut fine rejecto, brevi tempore sensurus tædium vitæ præsentis, & desiderium mortis, quâ citò transferatur ad vitam meliorem, & regnet cum Deo in Cœlis; quando hæc quam vocamus vita, mors potiùs longa est, & exilium à Gloriâ, quâ ut fruamur, sumus conditi. Dicunt mihi Fratres Nostri ac Socij Iapones qui nobiscum in Iaponiam proficiscuntur, fore ut offendantur qui sacris illic præsunt, si nos videant carne aut pisce vesci. quare imus certi, quantavis opus fuerit diætæ severitate, talis offensionis occasionem tollere. Ajunt qui illinc veniunt magnam esse ibi multitudinem istius generis hominum quandam Religiosæ Vitæ speciem, ascesi severâ, præferentium. Eosdem confirmant, autoritate pollere ad populum maximâ; ita ut ex horum nutu pendeant summi juxtâ infimique, promptis ad omne mandatum obsequijs. Hæc vobis

refero, ut ex his pro vestrâ prudentiâ æstimetis, quantæ nobis quamque vehementes dimicationes in Iaponiâ paratæ sint, & pro vestrâ caritate contendatis impetrare nobis à communi Domino, quotidianis vestris Sacrificiis & Orationibus, auxilium necessarium ad tam acres adversarios vincendos. Equidem sic spero: sustentatum illic iri nos meritis & suffragijs omnium Filiorum Sanctæ Societatis Iesv. Die Natali Sancti Ioannis Baptistæ hujus Anni CIↃIↃXLIX, aut nocte illum diem præcessurâ, soluturos nos ajunt. decretum est cursu recto uti, & per ducentas ferè leucas ex alto spectare famosum Sinarum Regnum, nusquam exscendendo, aut terræ admovendo navem, quoad Iaponem tenuerimus. quod nautæ loquuntur fieri posse die decimo aut quinto decimo consequentis mensis. Id ubi, Deo favente, contigerit, expectate longas meas & plenas literas, quibus vos certiores faciam, de terræ illius situ ac qualitate, de Gentium illam colentium naturâ, indole, moribus, legibus, superstitionibus, erroribus, studijs, Academijs, Doctrinâ, ejusque discendæ exercitijs, ac tradendæ Methodo. Delectavit me ali-

aliquando Paulus Noster, narrans de quodam Cœnobio suæ Patriæ, ubi Sodales permulti literis dant operam. his ajebat præesse Seniorem quendam, excellere Sapientiâ inter omnes visum, qui ad Domesticos idemtidem in unum cœtum coactos verba facit: tum jubet seorsum unumquemque per spatium horæ unius commentari super præscripto argumento, hoc videlicet, aut simili: quid dictura videri posset Anima corpori, in extremo suæ ab illo disjunctionis Articulo? quid cogitatura, cum jam soluta nexu materiæ, Tartari aut purgantium sub terris ignium (nam harum & hi rerum notitiâ sunt perfusi quadam) acres cruciatus experitur? Horâ talibus considerandis impensâ, solere Magistrum illum Discipulos singillatim percontari, quid quisque meditando invenerit: & pro rei merito quam protulerit, laudare plus minusve; vel etiam si parùm memorabile prompserit quidpiam, reprehendere. Addebat Cœnobitas istos perorare ad populum solitos quintodecimo fermè quoque die, audirique magno concursu Virorum ac Mulierum, parique attentione ac sensu animi; lacrymari quinetiam inter audien-

dum pleroſque non rarò, præſertim fœminas : maximè cum , quod ſæpe fit , Orator pictam oſtentat tormentorum inferni tabulam . Hæc Paulus , quæ coràm ſpectaverat referens . Quæſivi ex illo , num recordaretur alicujus Sententiæ , quam ex hiſce concionibus excepiſſet ? Reſpondit : affirmaſſe aliquando quendam ex iſtis Oratoribus , cui dabat operam : Virum improbum ac Mulierem nequam , peiores Diabolo eſſe , quoniam quod Diabolus per ſe non poſſet , per malos viros & fœminas ageret , ut in furtis , falſis teſtimonijs , ſimilibuſque ſceleribus cernitur , quæ Diabolo duntaxat ſuadente , pravis hominibus exequentibus , fiunt . In eo fermè omnes conveniunt qui de Iaponibus quæ viderunt narrant : eſſe Gentem cupidiſſimam ſciendi. Ego quæ me uſus & experientia præſens de ijs docuerit , copioſè vobis differam. Deus Dominus Noſter per ſuam Infinitam Miſericordiam nos in ſuâ Gloriâ conjungat . nam in hac vitâ haud ſanè ſcio quando aut quâ ratione , conſpectum ſperare mutuum poſſimus . Obedientia tamen id efficere poſſet : nam quæ difficillima videntur , facilè obedientia quando vult , expedit .

dit. Valete. Malacâ x. Kal. Iulias Anno CIↃIↃXLIX.

Servus inutilis omnium Fratrum meorum Societatis IESV.

*Franciscus.*

## EPISTOLA IV.

## PATRIBVS PAVLO CAMERTI, ANTONIO GOMEZIO, SOCIETATIS IESV. GOAM.

*Gratia & Amor Domini Nostri* IESV *Christi adsint semper nobis auxilio & favore. Amen.*

EX quo scripsi vobis satis fusè, causa incidit cur expedire judicarem convenire vos iterùm paucis his versibus; unde intelligatis: occurrisse hîc mihi veterem Amicum in paucis carum, nomine Christophorum Carvallium. Homo est cœlebs, virtutis apprimè studiosus, locuples, honestus, optimarum artium & partium.

Hunc ego, pro ſtudio quod profiteor procurandæ omnium ſalutis, inſtiti hortari, & per noſtram amicitiam, perque Dei Amorem obſecrare, deſineret aliquando tumultuoſam & deſultoriam vitæ vagæ rationem, periculis frequentibus cùm rei familiaris ac capitis, tùm, quod longè pluris intereſt, æternæ ſalutis graviſſimis expoſitam. quouſque ſemper peregrinus, ubique hoſpes, nuſquam niſi precariò diverſaretur, nunquam in ſuo quieſceret? nullum colligendi ſui, rationeſque componendi conſcientiæ vacuum ſpatium haberet? Ad ea ille oſtendit haud ſe aſpernari benevolum monitum: quin & ſibi jam ſubnaſci tædium faſſus eſt infiniti erroris. Sat ſe habitaſſe in navi, portumque ac ſtationem tranquilli ſtatûs cum deſiderio reſpicere. Velle denique Domicilium alicubi figere, & quæ multa variâ nec infelici negotiatione comparaſſet, colligere ſub familiare tectum, ubi opes abundè congeſtas in eos uſus verteret, quos Miſericordiâ, Religio, gratuſque in largitorem Deum animus, denique conveniens deflexæ jam ætati quies, & corporis cura poſcerent. dum hoc ſermone proveheremur, opportunè re-

cur-

currit animo memoria bonæ illius Matronæ, quam ob maternum in Societatem Nostram affectum quotidianâ officiorum sedulitate testatissimum, Matrem vulgò nostram consuevimus vocare. Ergo Carvallio proposui conjugium cum hujus Filiâ: Puellæ bonam indolem, virtutem ac morum honestatem ex vero commemorans. Haud surdo cantatum. movit hominem plurimùm mea, laudes ac dotes Virginis sine fuco exequentis, oratio. quid multa? promisit se illam conjugem ducturum. nec dubito quin, pro suâ cæterâ veracitate, jureque amicitiæ, quod sanctè semper mecum coluit, fidem polliciti facto repræsentet, in re præsertim, quam sibi amplam, utilem, honorificam, ad pacem tranquillitatemque vitæ accommodatam planè agnoscit. Itaque non dubitavi totam rem scriptis literis communicare Matri nostræ, uti minimè dubiam, si ipsa annuerit; quod quin sit factura, atque adeò tam splendidam viri probi & divitis affinitatem infelicitatis parte numeratura, nullus dubito. Ista autem ita ut videtis promotum negotium est; quia tamen multa semper executioni destinatorum interveniunt; &

faci-

facilè provideo haud in expedito rem ist-hic futuram, nisi pro virili adnitamini; Oro vos ambo atque obsecro, ut memores prolixi semper in nos animi, quotidianæ Liberalitatis, benevolentissimæ Caritatis Matris nostræ, sic apud vos statuatis: hanc vobis diuinitùs offerri pretiosam occasionem rependendi tot ejus beneficijs unam quidem, sed sui momento instar multarum habituram, grati nostri vicem ac remunerationem officij. Satagite ergò cum per vos ipsi, tum imploratâ atque adhibitâ eódem Primarij Quæstoris gratiâ & operâ, ne successu tam prosperæ opportunitatis afflicta illa Familia frustretur. efficite, inquam, omni conatu, ut solitudini honoratissimæ Viduæ, orbitati optimæ atque innocentissimæ Orphanæ, modo isto quem Divina utrique consulens Providentia offert, subveniatur. In adducendo quò erit opus Christophoro Carvallio, non puto multum vobis operæ futurum. novi ejus constantiam & fidem: nec timere possum ne dictum revocet, aut præstare abnuat quod est mihi pollicitus. Quæstori ut impetretur, sufficiet allegare, quod verè potestis, dignum esse negotium in quo

quo perficiendo autoritatem experiatur suam, quippe quod ante omnia Dei Domini Nostri ad laudem obsequiumque pertineat: deinde ex quo Domûs ipsius curæ commendatæ, spectatissimæ Fœminæ ipsi propinquæ, Pupillæ Virginis lectissimæ opem ab eo & patrocinium expectantis, status, salus, quietis ac spei rationes universæ pendeant. Confido equidem adjuturum pro suâ bonitate Deum Dominum Nostrum, ut cum hæc illi probo & Sapienti dicetis homini, persuadeatis facilè quod volumus. Iam quoniam probè scitis habere in manu Matrem nostram diploma regium ritè consignatum, quo ei conceditur, ut quam functionem publicam (officium vulgò dicunt) vir ejus Didacus Froëz (cuius anima Dei Gloria fruatur) dum viveret exercuit, eam cum suis omnibus emolumentis transferre in eum possit, cui filiam dare conjugem voluerit, & videlicet hoc ipsum in partem dotis imputare; impetrare oportebit à Prætore, ut id Officium assignari alteri permittat, numeratâ in ejus pretium pecuniâ quæ ad summam dotis Puellæ absolvendam conferatur. causa cur id necesse sit, hæc est: quia Christophorus Carvallius eâ clarita-

ritate ijſque eſt opibus, ut infrà ſuam dignitatem exiſtimet eâ functione implicari, præſertim cum jam illum, ut dixi, tumultuum & tricarum tædeat, otiumque in conjugio, & à præteritis laboribus vacationem captet. verebar equidem ne hic nodus eſſet negotij, non defuturis fortè iſthic, qui verbis, prout ſonant, diplomatis hærendum, & pro ſcripto contra ſcribentis mentem ac manifeſtam æquitatem ſtandum contenderent; iſtâque calumniâ, Regis beneficium intercipere, & orbam Virginem cum Matre Viduâ fortunis evertere niterentur. Ejus generis ſi quid intervenerit, agite, oro vos, contra incumbite, conamini, omni contentione certate, per vos ipſi, per Quæſtorem, & ſi cujus alterius favor ad id ſuffragatioque futura putetur utilis, ut Prætorem, &, quorum ea poteſtas eſt, Regios Miniſtros pertrahatis ad benignè interpretandam Regis in hoc privilegio concedendo voluntatem. quis enim non videt id ſolum ſpectaſſe Majeſtatem ejus, ut Filia Froëzij ex mercede Patri debitâ proficeret: nec voluiſſe, ſi viro eam deſponderi contingeret minus apto ad paternam adminiſtrandam

Præ-

Præfecturam, idcirco Pupillam inopem parte magnâ patrimonij mulctari. obtinebitis spero equidem, Deo defensore Viduarum, & Patre Orphanorum adoperante, causam æquissimam; quam ita vos capessere tantaque urgere instantiâ cupio, ut non putem sine flagitio & turpi labe ingrati animi, quæ in Societatem universam fœdè redundaret, vos posse in hoc tanto Matris nostræ negotio quidquam industriæ ac diligentiæ omittere: quoad istas Deo probatas confici nuptias, & per has Matronæ de nobis insigniter meritæ, Virginisque modestissimæ statui, securitati, dignitati optimè consuli, perruptis quibuscumque obstaculis evincatis. Facili & morigero ad omnia quæ in rem opus erunt utemini Carvallio. nam is præterquam, ut dixi, mihi promisit, & est fidei vir integerrimæ; etiam satis indicavit, plurimi se facere affinitatem istam: atque adeò magnam spem cæteræ quietis, & per quantum vitæ ipsi supereſt desideratissimæ tranquillitatis, in isto matrimonio constituere. Satis, opinor, vobis & declaravi, & ni fallor, approbavi votum hoc meum; cujus me factum per vos compotem si vestris literis cognovero,

vero, lætissimo me impertitum à vobis nuntio, & magno affectum beneficio putabo. Deus nos in suâ gloriâ conjungat. nam utrùm in hac iterùm vitâ visuri mutuò simus, in ambiguo nunc quidem est. Valete. Malacâ, Pervigilio Natalis Sancti Ioannis Baptistæ An. CIↃIↃXLIX.

Vester in Christo Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA V.

*Ioanni Bravio recens in Societatem admisso.*

CArissime Frater: Velim Te singulis diebus hunc Religiosæ vitæ Ordinem constantissimè tenere. Manè enim primùm evigilaveris accinges te ad meditandum aliquod mysterium vitæ Christi; incipiendo à Sanctâ ejus Nativitate; & sic continuâ serie procedendo usque ad ejusdem triumphalem in Cœlos Ascensum. Argumenta meditationum habes ordine digesta in Libro Exercitiorum Spiritualium. Per dimidiæ saltem horæ spatium in hac sacrâ commentatio-

tione versaberis, eâ prorsùs attentione devotioneque animi, cæterisque observationibus ac formulis quibus te meministi Ascéticas mensis unius exercitationes obiviſſe. Procedes diebus singulis ad novam considerationem; itaut ubi (exempli causa) feriâ secundâ Christi Natalem fueris contemplatus, feriâ tertiâ Circumcisionem ejusdem considereſ: & ita consequenter, quoad mense vertente universis percursis Domini Iesv Actis, ad omnium clausulam, gloriosam ipsius Ascensionem pervenias. Hinc porrò revolves iterùm orbem eundem à principio, gradum faciendo ab uno mysterio ad aliud contiguum; & sic dies mensis instantis per omnia vestigia prioris trahens. In fine cujuslibet horum Exercitiorum renovabis vota quæ semel emisisti; præsertim tria illa præcipua Castitatis Obedientiæ & Paupertatis. Ea, inquam, iterùm concipies, Deoque offeres, instaurando inflammandoque eodem affectu intimo, quo ea primùm nuncupasti. Hâc iteratione votorum, præter alios fructus, hebetabuntur impetus concupiscentiæ ac stygij hostis ad prava te impellentium. quare nunquam illam omittas, censeo. Post prandium

dium & brevem à meridie quietem, repetes meditationem matutinam, in eâque par spatium horæ dimidiæ, idem mysterium expendendo, consumes; adjungendâ similiter ad finem instauratione votorum. Hoc tibi fixum atque immobile in diurnorum actuum varietate duret semper. nec ulla tanti avocatio vel occupatio sit, quæ te prohibeat solidam quot diebus horam Christi Domini Nostri vitæ Sanctissimæ piè recolendæ addicere. in quo, habebit commoditatem hæc quam instituì partitio. ut horæ dimidium ex antemeridiano tempore, tantumdem è pomeridiano in id seponas. Expeditum ad hoc fore præ cæteris videtur, id spatium quo, vergente ad vesperam die, Pater, quicum degis, Franciscus Perez Scholam habet Catecheticam. tunc tibi vacabit vespertinæ isti orationi attendere. noctu antequam somno te dedas, voca conscientiam ad calculos, inquirens in cogitata, dicta, facta diei totius, explorans quoque, num quid omiseris quod debuisset à te fieri. Sic cuncta discutiens quasi mox Sacramentali Confessione apud Sacerdotem purgaturus animum. acrem etiam Pœnitentiam perperàm actorum aut malè

præ-

prætermissorum, ex causâ Dei, quem summè diligas, offensi concipiens; tum Christum IESVM enixè orans ut ignoscat tibi, emendationemque pollicens, denique recitato *Pater* & *Ave* sic te compones ad quietem, ut Divina cogitanti, diemque posterum transigere sanctiùs paranti, sopor obrepat. Expergiscens postridie, mente continuò sursùm erectâ, dum vestes sumes, dum manus ac faciem lavabis, memoriâ repetitis lucis hesternæ lapsibus, petes à Christo Gratiam eos hodiè vitandi. Indè meditatione matutinâ defungaris, uti pridiè feceras, atque ad eundem modum reliqua continenter exequare; in hocque vitæ ordine tam constans esto, ut nullo alio quàm valetudinis impedimento, fas tibi putes vel tantulum de illo remittere; ac cujus tandem cumque intervenientis obtentu causæ, sanus modò ac valens, vel distuleris, vel non expleveris præscriptorum quidpiam, Religioni ducas, & culpam in Patrum conventu fatearis, pœnam ultrò infligi postulans negligentiæ quâ rem tanto tibi opere à tuo Moderatore commendatam vel præterieris, vel perfunctoriè transmiseris. De cætero quidquid ages, quocumque

tendes, qualicumque in occupatione vel remissione versaberis, acri semper conatu arrectæ mentis vires totas in tui ubique vincendi contentionem exere, cupiditates frange, à quo sensus abhorrebit amplectere; appetitum in primis innatum laudis & excellentiæ contunde, nihil usquam parcens, quoad superbiâ radicitùs evulsâ, infra omnia deprimi te libens sustineas, contemni etiam gaudeas. Ac sic habe: sine istâ demissione, sine hoc in pravos animi motus imperio, nec tibi nec alijs te bonum esse, nec Deo placere, nec in Societate Iesv perseverare posse. Patri cum quo vivis in omnibus obtempera, exequens alacritate summâ quidquid, quantumvis molestum operosumve, mandaverit. nunquam illi obstans, aut contrà quidquam excipiens qualibet ex causâ. planè sic illum semper audiens, sic ad nutum dirigentis te per omnia inflectens, ut si præsens Pater Ignatius eadem juberet. Quibuscumque cujusque generis ac modi tentationibus pulsari te senseris, eas statim ingenuissimè universas Moderatori tuo enuncia; unicam eam esse vitandi ne ijs succumbas rationem, certissimè persuasus. præter quam utilitatem

ineſt

ineſt etiam magnus animi quæſtus iſti perſpicuitati fatendi motus arcanos cordis. magna enim, & magnæ mercedis pignus afferens, per eam initur à Deo gratia, propter laborioſam plerumque victoriam naturalis pudoris: magna etiam ſecuris infligitur ſpebus & inſidioſis machinationibus Hoſtis Tartarei, cujus præcipua nocendi facultas in latendo ſita, exarmatur ſi pertrahitur in lucem, planéque ipſe perverſis ſuis optatis excidens, ijs ipſis, quos captabat, incolumibus & ſecuris ludibrio eſt. Vale.

In Cellâ ſolitariâ Sanctæ Mariæ de Monte prope Malacam, nocte quæ diem præcedit Natali Sancti Ioannis Baptiſtæ ſacrum An. CICIↃXLIX. mox ſoluturus versùs Iaponem.

Tui amans ex animo.

*Franciſcus.*

## EPISTOLA VI.

## D. PETRO DE SYLVA PRÆFECTO MALACENSI.

IN Iaponiam denique non venti magis propitij, Domine, quàm tua nos beneficia perduxerunt. quippe ad fortunandum iſtum curſum, ſecundùm Dei Domini Noſtri benevolam Providentiam, plurimùm (quod gratè fatendum eſt) valuit tua in nos ad hoc procinctos iter humaniſſima liberalitas, quâ non ſolùm viaticum amplum, navigium ex præſenti copiâ optimum, cunctáque id genus quæ erant ex uſu amantiſſimè providiſti, nodos interim omnes & moras negotij, eminente ſemper autoritatis tuæ favore amputans; ſed ad gratiæ cumulum dona præterea multa pretioſaque adieciſti, quibus huius Terræ Principum neceſſariam nobis benevolentiam pararemus. Cum his ſalvi atque incolumes, Deo iuvante, XVIII. Kalend. Septembris fauſto, & auſpicato die; videlicet Aſſumptæ in Cælum Deiparæ Sacro, appuli-

pulimus Cangoximam, Patriam Pauli Sanctæ Fidei; cuius gratiâ à Præfecto Loci, & Ædile, universoque Populo sanè amanter sumus excepti. Pauli ejusdem fidi nostri comitis statim emicuit Religionis haud fictè susceptæ zelus. Noctes diesque totas Parentibus, Cognatis, Amicis, omnis ætatis, sortis ac generis proponere Christi Doctrinam ac suadere institit, tam efficaciter, vt jam quando hæc scribo, Matrem & Vxorem, Cognatos Cognatasque ac consanguinitatem universam vtriusque sexûs, cæterorúmque Amicorum ac veterum Familiarium non exiguum numerum, Christianos effecerit. Est hæc Terra, quantum hactenus potui perspicere, ita nunc aptè ac tempestivè dispositа ad excipiendos Cœlestis Doctrinæ satus, vt ex eâ, si cultura non desit, uberes iure optimo sperentur fructûs animarum. Natio hæc est hominum in quâ vel plurimum supra perturbationes Ratio valet. Nec quæ peccant plurima contra recti iudicij autoritatem præscribunt; errant enim ferè per ignorantiam, ut appareat emendaturos, si doceantur. Itaque imperium Rationi suum mali etiam mores quodam-

modo integrum relinquunt : dum non palàm contra eius interdictum usurpantur : sed precariò & furtim , ac quasi citrà præiudicium obrepunt . quare licentia obsequendi vitijs , nequidquam reclamante Ratione , non adeò in hâc Gente usu invaluit , ut ubi scienter , inverecundâ passim malitiâ , peccatur . Iremus jam nunc Meacum , vbi Iaponiæ Imperator & præcipui Gentis Principes degunt , si tempestivitas ventorum ferret . Aiunt , post quinque hinc menses statum expectari Etesiarum eò ferentium exortum . Tunc , si Deus dederit , illùc navigabimus . quæ multa & mira de illâ Regiâ Iaponiæ Civitate celebrantur , ijs plenam adiungam fidem , si præsens perspexero . Sex & nonaginta millia Domuum in eâ censeri referunt. Duo Lusitani qui ibi fuerunt , quorum vnus adhuc in Iaponiâ versatur , aiunt sibi videri Meacum Vrbem Vlyssipone ampliorem . Ædes omnes è materiâ sunt, contignationibus & tabulatis more nostrate surgentibus exstructæ . Anno , si Deus annuerit , sequenti ex præsenti de his experientiâ copiosis ad Te literis differam . Magna mihi spes è Christi Iesv propitio favo-

favore animum complet, fore ut magna Iaponiæ pars, ob eam, de quâ dixi, Rationis ad liquidum perſpectæ in hâc Gente autoritatem, Noſtram Sanctam Religionem amplectatur. Atque huius, qui tam veriſimiliter expectatur, ingentis fructûs bona pars Liberalitati & Humanitati illi tuæ imputabitur, quâ nos & voce atque operâ coràm, & ſcriptis quò fuit opus efficacibus mandatis, & donis ex tuâ copiâ ſpecioſis conferendis, quibus Regis Iaponiæ gratiam eblandiamur, hoc noſtrum conſilium Chriſti legis in hoc Regno promulgandæ, ex infinitis & noſtræ imbecillitati inſuperabilibus difficultatibus explicaſti. quæ res facit, vt cum Dei auxilio confidam, per Te abſolvendum & in pleni ſucceſsûs promovendum lucem, quod Dominus Comes Almirantes Pater Tuus olim inchoaverat. tantò maiori apud Deum tuo merito, quòd ille navigationum ad Orientales hos Populos vel inſtitutarum vel frequentatarum non alium ferè quàm quæſtûs temporarij Luſitano Regi fructum attulit: Tu longè felicior hâc noſtrâ tam benevolè navigatione iuvandâ, æternam amplificationis Regni Chriſti & propagationis Di-

vinæ Gloriæ utilitatem procurasti. Hoc scribo ut intelligas, quàm obstrictus Deo sis, qui Te ad rem tantam elegerit; & istud tam laudabile Nostræ Sanctæ Religionis per has Oras dilatandæ propositum menti penitùs tuæ inseverit. Nec deerit, mihi crede, quin primùm quærenti Dei Regnum humanæ accumulentur opportunitates. Regi enim quoque, nisi fallor, & Regno, quorum rationes summâ fide ac diligentiâ procuras, uberes proventus nostra hæc Iaponiensis Expeditio promittit. Sacaium est Civitas maritima, princeps Emporium Iaponiæ, itinere bidui Meaco distans. In eâ Vrbe, Deo iuvante, facilè impetratu erit, vt detur ius Domicilij Procuratoribus Regis Lusitaniæ, facultasque ædificandi Apothecas ubi merces Indicas Europæasque custodiant, donec eas per otium commutent cum pretiosissimis quibusque Iaponicæ terræ metallis, artificijs & fructibus, argento præsertim atque auro, quæ ex omnibus ferme hisce Insulis in hunc ditissimum illorum Tractuum portum maximâ copiâ vænum importantur. Id quò faciliùs commercium vtrimque quæstuosum ineatur, suadere conabor

Regi

Regi Iaponiæ ut Legatum in Indiam mittat, qui ſpectatâ illic abundantiâ rerum ad vitæ uſum opportuniſſimarum, quibus caret Iaponia, deſiderium earum ſuis rediens moveat: & ſic eos proniores ad mutui mercatûs conditiones admittendas reddat. unde fiat, ut non ægrè inter Indiæ Proregem & Regem Iaponiæ conveniat, tum de cæteris legibus Commercij, tum propriè de Portorio ac ſcripturâ Luſitanici Fiſci, Sacaij, vti dictum eſt, conſtituendis. Multùm confido in Domino Iesv fore ut ante duos annos ſcribam Tibi, habere nos Meaci Templum Deo dicatum in honorem Sanctiſſimæ Deiparæ Dominæ Noſtræ; ut qui deinceps in has Inſulas navigabunt, in horribilibus illis Sinici Archipelagi procellis invocare poſſint Divam Virginem Meacenſem. Quod ſi tantum mihi fidei tribueres, vt ſumere me ſineres Officium Procuratoris in his locis tui, ſpondere auſim effecturum me ut quamcumque rei ac pecuniæ tuæ partem mihi commendatam hoc nomine volueris, eam Tibi pluſquam centuplicato fœnore auctam repræſentem; idque lucro à periculis itinerum & naufragiorum planè

nè ſecuro ; certæ mercaturæ felicitate, quali nullus ante Te Præfectus Malacæ innocentius vberiuſque lucrum fecerit . Scire aves quod hoc genus ſit compendioſiſſimæ nundinationis ? miſſis ambagibus dicam . Induc ſodes in animum largiri nobis quod dividamus egentibus harum terrarum Chriſtianis , qui modò ſunt , & qui mox fient . Huius ſic collocatæ ſortis, præſto ; fideiuſſore Chriſto , plus quam centuplum in Cœlo Tibi reddendum , non obnoxium ventorum aut fluctuum incerto, neque armis inſidijſve Piratarum . Hæc ſcribens verebar ut ſatis parato in præſens eſſes animo ad iſtam iaciendam ſperandæ in Cœlo commutationis aleam ; quâ nihil tamen eſt ſecurius . Scio Vos Præfectos Malacenſes excelſis animis , quamquam ſatis alioqui experrectis ad lucrum , hanc tamen certiſſimam artem utiliſſimi compendij plerumque negligere ſolere . Latro Nauarchus Noſter hîc Cangoximæ diem obijt . Inſervivit nobis ex animi ferè noſtri ſententiâ navigatione totâ ; nec nos tamen ei reddere vicem in portu atque in morte potuimus . Ipſi enim mori libuit in ſuperſtitione ſuâ : neque illud ſaltem

tem nobis reliquum fecit, quo alijs Amicis in Christianâ professione defunctis referre post mortem gratiam possumus, commendando eorum animas Deo; quando miser suam animam in Infernum proiecit, ubi nulla est redemptio. Multi hinc Iapones ad vos navigant, ad id consilium impulsi sermonibus Pauli Nostri mira de Lusitanorum Virtutibus narrantis. Oro & obsecro Te per quantum Deo debes & Tuæ nobilitati, excipe illos honorificè ac liberaliter, & da operam ut apud Lusitanos copiosos & honestos, à Te iussos omnem illis humanitatem exhibere, splendidè commodéque diversentur. Magno id illis (mihi crede) invitamento erit ad Christi Religionem amplectendam, si vera de Lusitanis retulisse Paulum, experimento ipsi proprio compererint. Dominicus Diazius cui has committo Tibi reddendas literas, Amicus meus summus est, nec minus mihi carus quàm ipse me diligit. Humanitas enim ejus & in nos benignitas per assiduam consuetudinem longæ navigationis, continuis officijs perspecta mihi est. Singulari me beneficio affeceris, si homini de me optimè merito, quàm deberi à

me

me profiteor, nec exolvere possum, Tu gratiam rependeris. Deus Dominus Noster dies vitæ tuæ in multos propaget annos, Teque salvum & florentem, ut Tu & Domina Vxor Tua optatis, in Lusitaniam reducat. Vale. Cangoximâ Nonis Nouembris An. CIↃIↃXLIX.

Tuus in Christo.

*Franciscus.*

## EPISTOLA VII.

## P. ANTONIO GOMEZIO SOCIETATIS IESV.

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri adsit semper nobis auxilio & favore. Amen.*

QVoniam Epistola quàm III. Nonas, hoc est nudius tertius, ad vos communiter omnes qui è Societate Goæ degitis, dedi, tam prolixa est, tamque distinctè persequitur singula, vix quidquam

quam supereſt quod ad te propriè ſcribam præter hoc unum : obverſari te continuò menti memoriæque noſtræ : nec unquam ceſſare affectum meum ab ardenter optando tuæ animæ plus gratiæ ac profectûs ſpiritualis , quàm fortaſſe tu ipſe tibi cupias. Omnium quidem Fratrum Noſtrorum per Indiam ſparſorum , quos tibi commiſi gerere te curam velim , ut ad perfectionem indefeſſo contendant ſtudio : cæterùm præ cunctis ſcito commendare me teipſum tibi : nihilque magis velle aut majoris momenti ducere , quàm Te toto conatu incumbere ad promovendum provehendumque ſemper in melius tuum animum. quo in negotio ſi vigiliam etiam acerrimam remitti vel paululùm à te ſcirem , haudquaquam te idoneum arbitrarer cui ſalus aliorum , aut omninò quidlibet rei majoris rectè committeretur . Si verò ( quod potiùs reor , & Deum , ut annuat , veneror) tu alacris & ſtrenuus ad ſcopum ſemper animo propoſitum ſummæ Dei Gloriæ tui perfectione procurandæ , irrevocabili perges impetu currere , obſtaculis quibuſvis eluctandis , idque mihi certò noſſe contigerit ; haud deſperarem poſſe fieri , ut te

ali-

aliquando huc accersam, mittendum Meacum aut Bandum, hoc est in arces ipsas ac Castra Iaponicæ superstitionis, ubi amplam nanciscaris facultatem tua sancta desideria explendi. Cave omittas scribere mihi fusè ac prolixè de cunctis Fratribus Nostris qui vivunt per Indias, deque ijs qui in Lusitaniâ quique Romæ degunt, exponens quid quisque agat, quo fructu in Vineâ Domini laborent. magnam constituo spem fructûs animi, solatijque ingentis in tuarum ejus argumenti lectione literarum: quo ne me defraudes oro te; nec chartæ in hoc parcas aut operæ. utique cum me non otiosissimum, ut satis nosti, tam verbosis literis, quales sunt hesternæ illæ, vos de omnibus quæ vobis grata utiliaque fore autumo, haud pigeat certiores facere: cujus à vobis diligentiæ vices gratas expecto scilicet ac flagito. Quos isthinc huc in Iaponem advoco, ut se quamprimùm, remoris omnibus expediant, præstóque ad condictum sint; dare te volo sedulam operam; atque autoritate ad hoc urgendum eâ uti quàm tibi plenam rerum istiusmodi contuli. Scis modos id efficaciter & suaviter efficiendi, accommodatè

ad

ad cujuſque captum ac genium . Pater Coſmus Turrianus tui amantiſſimus ſcribit tibi , ac , pro ſuo vehementi erga te affectu , multa optat , quæ tibi ut conducibilia modò ſint , vereor . matureſcent adhuc cruda , ſuo tempore . articuli opportunitatum expectentur . Interim ſic habe : majora me tibi & ampliora deſtinare , quàm tu ipſe , aut hic perſtudioſus tui Pater , cupiatis . adeóque vix aberit , quin ante quàm tertius ab hinc annus evolvatur , literas à me accipias quibus huc evoceris ad aliquam ex celeberrimis horum Regnorum Academiam iturus , ubi fortaſſe uberioribus quàm autumas Divinarum conſolationum illapſibus fruêris , & aliquantò numeroſiora congeres animarum lucra quàm quantum iſtud eſt quod ex tuis in excolendâ Indiâ laboribus percipis . Verùm hæc aliàs . quod nunc inſtat ; quia verebar ne quis in aliquem è Socijs , quos huc accerſo , tuus fortè tibi tenerior affectus obreperet , ut ſpecioſo prætextu fas putares excipere ac retinere iſthic quempiam , alio in ejus ſubrogando locum , etiam atque etiam edico : cave attentes quidquam tale . ac perſuaſum habe , fore ,

re, si, quod absit, hoc faceres, ut graviter in re momenti maximi contrà tui Præpositi disertum imperium, contra tuum ipsius officium, delinqueres; & culpam conscisceres haud leviter à Deo vindicandam. Id quod ego tuâ etiam causâ studens prævertere, mando tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut planè omnes ad quos scribo nominatim hùc evocans, nemine prorsùs quocumque obtentu prætermisso, aut mutato, confestim expedias, & ut ad tempus solvendarum in has terras navium procincti ad cursum præstò sint cures. Per naves quæ Goâ in Armuziam non ferè ante Martium solvunt, fac mittas illuc exemplar Epistolæ meæ longioris scriptæ 11. Nonas, ante hoc triduum, simulque quàm scribo propriè ad Magistrum Gasparem, jubens eum venire ad nos quamprimùm. ut eâ ille maturè acceptâ comparare se possit ad occurrendum isthuc tempestivè ante Aprilem anni sequentis, navibus usurus illo tempore Orientem versùs vela facere solitis. nam & nos eodem Aprili Mense ad hunc cursum Goâ solvimus. Si quem ex à me vocatis mori contingeret, age de alio ei substituendo cum

Patre

Patre Paulo ; & quem concordi judicio ad id ambo probaveritis , huic in virtute Obedientiæ à me præcipite , ut cum alijs veniat . Singulis enim illorum ne mercede obedientiæ fraudentur , præceptum hùc navigandi , pro poteſtate imponendum cenſui . Videtur mihi expedire , ut ij ducant ſecum duos Adjutores Laicos , aut ſaltem unum . Hos oporteret , præterquam induſtrios ac ſtrenuos ad neceſſaria miniſteria domeſtici usûs , quantumvis humilia , etiam eſſe homines perſpectæ virtutis , quos ſatis confidi poſſet , in quibuſvis occaſionibus peccandi , tutos à lapsûs periculo futuros . Atque id pro rei momento iterùm inculco. Eligantur , inquam , ad id viri conſtantiæ in bono probatiſſimæ ; quorum innocentia ſecurè queat exponi vel pellaciſſimis illecebris tentationum , quales utique abundant in terrâ , ob lubrica præcipitia , ſupplantatrice non cautè per eam gradientium , parúmque aut attentorum ad vitandos , aut fortium ad frangendos , dum occurrunt , inſidioſiſſimè paſſim ſparſos laqueos animarum . Porrò dum hi parantur ad diſceſſum , vos per otium tranſigere vellem cum Prætore , ut is literas ſcribat ad Regem

Iaponis, muneraque, quæ ejus nomine cum Epistolâ reddantur, adijciat. Valebit id ad commendandam istis Gentibus Prædicationem Evangelicam, cujus, præter insitam divinitùs vim, etiam externis hisce testimonijs adjutæ, tantum non temerè fructum expecto, ut florentem in Iapono Christi Ecclesiam conversione plurimorum brevi coalituram existimem. Quia verò suâ quisque allectandus escâ est; nec assuetos rationibus putandis temporalium lucrorum perinde ostentationes spiritualium utilitatum movent; facite ut diligenter exponatis curatoribus isthic Fisci Regij, non vulgarem se præbere facultatem novorum vectigalium magni quæstûs ac pretij Regi è Iapone parandorum. Siquidem facilè impetrari poterit, ut in urbe maritimâ Sacajo, quod est princeps Emporium totius Iaponiæ, Domus publicè assignetur Procuratoribus Regis Lusitaniæ, cum Apothecis mercium Europæarum, quæ cum auro argentoque probatissimis, quorum illuc metallorum è fodinis hujus terræ uberrimis, magna vis importatur, grandi quæstu permutentur, constituto ibidem portorio & scripturâ, ingenti utique compendio Fisci

Re-

Regis Lusitanici. Absque hâc objectâ spe malè metuo (quàm vellem vanam hanc meam & falsam suspicionem esse!) valde inquam vereor, ut adducantur, qui regias isthic utilitates curant, ad expediendam Iaponem versùs navem magnam Regis nomine, unâ propriè de causâ importandorum eò Prædicatorum Evangelij. nos porrò gaudebimus, vel per occasionem Christum annunciari; etiam in lucro posituri, quòd saltem in accessorio terrenæ pecuniæ Regnum cœleste computetur: Ministris hîc necessarijs salutis animarum tutò, ubi matura messis vocat, invehendis, navigio præcipuè destinato ad constitutionem humani commercij. quin si haud prona isthic res esset, pro præsenti fortè Indiæ statu, mitti Legatum ac navem Regis, aut Proregis nomine, posset Prætor de suorum Cognatorum aut Necessariorum aliquo benemereri, concedendâ huic legatione liberâ cum Privilegio Iaponici mercimonij quæstuosissimi. Hic verò, nisi fallor, perlibenter sumptu privato bonam Onerariam armaret in istum cursum, unde verisimillimè, ac quasi certò, expectaret emolumentum omninò maximum. Videtis qui sunt isthic locupletes

Inſtitores, quæ facultates, quæ vota ſingulorum. horum cuipiam ut ſalivam Iaponici quæſtûs moveatis religionis rationibus nunc utilem, offerte, immo & quibuſcumque conducibile creditis, quem his adjunctum mitto Catalogum mercium magno hîc ſtatim vendibilium, quibus iſthic abundatur. Harum numerum congeri quàm maximum oporteret in navim hùc mittendam, cujus Dominus ſi pigretur ſe diſcrimini committere, Procuratorem ei præficiat, cui rectè fidat. nos quoque pro virili annitemur ad cooperandum citæ diſtractioni rerum apportatarum; & pro præſenti notitiâ ſpondemus, ingens planè ſic negotianti lucrum oſtendi. Hæc ſi aptè in tempore quibus oportet allegaveritis, exiſtet nempe qui excitetur indicio parabilis theſauri, ad quidvis pro ſpe tali paciſcendum. Ac tum periculum non erit ne navis minùs firma deligatur. Eam utique cui tantam rem committent ſuam, vel omnium inſtructiſſimam ſtudebunt eſſe, nihil curæ ac ſumptui parcentes. nos verò ſic conſequemur ut Præcones Evangelici eidem impoſiti navigio, quàm poteſt fieri tutiſſimè, quò nunc opus eſt mittantur. Habes

cogi-

cogitationem meam de modo procurandi Trajectûs commodi Sociorum isthinc in has Insulas. de quo illud præterea moneo, quod experientia nos docuit. Tutò ac citò transmittere inde hùc volenti, solvendum esse Goâ Mense Aprili, Malacâ verò Mense Iunio. quare date operam, ut navis huc ventura cum toto onere, ac copioso viatico, annonâque omnis generis, cùm Goâ tùm Malacâ vela faciat tempore quod indicavi; nec qui eam regent, ullâ se ratione induci patiantur ad deflectendum obiter ad portus ullos Sinarum, quocumque prætextu negotiationis quæstuosæ, aut comeatuum inde parandorum, quos aliunde copiosè providisse oportuit. ac ne in Insulas quidem obvias exscendant mercaturæ gratiâ; nisi necessitate urgente Aquationis cursim ac citrà moram festinandæ. Sic enim habeant, & expertis credant, recto nec interpellato statione ullâ cursu navigari debere Malacâ in Iaponem à periclitari gravissimè nolente. qui secus faxit, aleam jaciat, præter quàm damnosissimæ tædiosissimæque moræ, capitalium etiam discriminum. Temporis quidem quanta jactura fiat ex utriusque viæ comparato suc-

cessu cognoscite. quatuor mensium cum dimidio, in summâ tarditate, cursus est rectus Malacâ in Iaponem: Si deflectatur ad Sinas, vix mensibus septendecim post. quàm Malacâ solverit navis Iaponem tenebit. Ac quia scio quantum Avaritia sub spei præsentis illicio apud Institorum animos valeat ad subita consilia securis promissorum obijcienda, è re putarem arte quadam subtrahi materiam negotiationi Sinicæ: curarique à vobis ne plùs piperis onerariæ imponatur, quàm quantum Iaponico absumendum commercio satis isti norunt. Alioqui si conscij sibi sint tantæ mercis illius copiæ, ut profligatâ Sinensibus parte redundante, abundè superet quòd Iaponibus vendatur, vix tenebuntur in vicinià Sinicorum Portuum, quin cupiditati obsequantur, & cursum interpellent; quidquid contra suadeat tempestas, & vectores reclament. Ergò cum navigium, quo Patres vehendi sunt, onerabitur; impetrate ab ijs, quorum hæc potestas est, ne piperis supra octoginta capsas imponatur. Is fermè numerus est, qui Sacaij citò & lucro maximo potest distrahi. Aliud præterea præmuniri vellem ad tantò efficaciùs frænandam

dam navicularіorum aviditatem. Orate Dominum Prætorem, qui vobis id non ægrè gratificabitur, ut diplomati, quo Rectori navis hùc venturæ Noſtros in Iaponem deportandi curam demandabit, diſertè adſcribi jubeat: vetare omninò ſe, ne mercimonij causâ in Sinarum Portus exſcendat. quia enim extrema tempeſtivitas cogitantibus Iaponem Sinis, in Kalendis Auguſti defixa eſt; adeout niſi ſaltem eo die vela dent Eteſijs inde adhuc in menſtruum ferè ſpatium ſpiraturis, rerum illic maritimarum periti deſperent Iaponiam illo anno tangi poſſe: manifeſtum eſſe Malacâ ſolventes ſub finem Iunij, ſi negotijs ſe implicent in emporijs Sinarum, haud expeditos ad navigationem fore ſub initium Auguſti, mora enim illic neceſſaria occaſionem abſumeret viæ Iaponicæ, cogeretque rursùm expectari uſque ad annum vertentem, quam vocant *motionem*; hoc eſt auram & tempeſtatem accommodatam ad eum trajectum, ſtato duntaxat illo tempore recurſuram. quod quia gravi Prædicationis Evangelicæ, quæ Regi præ omnibus cordi ſit, detrimento fieret, ſeriò ſe denunciare: qui id committat, noxam in-

cursurum quali subjacent qui Regis Imperio scientes adversantur . utique cum eâ solùm ritè stipulatâ conditione recti cursûs sine diverticulo tenendi , Patres in Iaponiam pervehendos acceperit , alteri , ex Regis mente , navi & navarcho commendandos , nisi hoc iste recepisset . Socijs qui versantur in Promontorio Comorinensi mittes exemplum descriptum Epistolæ prolixæ , quàm III. Nonas ad vos dedi . Simul aliquid affulserit certæ spei è Meaco , statim scribam ad vos fusè , uti & Nostris Fratribus Conimbricensibus , & Patribus Romanis . Si Dominicus Carvallius nondum sit initiatus Sacerdotio , petes à Domino Episcopo ut illum ordinet . Fac Amicum tibi teneas , & omnibus officijs demerearis , Ruizium Gonzalem . nam illum habere benevolum nostrâ intereſt , cum ejus curæ commissi sint Christiani Comorinenses , unde Patres Societatis Nostræ , qui in illo Promontorio Res Ecclesiasticas curant , quotidie in multis , ejus Viri favore indigent. De Melchiore Gonzale , deque Collegio Bazaïnenzi , ac de Franciscanis qui illud priùs tenebant , an Fratres eorum Ordinis recèns è Lusitaniâ venerint ; denique

an

an id Collegium, uti semel Nostræ Societati est traditum, ita adhuc ab eâ gubernetur, & porrò in perpetuum gubernandum speretur, scire cupio ex te. quare fac primis literis, me de his omnibus plenè doceas. Addes de Patre Nicolao; quo fructu Colani laboret: atque an sedulò urgeat rem quam illi enixè commendavi, summè necessariam ad erudiendos in literis Filios Christianorum Comorinensium, & juvandos Patres Nostros qui in partes illas mittuntur. quibus quidem Patribus, ut nullâ in re quâ indigeant desis, te etiam atque etiam rogo. quin ultrò invigila petitones & desideria illorum occupans; curtisque occasionibus apud Prætorem & Præfectum ærarij Regij, ut eis submini-
strentur quæ opus sunt satagens; quin etiam ubi urgente necessitate expeditior eis subveniendi ratio aliunde non occurret, è re faniliari Collegij istius illis interim consulens. Cupio præterea discere tuis literis; ecquid expectati è Lusitaniâ Societatis Nostræ Concionatores adhuc Goam appulerint, quot ij sint, quibus singuli dotibus præditi? Si verò advenerint; in eorum distributione, ante omnes habeatur

ratio

ratio Civitatis Cocinensis, quæ quantùm boni Oratoris operâ egeat, scio. Hæc omnia quæ tibi scribo, scripta etiam putentur Patri Paulo, cui communicabis; ad quem spectabit assignare Concionatoribus loca in quibus prædicent, & eos illuc pro potestate mittere. Isthùc proficiscuntur Bonzij Iapones duo, qui versati sunt in Academijs Meacensi & Bandensi. Facite illos in cunctis omni benevolentiæ significatione demereamini. Amore quippe atque humanitate Iaponica ingenia conciliantur. Omni ratione satage, ut multâ sis apud Dominum Episcopum gratiâ, itemque apud ejus Vicarium, summum eis amorem veneratione conjunctum exhibens, eis ad nutum inserviens, & in cunctis obtemperans. sunt enim Majores nostri: ac quidquid conficiendum cum illis erit incomparabiliter faciliùs & citiùs, obèquio ac demissione peragetur. Iterùm oro te: in expediendis hùc constituto tempore quos advoco Patribus, nihil tibi ad summam diligentiam reliqui facias. Si consilijs nostris Deus faverit, & labores adjuverit, accipietis aliquando à me literas ante annum vertentem Meaco scriptas. Dominus

nus Noster cumulet vos tantâ hîc gratiâ, tantâ in Paradiso Gloriâ, quantam ipse mihi cupio. Cangoximâ Nonis Nouembris An. CIↃIↃXLIX.

Superioribus à me dictatis, hæc adscribo manu propriâ. Per Domini Dei Nostri Amorem, obsecro te, da sedulam operam, ut te omnes ac singuli Nostræ Societatis Fratres ament plurimùm. Id consequêris, præsentes bonis verbis & benignis officijs, absentes crebris & perhumanis consolans literis. Magnoperè te velim statum habere locum ac tempus, quo Doctrinam Christianam continuè rudibus explices. ac cuperem id à te fieri in Templo Episcopali; ibidemque præterea Dominicis ac festis diebus, mane te dicere ad populum è sacro pulpito, post meridiem ad mancipia & Pueros Christianorum, Articulos Fidei declarare linguâ ipsis notâ, prout ego faciebam cum isthic essem. Et hoc, ut exemplo sis alijs. Vehementer oro te, ut ad me minutatim scribas de statu interiori tui animi. Scis quantum gauderem, si cognoscere me isto indicio contingeret quæ anxiè ac cum acri solicitudine cupio de progressu ad perfectionem tuo!

In-

Inter multa quæ mihi nuntiari lætissima possent, illud vel in primis numeraverim, si multorum concordibus testimonijs discerem, impensè amari à te à cunctis Societatis Nostræ Fratribus, sive qui tecum sub eodem tecto vivunt, sive qui alibi propè aut procul in alijs Domicilijs aut Missionibus versantur. Caros illos omnes esse tibi si audiam, gratum quidem fuerit; sed dimidium tantum afferret gaudij. ut id plenum sit, persuadear oportet, tum te in eos omnes affici tenerrimè, tum ab ijsdem viciſſim impensè diligi. Vale.

Tuus in Domino.

*Franciscus.*

EPI-

## EPISTOLA VIII.

### PATRIBVS GASPARI BARZÆO, BALTHASARI GAGO ET IACOBO CARVALLIO. GOAM.

*Gratia & Amor Domini Noſtri* IESV *Chriſti adſit ſemper nobis auxilio & favore. Amen.*

CVm in his Iaponiæ Regnis præſens animadvertam diſpoſitionem optimam ad inſignem profectum Noſtræ Sanctæ Fidei; & aliunde memoriâ repetam inflammata deſideria quibus dudum æſtuatis Divinæ promovendæ gloriæ, adiuvandis Proximis in ſuarum inueniendâ ſalute animarum; in eam fiduciam ingreſſus ſum ut ſperarem, pro ea quam veſtri habeo notitiâ, non defuturam vobis, Deo Domino Noſtro iuvante, virtutem atque Humilitatem interiorem, quarum ope ac præſidio poſſitis efficere quod cupitis, & antiquorum aliquando fieri compotes votorum. Mando itaque vobis in virtute Sanctæ Obedientiæ, ad veſtrum maius meritum,

tum, vt, nisi quemquam vestrum valetudo impediat, Vos, Magister Gaspar, Balthasar Gage, & Iacobe Carvalli, veniatis in Iaponiam, vbi ego sum, mox iturus, Deo iuvante, Meacum; ubi, ut spero, me reperietis. Vos verò Balthasar Gage & Iacobe Carvalli, toto itinere obedietis Magistro Gaspari, de cuius Prudentiâ & Humilitate confido, functurum illum tali Præfecturâ, quâ par est attentione ac diligentiâ. Quia certissimum habeo, vos, statim vt hæc videritis, nullam moram hùc proficiscendi facturos, sic suadente perspectissimâ mihi vestrâ omnium religione, ac perfectione mentis ad obediendum, vel cum mortis periculo, paratissimæ, amore illius, qui prior factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, nihil iam dictis addam, quod ad vos & iter hoc vestrum attinet, sperans vos, Deo deducente, salvos hîc mihi atque incolumes brevi sistendos. Scribebat hæc manu propriâ Vester ac Vestri amantissimus in Christo frater, Cangoximæ Nonis Novembris, Anno CIↃIↃXLIX.

*Franciscus.*

EPI-

## EPISTOLA IX.

*P. Paulo Herediæ Cocinum, ut ibi Collegio præesset, missо sub finem Anni 1551.*

HÆc tibi, quæ Cocini usu teneas, mandata præscribo. Primum omnium quantum erit in te situm, industriâ & contentione omni adhibitâ, da operam ut totius illic Populi Tibi concilies amorem; præsertim autem Sodalium & Moderatorum Ædis Sacræ Matris Dei, solicitè exquirens & sedulò adhibens omnes vias & rationes eis, certò persuadendi, te non aliud in votis habere, quàm obsequi voluntati eorum, & augere pro virili religionem ac venerationem Populi versùs istam Sanctam Domum Matris Dei. Itaque eos crebrò perofficiosè invises, & ad eos cum fiduciâ confugies in tuis spiritualibus necessitatibus dubiorum & anxietatum, consilium postulans. Necessitates verò corporeas Pauperum tuam opem implorantium referes ad Sodales Misericordiæ, causas apud illos miserorum per te agens, & inde

de ijs subsidia procurans, quæ videlicet ex tuâ domesticâ inopiâ suggerere non possis ipse. quod profiteri te convenit; efficereque ut intelligant Pauperes, id quod à te accipient, è penu tuâ non depromi; sed Sodalitatis Misericordiæ liberalitate donari. Ac cum istâ occasione inopes ad te accurrentes exponent penuriam quâ laborant rerum corpori necessariarum, tu viciſſim illos admonebis de inopiâ, quam minùs sentiunt, cuique consulere parùm curant, opportunorum ad salutem animæ subsidiorum. quorum tamen copiam in promptu habeant, si uti velint: quare ne id negligant hortaberis; magnoperè suadens, ut mentem ad Deum vertant, ipsum orent, adorent, mysterijs ritè usurpandis Confessionis & Eucharistiæ sibi propitient; ad quod tuam illis paratam exhibebis operam; ostendens te ipsis illo functis officio primario, nequaquam defuturum in cæteris commoditatibus vitæ ac victûs, istâ de quâ est dictum ratione, impetrandis. In usu cum hominibus omnis generis promiscuo, id enixè affectabis, ut modestia in te tumore vacua æquè à cunctis observetur. neminem non benignè ac de-

demisse alloquendo ; singulis cùm Ecclesiasticis tùm Sæcularibus honorem quantus cuique competit prolixè deferendo . Si quid fructûs ex tuis ministerijs extabit, ejus laudem haud appetes , vel ultrò delatam accipies: sed totam in solidum ijs tribues quos tibi autores adjutoresque, adeoque præcipuos effectores piorum istiusmodi operum fuisse, gratè ingenuéque profiteberis . Id spectanti & in eo elaboranti tibi ut bonum per te nomen Nostræ Societatis augeatur , persuasissimum esse convenit ; tum te duntaxat navaturum in hoc operam , & voti ejus compotem futurum, cum ingens demissionis, & alienissimæ à fastu omni modestiæ passim specimen præbueris . etenim qui te verè humilem aspicient , & tui , quem intuentur , cæteros . quos non vident, Socios arbitrabuntur esse similes , veram scilicet informabunt ideam Religiosorum Societatis IESV , Institutumque id impertient eâ quam despicientia sui facilè à quibusvis impetrat approbationem gratiâque . una ea via est famæ Societatis propagandæ . quod faciliùs intelliges , si memineris eos qui primi laboribus in Ecclesiæ obsequium suscipiendis huic Ordini

celebritatem peperèrunt, omnium id quidem exercitio Virtutum, sed præcipuè neglectûs humanæ gloriæ, ac sui depressione, quàm cæterarum fundamentum agnoscebant, exemplis ubique clarissimis edendis id fuisse assecutos. Hos tu imitando, & te dignum isto nomine probabis, & ejus existimationem promovebis. aliuditer sequendo aberrares videlicet, ac quod illi construxerunt everteres. Ante omnia memento, autoritatem apud Populum, gratiamque ac plausum multitudinis, Dei solius donum esse; quod ille largiturus sit illis duntaxat, quos eâ virtutum soliditate roboratos videat, ut eos jure confidat isto tam insignis efficaciæ talento rectè ad sui ipsorum, & hominum quibus juvandis vacant, salutem usuros. Quos autem ità comparatos cernit, ut fructum, si quem ex suis ministerijs referent, ad propriam derivaturi jactationem sint, meritò mulctat istâ gratiâ, non vertens in eos studia Hominum; nec aspirare ijs à puppi sinens auram favoris popularis; ne dona Dei contemnantur imputata conatibus humanæ industriæ, & discrimine sublato Sanctorum & Imperfectorum, tepidi ac minùs accurati

rati in Dei obsequio, mendaci suffragio successuum, & falso Famæ præconio in speciem virtutis exquisitæ subornati, honorem Operarijs verè Apostolicis debitum à plebe imprudenti consequantur. Tu itaque fac Divinum Numen continuè atque instanter ores, ut tibi sensu mentis intimo nosse tribuat, quæ quamque gravia ex te obstacula opponas profectibus Evangelij, impediens vitio tuo ne Deus quantam vellet sui notitiam indulgeat isti quem malè curas Populo, cui scilicet ad persuadendum quæ opus est, autoritate idoneâ destituaris, tuâ culpâ; quòd istud Cœli munus fervore ac fidelitate debitis non promeruerit. Quando statis quotidie temporibus juxta Nostræ Societatis usum, actiones tuas ad calculos revocas, inquirens ecquid in ijs pecces, ne omittas severissimè discutere quemadmodum te geras in administratione Verbi Dei ex Ecclesiastico pulpito, Sacramenti Pœnitentiæ è sacro Tribunali: in promiscuis denique sermonibus ac congressu quotidiano cum hominibus, accuratè observans quæ in his aut negligenter omittis, aut agis perperàm; serióque decernens, ac mox fideliter exequens, necessariam emen-

dationem. Hanc enim si statim à culpæ notitiâ adhibeas, non cunctabitur Benignissimus Dominus cum suis ultrò donis tuæ pœnitentiæ occurrere: ac suis in te cumulandis gratijs, detrimenta præterita in profectûs uberrimos vertere. Nolim autem (quod multi faciunt) te spem conciliandi tibi populi in humanis artificijs constituere; callidéque grassari ad gratiam celebritatemque Vulgi eblandiendam, ijs obnoxiè faciendis aut dicendis quæ grata jucundaque multitudini esse perspexeris. Indigna Evangelij præcone ista sedulitas est; quippe quæ, præter quàm individuam trahit comitem pruriginem vanæ gloriolæ à Populo captandæ per sanè periculosam, etiam est injuriosa Christo Domino Nostro: quippe cujus honorem istiusmodi Prædicatores, quem spectare ante omnia deberent, suæ ipsorum famæ posthabent; in primis quærentes laudem propriam; eaque adepta, ut jam optati compotes, facilè remittentes ardens studium Divinæ Gloriæ per veram ad Deum conversionem animarum, summo conatu procurandæ. Hæc quæ dixi hactenùs acri mentis attentione perpendas censeo: deque operam ut istiusmodi sensibus,

bus, intimos tui animi sinus imbuas, penitúsque perfundas; haud sinens evolare si quid, prout solet, Benignissimus Dominus tibi Divina Meditanti Cœlestis illustrationis aflaverit: sed id diligenter in libellum ad memoriam conferens. Magna pars, mihi crede, veri profectûs in Spiritu Deo servientium, in hac observatione & solicitâ recogitatione notitiarum, istiusmodi, orando ac commentando perceptarum, sita est. Etenim Si momentaneis istis aliquando dignatus quispiam Divinæ Lucis radijs, veritates per eos detectas literis consignaverit, longè alio videlicet animi motu fructuque istam ex intervallo scripturam releget, quàm si non esset expertus quæ chartæ illevit. quinetiam luculentas illas formas quasi fugitivas retrahet, iterúmque reguſtabit vivos sensûs, aut eorum certè clariori recordatione saluberrimè vegetabitur ad ferventer operandum sapiendumque prout convenit ex præsenti usu. Latum enimverò discrimen saporis ac gustûs spiritualis est inter vulgares lectores istiusmodi rerum à Sanctis è congressu cum Deo recentibus scriptarum, & eos qui propria in ijs, & aliàs experta recognoscunt;

quâ memoriâ & sensu intimo qui carent, parùm sanè tali lectione proficiunt. Propterea Autor magnoperè tibi sum Ephemeridum hujus generis sedulò conficiendarum, diligenter in Codicillis annotando, quæ tibi quotidianas commentationes obeunti arcana lumina Divinitùs affulserint: ea in maximo pretio habendo, teque illis indignum reputando, ac tantò, ut par est, deprimendo profundiùs, quantò te per istâ Deus dignantiùs extollit. Pone in eo sedulam & efficacem operam, ut tibi ne desit copia fidelium & perspicacium Amicorum, qui & satis oculati sint, ut quos in concionando, in audiendarum Confessionum ratione, in cæteris id genus functionibus defectûs admittis, videant; & satis liberi ut te de illis syncerè moneant; ac tu lapsus tuos per hunc modum cognitos emendes ac præcaveas, prout convenit. In sacro Confessionum audiendarum ministerio festinationem perfunctoriam vitabis, & patienter attendes negotio, quò in majorem certioremque profectum Pœnitentes promoveas. Itaque cum sub manum venient qui & egeant & capaces opis sint, & alioqui vitæ statum satis habeant compositum, ut

ijs & libeat & vacet dare operam excolendo animo, auditis eorum culpis, ipsos jubeo sustinere per dies aliquot, comparando se ad veram detestationem peccatorum ex dolore Dei Omnipotentis & summè amabilis offensi. Ad hunc finem præscribe illis Commentationes pias, de Morte, de Iudicio, vel de pœnis damnatorum apud Tartarum, ex quibus intelligentes quàm atrocibus se malis implicuerint peccando, odium tædiumque pravè antehac actorum tale concipiant, ut ex contrito corde veras extundant lachrymas, & propositum emendationis, cui rectè fidi possit in vitæ consequentis durabilem innocentiam, eliciant. Hoc maximè in ijs observandum, quibus inter irritamenta peccandi, & benè operandi obstacula vitam agentibus, pro humanâ fragilitate non tutò creditur sine pignore, pollicentibus in tempus futurum meliora. Ejusmodi sunt qui graves simultates exercuere cum nondum reconciliatis Adversarijs, qui amoris flagitiosi commercia nondum sic abruperunt, ut in lubrico redituræ occasionis satis tuti à lapsu putentur: denique qui rem alienam detinentes, reddendi moras hactenus nexuerunt.

Hos omnes post Confessionem exercebis Ascéticis meditationibus ad statum ipsorum accommodatis, & sic demùm, ubi satisfeciſſe videbuntur, absolves & dimittendo adhortaberis, ad se crebrò deinceps sistendum Sacro Tribunali Pœnitentiæ. Quoties incidet ut ij quibus aures confitentibus das, pecuniæ malè partæ conscij, eam ad te deferant pro arbitratu erogandam in Pauperes, quòd ejus Domini non extent, ex eâ tu nihil unquam ad tuum aut Collegij usum, quantâvis premaris inopiâ, conferes; ac neque arbitratu tuo personis aut familijs egentibus disperties, sed totam Præfectis Sodalitati Misericordiæ consignabis, ab illis prout videbitur dispensandam. Sic præcidetur aditus suspicionibus de te parùm honestis, & autoritatem promovendo Dei Cultui necessariam dementibus. Eâ semper circumspectione ac prudentiâ te adhibe in congressibus & colloquijs omnis generis hominum, quibus ad bonum promovendis quotidianam navas operam, ut nullâ unquam quantâvis fiduciâ familiaritatis, excidat tibi loquenti vel agenti quidquam quod illi si, quod potest fieri, & tu pro eventuro habe, à te averte-

ren-

rentur, exprobrare jure possent. Hæc cautio cùm ad tuum ipsius, tum ad eorum quos excolis profectum permagni momenti est. Peccata confessis cum significatione pœnitentiæ, & absolvi poscentibus, ne annuas antequam satisfactionem repræsentaverint, in triplici præsertim genere, odiorum, amorum, & injustæ detentionis rerum alieni juris. Iube priùs reconcilient palàm cum Inimicis gratiam, procul amoveant offendicula pudicitiæ, iniquè occupata Dominis reponant: expleant denique si quid aliud præverti ad securitatem expediat; nec solâ promissione defungantur. nam cum hominibus horum Tractuum tam promptis & liberalibus ad obligandam Fidem, quàm ad exolvendam tardis ac segnibus, cum arrhâ in manu transigendum est.

EPI-

## EPISTOLA X.

*Quibusdam Mercatoribus Lusitanis recens appulsis in Iaponiam.*

QVod hujus inscriptio Epistolæ vestræ quibus mittitur de more nomina non præfert, minùs mirabimini cum quod res est, scietis: hanc ipsam mihi fuisse scribendi causam, ut ea cognoscerem. Oro ergò vos ne gravemini edere qui sitis? quo nomine vocetur quæ vos huc advexit navis? aveo etiam nosse Malacæ quid agatur? pacata ne illic & tranquilla cuncta reliqueritis solventes? Hæc brevi ad nos rescripto, peto, dignemini exponere: atque interim quæso boni consulatis, suggerere me vobis, ut aliquantum temporis occupationi vestri negotij suffuremini quod recognitioni conscientiæ impendatis. Mihi credite, ista demùm est mercatura longè omnium quæstuosissima, ex quâ lucrum provenit haud paulò & uberius & certius, quâm ex commutatione mercium Europæarum cum velleribus aut pannis

nis sericis Sinensium ; utcumque istâ negotiatione fructus pecuniæ ipsi sorti ac capiti æquetur . Cogitabam , si Deus annuerit , vestris literis acceptis continuò isthuc excurrere ad salutandos vos . Deus Dominus Noster pro suâ Immensâ Clementiâ teneat nos semper omnes suâ Divinâ manu , & nos conservet in hac vitâ per suam gratiam constantes & fixos in obsequio suæ supremæ Majestatis . Amen . Amangucio Kal. Septembris An. CIↃIↃLI.

Frater in Christo Vester .

*Franciscus* .

Sequentis Epistolæ inscriptio exterior in Autographo Archetypo Romæ servato sic ad verbum habet : *A my en Christo Santo Padre Ygnatio* , vnde nos ejus titulum qui sequitur , expressimus .

EPI-

## EPISTOLA XI.

### MEO IN CHRISTO SANCTO PATRI IGNATIO. ROMAM.

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri adsit semper nobis auxilio & favore. Amen.*

VEriſſime Pater mi, aceepi modò Malacæ, hùc appellens è Iaponiâ, Literas Tuæ Sanctæ Caritatis. quæ quoniam de vitâ ac valetudine tam cari ac venerabilis mihi capitis quod optabam docuerunt, ſcit Deus Dominus Noſter quanti meum animum voluptate compleverint. Multas equidem in ijs iucundè legi ſuavitatem ſpirantes tuam pietatemque ſententias; quas & identidem, fructu animi mei præcipuo, retracto mente verſans, & quodammodo reguſto; præſertim autem illa extrema verba, quibus velut caritatis quodam ſigillo Epiſtolam obſignaſti. *Totus tuus, adeo ut nullo umquam tempore obliviſci tui poſſim. Ignatius.* quæ ego ut illic

illic cum dulciſſimis lachrymis legi, ita & flens hîc deſcribo, revocans ſuauiſſimam memoriam temporis elapſi, & illius ſynceri ac Sancti Amoris, quo me ſemper amplexus, nunc quoque proſequeris; prætereaque reputans, me ex tot illis atque ingentibus laboribus periculiſque Iaponiæ, à Deo, tuis potiſſimùm precibus inflexo, votiſque in me paternis obſecundante, fuiſſe liberatum.

Numquam exprimere ſcribendo poſſem quantum debeam Iaponibus: quandoquidem in eorum gratiam Dominus Noſter clarâ me notitiâ intimè imbuit innumerabilium culparum mearum. Nam hactenus evagans extra me, quamdam velut abyſſum malorum in meâ conſcientiâ penitùs conditam non perſpexeram: quoad in illis ærumnis & angoribus Iaponiæ, apertis aliquando mentis oculis, dedit mihi Bonus Dominus manifeſtè cernere, ac quaſi præſentis experientiæ ſenſu tangere, quàm valdè neceſſarium mihi ſit exiſtere aliquem qui perattentam perque ſedulam mei curam gerat. Videat igitur quid agat Tua Sancta Caritas, dum tam Sanctas Animas Patrum ac Fratrum Societatis

qui

qui in his degunt regionibus, gubernationi meæ subijcis: mihi vero per solam Dei Misericordiam modò evidenter innotuit; tam malè me paratum rebus ad istam Præfecturam benè fungendam necessarijs, ut sperare potiùs debuerim commendari me à Te curæ ac Providentiæ Fratrum meorum, quàm ipsos mihi committi regendos. Adiungit deinde Tua Sancta Caritas, ingenti desiderio teneri Te videndi me adhuc semel ante finem huius vitæ. Novit qui mei pectoris intima pervidet Dominus Noster, quàm vehementem quamque dulcem impressionem teneri affectûs animo penitùs meo insinuauerit hæc ita blanda significatio præstantis amoris erga me tui. Equidem quoties tua illa verba mente reputo (reputo autem sæpissimè) iniusiæ mihi lachrymæ oculos complent: nec possunt teneri quin suaviter erumpant ad solam illam mihi iucundissimam speciem quæ obversatur cogitanti, fieri posse ut te iterùm amplectar: quod etsi video difficillimum; tamen nihil est quod Sancta Obedientia efficere nequeat. Per studium quo ardenti flagras obsequendi ac gratificandi Deo Domino

No-

Noſtro, unam à Te peto gratiam, quam, ſi præſens adeſſem, poſitis humi ante tuos ſanctos pedes genibus ſupplex rogarem; ea autem eſt, ut hùc mittas virum aliquem Tuæ Sanctæ Caritati penitùs perſpectum & plane probatum, Rectorem præficiendum Collegio Goano. nam homine quem Tu elegeris, quemque manu, ut ſic dicam, iſtâ tuâ idoneum formaveris, vehementer eget id Collegium. Cur omninò arbitrer neceſſarium deſtinari hùc à Te viros præſtantes & ſupra vulgarem modum Virtute ac Doctrina præditos, ad Academias Iaponiæ mittendos, hæc cauſa eſt. quoniam qui ſunt illic expertes Literarum, ſed alioqui prudentes homines; cum de ſuis erroribus convincuntur, eò ſe recipiunt, ut dicant; eſſe in ſuâ quoque Gente Doctorum Virorum copiam, qui totam vitam ecquiſitis commentationibus & infinitâ lectione tranſegerunt. Eos, quoniam quæ nos affirmamus, pernegant, prius eſſe revincendos adiungendoſque nobis; ut ſic rectè poſſint, qui eorum autoritate nituntur, & ipſi accedere. En cur Literis ac Doctrinâ opus ſit. Conſtantia vero ac

pa-

patientia insignis virtutumque cunctarum cumulus, plane requiritur in ijs qui tantis se dimicationibus obiecturi sunt. Venient siquidem pauci & inopes Adveniæ contra nomen universum ac famam gloriosæ, ac multâ sui rerumque suarum admiratione subnixæ Nationis, quæ tota in ditione Bonziorum est, primas illic dignitatis existimationisque tenentium. quod qui audeant, palàm est multa passuros, ubi eos vndique quos irritaverint Crabrones incesserint; neque laturos impunè, simul, quod primum & necessariò faciendum, Bonziorum Sophismata dissolverint, mendacia redarguerint, sordes & arcanas artes, quibus Plebem credulam pecuniâ emungunt, in lucem protrahere publicam ceperint. Equidem ex ijs quæ sum expertus illic præsens, videre jam hinc videor, væsani Sacrificuli quam impotenter erupturi sint, cum aderit coràm, qui negare in os ipsis fustineat posse illos, quod gloriantur, arcanis sacris, eruere flammis, addictas jam Orco animas: cuius ridiculæ iactantiæ, si palàm falsitas coarguatur, quæstûs eorum pars maxima perierit. cum verò Sodomiti-

mitica flagitia ; quam illi abominandam obscœnitatem in ludi ac propè laudis parte numerant , meritis obiurgationum aculeis configentur , nempe istos velut compunctos stimulo in suis lutulentis lacunis immanes apros , ruituros impetu væsano ad eos dirumpendos , qui Margaritas ante ipsos proiecerint , est consentaneum . Quare , vt dixi , horum hisque similium promulgatores illic dogmatum , deesse non poterit , quin acriter oppugnentur , diréque vexentur , ut animæ ipsis suæ , iuxta Evangelicum Verbum , in suâ sibi duntaxat possidendæ patientiâ sint : quâ propterea egregiè instructos , firmitérque præmunitos esse oportet , qui ad ea discrimina se obijcient . Scribo itaque ad Patrem Simonem , aut eo absente ad Rectorem Collegij Conimbricensis , ne ullos hùc ad Iaponicas Academias ituros mittat , quos Tua Sancta Caritas non viderit , planéque perspectos probaverit . Iterùm atque iterùm dico ; maioribus quàm vulgò creditur certaminibus & ærumnis exercebuntur . Adibuntur importunissimè : nullam diei , nec interdum noctis horam à molestissimis interpellatoribus vacuam habebunt : in-

terrogationibus alijs ſuper alias ſine fine urgebuntur : vocabuntur à principibus Viris , quibus negare nefas ſit . Subtrahetur per hæc quotidianis Orationibus , Meditationibus , receptui mentis ad Deum , & Spiritualibus id genus Exercitijs tempus. non vacabit Miſſam celebrare . Saltem primis , quibus ibi conſpici cœperint diebus , præ turba Sciſcitantium , quos repellere non expedit , vix perſolvendi penſi Eccleſiaſticarum precum , vix cibi ſomnique capiendi ſpatium erit . Nationis id vitium ejus eſt , nullâ verecundiâ negotium faceſſere , hoſpitibus præſertim & peregrè appulſis , qualibus ferè contemptim vtuntur , & protervè illudunt ; etiam innoxijs , & nullâ re moleſtis . quod ſi jam ijdem , quæ Iaponijs ſunt ſanctiſſima , inſectari & incomitiare audeant ; ſi in Sectas ſuperſtitionum invehantur ; ſi vitia publica ſale ſatyrico non parcè defricent , virgulâ cenſoriâ non perfunctorie feriant : ſimul præfractè negaverint eos, qui ſemel Infernis addicti ſint ignibus , ex ijs ullo poſſe piaculo , ullâ viventium amicorum aut parentum largitione aut religione liberari ; magnam ſtatim procellam

lam invidiæ ſubeant neceſſe eſt, indignaturo paſſim optimo quoque in eos, qui de Carorum ipſis jam defunctorum animabus tam durè ſentiant; pleriſque novam Religionem velut infirmam imperfectamque contempturis, quod vltrò fateatur: nihil ſe remedij ſemel damnatis habere quod afferat. Talium curæ rerum & huius generis ibi quæſtiones agitantur, idcircò quod in illius Gentis literis & traditionibus antiquis multa Inferni mentio eſt: Purgatorij, admodum nulla. Hæc cum ita ſint, res ipſa loquitur, opus illic eſſe robuſtis ingenijs, exercitatis in dialecticâ, populari facundiâ diſertis, agilibus ad quocumque ſequendum & prævertendum errantes. qui plauſibiliter valeant fucatis veri ſpecie mendacijs larvam detrahere, retexendis ſophiſticis argumentationibus, & falſorum dogmatum inconſtantiâ, ac ſecum colliſione demonſtrandâ. Erubeſcunt enim & incredibiliter confunduntur iſti Bonzij, vbi malè cohærere ac pugnare inter ſe ſe ea quæ docent, palàm oſtenditur; aut quando ita conſtringuntur ratiocinatione neceſſariâ, ut expedire ſe nequeant. Ad has dotes animorum,

accedat oportet robur corporum, par ferendis algoribus rigidissimarum hyemum. Nam Bandus, Academiarum Iaponiarum primaria, in partibus earum Insularum maximè septentrionalibus sita est. nec multùm inde absunt Academiæ cæteræ, compertúmque illic est, solertiâ ingenioque ferè præstare, qui sub Cœlo frigidiori nascuntur. Victum quod attinet, unica ferè oryza annonam conficit: etsi reperitur & aliquantum tritici, nonnullaque olera, legumina, cibique ejus generis, tenuis omnes, nec valdè salubris, succi. vinum aliud non habent, quam quod ex oryzâ exprimunt arte quadam, perrarum, & idcircò supra modum carum. Maximum tamen incommodorum est anxietas continua in periculis vitæ quotidianis. Non sunt apti ad huius terræ culturam senes, vtique quibus deessent vires ad necessarios labores; nec adolescentes, nisi si quibus defectum ætatis, virtutum magnitudo manifestis experimentis perspectarum, suppleret: alioqui potius quàm alijs prosint, se ipsos perdent. Peccatorum omnis generis irritamenta illic & occasiones sunt. Præterea teneriores ibi quam usquam animi

mi hominum facillimè offenduntur quavis ſpecie minus recti exempli, in ijs extante qui ſe aliorum Cenſores ferunt. Hæc ita minutim, ut dixi, ſcribo Magiſtro Simoni, aut ejus vice Rectori Conimbricenſi. Gratiſſimum mihi eſſet ſi Tua Sancta Caritas ſcribere Conimbricam dignaretur, vt quos deſtinarent in Iaponiam, priùs ad te Romam mitterent. Veniebat mihi in mentem: aptos ad eam expeditionem videri fore Belgas, aut Germanos, qui Caſtellanam aut Luſitanam Linguas noſſent. Vtrumque id genus tolerans laborum eſt, tum naturali habitu & educationis uſu duratum ad patientiam Bandenſium frigorum. Veriſimile putabam non paucos ex hiſce Nationibus duabus, in varijs Hiſpaniæ Collegijs, & Italiæ vivere, in quibus forte multùm utiles non ſint: quod nativâ elegantiâ popularis linguæ careant; qui ſi transferrentur in Iaponiam, excellenter ibi operam navarent, & magnis ſe fructibus commendarent. Putavi præterea ſuggerendum Sanctæ Caritati Tuæ, ut, ſi tibi videretur, iuberes haberi ſeveriorem delectum eorum, qui ex Collegijs Hiſpaniæ, & Luſitaniæ

mittuntur in Indiam, ibi victuri. Præstaret duos tantum anno quolibet hùc solvere, dum tales essent, quales hæ regiones requirunt, primùm satis provectos in perfectione spirituali; postea & Doctrinâ; & facundiâ præditos quanti opus est ad concionandum, & Confessiones audiendas. Et hos cuperem tuo iussu peregrinari Romam, antequam ad nos navigent. Nam & istæ itinerum probationes ad eos formandos conferunt: quid possint ipsis ostendunt; ad labores durant; adversus pericula futura, præteritorum innoxiè aditorum recordatione, confirmant. Denique sic consequemur, vt hîc in concursationum Apostolicarum sudoribus novi non sint: quales deprehenduntur qui sedentes hùc nave delati è patriâ, unde nunquam exierunt, campestrium laborum, & pedestrium peregrinationum usum nullum habent. Sane tot hîc illecebræ ad mollitiem, tanta tamque pellacia, non modo ad cessationem, atque desidiam, sed etiam ad nequitiam invitamenta sunt, ut eorum virtus qui hisce animarum periculis obijciendi sunt, exquisitis priùs experimentis probanda videatur; ne

ne si qui minus idonei obrepserint, pro sperată nobis consolatione ipsorum adventûs & convictûs, negotium potiùs molestissimum facessant, ea committentes, ob quæ ipsos è Societate amandare sit necesse. De his videat quæso Tua Sancta Caritas, an è re sit Magistrum Simonem per Te admoneri. Neque qui è Societate nunc sunt Amangucij, neque qui, cum hîc jam versentur in Indijs, anno proximo, vel alijs consequentibus, si Deus volet, in Iaponiam ituri sunt, idonei mihi videntur, qui mittantur ad illas Academias. Verum hi vacabunt interim addiscendæ linguæ, cognoscendisque Dogmatibus Sectarum, ut cum venerint ex Europâ, quos expectamus è sinu tuo Patres, Domesticis ipsis & fidis uti possint interpretibus in concertationibus adversus Bonzios. Verisimilis mihi spes est profecturam plurimum, & largè amplificandam Amangucianam Ecclesiam. Sunt enim jam ibi Christiani multi, & inter illos non pauci valdè boni; ac novi quotidiè plurimi Cátechizantur, & baptizantur. Vivo in spe magnâ, fore ut Deus Dominus Noster nobis servet Patrem Cosmum

Turrianum, & Ioannem Fernandez, nec sinat ab Idololatris interfici, primùm quia prima, & præsentissima periculorum jam videntur evasisse, furijs illis Bonziorum primâ offensione inflammatis, mox dehinc mitigatis, & sensim consenescentibus. Deinde quia multi, vt dixi, ibi Christiani sunt, & inter eos non pauci dignitate & autoritate præstantes, qui magno studio invigilant diù, noctuque conservationi Nostrorum. Ioannes Fernandez, etsi nihil nisi Laicus est; tamen, quòd expeditè utitur linguâ Iaponicâ, & quidquid illi suggerit Pater Cosmus Turrianus, aptè ac disertè in eam transfert, utilissimus est illic. Nunc totus est in explicandis, quotidianâ ad populum dictione, omnibus Mysterijs vitæ Christi. Quoniam eam perspexi in Iaponibus indolem, ut & Religionem Christianam satis ipsis ostensam facilè probaturi, & semel susceptam tuituri constanter atque in Posteros perpetuaturi videantur, in eorum culturâ quantosvis labores benè collocatos puto. Quo in sensu reficit ac consolatur me spes quam in Tuâ Sanctâ Caritate repositam habeo, confidere me

iu-

iubens mittendos hùc à Te Sanctos aliquos Patres, quos rectè Iaponicarum superstitionum Magistris possimus opponere. Id faciendi præcipua tibi causa sit excellentia quædam Nationis Iaponicæ mihi perspecta suprà cæteras hactenus in hisce Tractibus detectas. In quarum nullâ, quæ quidem suis legibus vivat, & Regi Lusitaniæ non sit subdita, satis verisimiliter videtur sperari posse Christi Religionem perenni firmitate radicandam. Vna ex omnibus, & sola, quantum sapio, Iaponia videtur inconcussam, æternamque servatura Christianæ Sanctitatis Professionem, si eam semel arripuerit: quod utique non sine ingentibus Evangelicorum Præconum ærumnis, ac contentionibus eventurum est. Sina, quæ Regio est patens latissimè, pacatissima, temperata magno numero exquisitarum legum; uni paret Monarchæ, cui ad nutum obeditur. Opulentissimum est Regnum, cunctis ad vitam humanam necessarijs abundans. Freto modico dirimitur à Iaponiâ. Gens pollet ingenio, & studijs insudat, legum præsertim, & Iurisprudentiæ humanæ, Politicæque rationis, cuius exquisitè pernoscendæ

dæ ingenti plerique cupiditate flagrant. Vultus illis candidi, imberbes, oculi parvi. Liberalis pleriſque indoles, pacem in primis gaudent, quæ fundatiſſima, ſine ullo belli metu, inter ipſos viget. Niſi quid novi obſtaculi ſupervenerit quod iter deſtinatum intervertat, ſpero me hoc anno, ſecundo & qinquageſimo ſupra ſeſquimilleſimum, navigaturum ad Sinas, quo me vocat ſpes operæ ad ingens Dei obſequium navandæ, in magnam utilitatem cum Sinicæ Gentis, tum Iaponicæ. Nam ſimul innotuerit Iaponibus, Sinas Chriſti Legem fuiſſe amplexos, veriſimile eſt multum illos remiſſuros de pertinaciâ, quâ pravis ſuis ſectis adhærent. Adeoque magna me ſpes tenet, tam Sinas, quàm Laponios operâ Societatis à ſuis Idololatricis ſuperſtitionibus abductos, adoraturos Chriſtum IESVM omnium Gentium Salvatorem. Obiter quiddam referam quod in uſu mutuo iſtarum Gentium ſingulare, ac mirum obſervatur. Sinica, & Iaponica diverſæ linguæ ſunt; adeo ut qui ijs utuntur invicem non intelligant: quod tamen Sina ſcripſerit, legit, & percipit literatus Iapon; ſed cum ſono ſcriptum exprimit,

mit, ne ab ipso quidem scriptore, si præsens adsit, quid dicat cognoscitur. Nempe literæ Sinicæ non vocis humanæ sonos varios, ut nostri literarum characteres, sed res protinus ipsas exprimunt; ideoque sunt innumerabiles? Discunt autem, qui Doctrinæ nomen affectant Iapones, literarum istarum potestatem; hoc est, non quod verbum aut vocabulum indicent; sed quam rem designent. Sublevando autem Elementariorum, & Magistrorum labori hoc excogitarunt compendium. Proponunt in tabulâ literas Sinicas, cuique imponendo pictam effigiem ipsius rei, quam significat. Exempli gratia, qui character homini designando institutus est, ei forma expressa hominis incumbit. Sic in cæteris. Inde fit vt admoniti conspectu signi Iapones lectores, easdem quidem res cogitationi subijciant, quas Sina scriptor in mente habuit; sed dum voce quod legunt efferunt, vocabula Iaponica res illas denotantia pronuncient: quæ Sinæ audientes, quid sibi velint prorsus nescIunt: uti nec vicissim si coram Iapone Sina eamdem scripturam voce adhibitâ legens exprimat, Iapon haud intelliget quid verba

ba sonent. Scripsimus linguâ Iaponicâ librum explicantem Origines Mundi, & cuncta vitæ Christi Mysteria. Eundemque deinde librum Sinicis characteribus descripsimus, quod exemplar cogitamus ferre nobiscum euntes ad Sinas; ut interim dum linguæ notitiam paramus, specimen possimus dare Sinis scripto ipsis noto expressum eorum quæ afferimus. Oro, atque obsecro Sanctam Caritatem Tuam, per quo Deum Amore prosequeris, quóque ejus obsequij studio flagras, fac tam ipse Tu, quam universa Societas, quotidianis me Vestris Sacrificijs, & precibus Deo impensè commendetis. Peto inquam, & rogo, interprete ac conciliatrice Sanctâ Caritate Tuâ, Patrum omnium, præsertim Professorum, procurari mihi suffragia, & efficaces intercessiones ad communem Dominum, quæ iunctæ cum totius militantis Ecclesiæ meritis, cumque precibus omnium Beatorum, qui dum viverent de Societate fuerant, & cum universæ triumphantis Ecclesiæ conspirantibus in idem votis, impetrent mihi à Deo Domino Nostro gratiam intelligendi clarè in hâc vitâ quid Sanctissima ejus Voluntas à

me

me optet, simulque auxilium ac vires, integrè ac perfectè, quidquid innuet aut injunget exequendi. Cocino IV. Kal. Februarij Anno CIↃIↃLII.

Minimus filius, idemque in exilio maximo.

*Franciscus.*

## EPISTOLA XII.

## P. PAVLO SOCIETATIS IESV.

*Gratia & Amor Domini Nostri* IESV *Christi adsint semper nobis auxilio & favore. Amen.*

PAter Paule, ad te isthuc proficiscuntur Manuël de Morales & Franciscus Gonzalez. Simul advenerint, visis meis hisce literis, convenies Dominum Episcopum in suo Palatio Episcopali, diceisque ipsi: te reddere ac restituere Dominationi ejus priorem horum, hominem ratione Sacerdotalis Ordinis ipsi peculia-

liariter ſubditum, nec jam obligatum ullæ Religioſæ Familiæ Obedientiâ; quippe cum per me, prout literis ad te datis ſignificaverim, votis ritè ſolutus, & à Societate abdicatus ſit. quare homine talentis ad Eccleſiaſtica miniſteria non inutilibus prædito, utatur deinceps pro arbitrio, plenum jure; utique cum eum à ſuo corpore rejectum, & in manus ejus repoſitum Societas Iesv liberæ ipſius poteſtati permittat. Ipſi poſtea Manuëli de Morales declarabis te illum, prout à me per literas juſſus ſis, è Societate dimittere. Amandabis ſimiliter Franciſcum Gonzalem; & huic quoque denunciabis ſuas ſibi res habeat in poſterum ſeorſum à nobis; nec hos diverſari de cætero in Collegio ſines, aut ullam communicationem, etiam conſuetudinis & colloquij, habere cum noſtris. Moleſtiſſimum mihi eſt ea iſtos commiſiſſe quæ neceſſarias mihi cauſas afferunt ad hoc extremum conſilium veniendi. Sed quod me magis angit, malè metuo, ne non in his duobus ſolis deſitura porrò ſit iſtiuſmodi animadverſio. Scit Dominus Deus Noſter quàm acri conſoſſus intimè cordolio hanc Epiſtolam ſcribam. Exiſtimaveram

hùc

hùc rediens inventurum me aliquam requiem à multis quos peregrè nuper exantlavi laboribus. nunc vice solatij, acerbiores molestiæ occurrunt, litium vitiosâ perturbatione commissarum, contentionum, discidiorumque à populo in offensionem publicam erumpentium. non hæc scilicet absens mandaveram. Sed, quantum reperio, vel exigua, vel nulla Obedientia in quibusdam est. Laudetur in omnibus Deus semper. Melchiori Gonzalez mandabis, scriptis Bazaïnum, ubi est, literis, ut continuò inde Goam veniat; sic enim pro potestate me jubere. Balthasarem Nuñezium tecto excipies & ibi tenebis usque ad meum isthuc adventum. Adolescentem isthuc proficiscentem, cui Thomas Gonzalez nomen est, non admittes Domum antequam ego advenerim. Dicas interim illi: si Deo servire in Societate velit, conferat se in Nosocomium, ibique infirmis ministret quoad Goam perveniam, quod brevi, Deo juvante, futurum spero. Adi à me Dominum Episcopum, eique manus meâ vice osculare, ac dices: majorem in modum cupere me sisti quamprimùm Dominationi ejus Illustrissimæ,

spe-

ſperando ſuavem animi fructum ac conſolationem ex ejus dulciſſimo congreſſu. Tum me ſignificaturum ipſi quantum me obſtrictum ſentiam favoribus & beneficijs ejus tantis, ut iis pro merito æſtimandis, nedum rependendis, me ultrò profitear imparem. Summo teneor deſiderio Fratres iſthic omnes meos reviſendi, Patres præſertim, è quorum colloquio conſolationem expecto non modicam. Valete. Cocino. pridie Nonas Februarij Anno CIↃIↃLII.

Totus Veſter in Chriſto.

*Franciſcus.*

## EPISTOLA XIII.

### P. MELCHIORI NVNNEZIO SOCIETATIS IESV; BAZAINVM.

EGo Franciſcus perſpectam habens tuam Melchior Nunnezi, virtutem ac prudentiam, & ei ſatis fidens, ſubeſſe tibi jubeo Domum iſtam Bazaïnenſem; ac pro pote-

potestate mando, ut & istius universæ Familiæ regendæ, & recipiendorum administrandorumque Vectigalium, alendis per varia loca Socijs isthic assignatorum, curam suscipias: imperans, ut ex quo primùm die istius à me tibi commissæ Præfecturæ ritè possessionem adieris, non solùm qui Fratres aut Patres Bazaïni degunt te Rectorem agnoscant, tibique ut tali ad nutum obediant; sed etiam quicumque deinceps Socij quavis occasione isthàc transibunt, Dium aut alia loca petentes, interim dum isthic erunt tuæ ditioni subjecti sint. nisi si quem aut ego, quod ex meo Chirographo constet, aut Rector hujus Goanæ Domûs, Sanctæ Fidei (cui, me absente, sicut Patri Ignatio obtemperabis) tuo imperio exemerimus. Ita ex animi mei sententiâ statuo: & in hujus meæ voluntatis indicium ac fidem, huic chartæ manu propriâ subscribo. Goæ in Collegio Sancti Pauli, pridie Kalendas Martias Anno CIↃIↃLII.

*Franciscus.*

Apponam hîc monita & mandata

quorum ductu regimen te istud exercere pervelim. Incipiam à curâ Vectigalium, quæ Rex, aut ejus nomine Prætores Indiæ percipienda Societati liberaliter attribuerunt, non solùm in usum Bazaïni degentium Sociorum; sed & eorum qui in hac Domo Goanâ habitant, atque in Stationibus huic subjectis. Circa hæc primùm volo te diligenter inire rationes cum nostro Melchiore Gonzale qui collectioni & dispensationi istiusmodi censuum longo jam tempore præfuit, exactè ab eo resciendo, quantum ejus pecuniæ acceperit, vel accepto tulerit, quantum in nominibus reliquerit. Ac quidquid ejus compereris perscribe-sis ad me distinctè: scire enim aveo; præsertim autem summâ fide profitere, quantum idem Gonzalez Tibi præfecturam ineunti numeratò consignaverit. Iam in expensione pecuniæ istius magnam te habere rationem par est necessitatum Sociorum hîc degentium, & hujus Goanæ Domûs ære alieno pressæ, tum Sedium Cocinensis, Colanensis, Comorinensis, quæ omnes vitæ subsidia Goâ trahunt, aut potiùs expectant. Sæpiùs enim miseri postulant, quàm impetrant. & plerumque con-

conflictari longâ inopiâ coguntur. quod me intimè conscium ipsorum egestatis; penitùs excruciat. etsi enim, pro suâ cæterâ munificentiâ, Rex propria illis quæpiam subsidia decrevit, tamen ea ferè non solvuntur, ob difficultates ærarij; Fiscalibus censibus per illos tractûs malignè provenientibus. Quocirca æquum censeo te sic ex isthic perceptis aut percipiendis annuis reditibus sumptum facere in nostrorum qui tecum vivunt alimenta, & vestitum, ut ultra meram necessitatem in eo non prodeas: sed (per Dei obsequium & caritatem oro te) reputes, quàm non sit consentaneum, te & tuos, quod fonti assideatis, redundare superfluis, dum Fratres Vestri, quoniam procul pondus ferunt æstûs & diei, utcumque indidem aquandi jus habeant, miseriâ & squallore consenescere. Fac igitur obsecro te, quantum, res etiam vivum resecando, poteris consequi, ut quamplurimùm ex usu vestro istius pecuniæ superfit, quod opportunè submministres Goani hujus Curatoribus Collegij, unde ipsi subveniant Socijs in Comorino Promontorio, Colani & Cocini Regnum Dei promoventibus conatu & ærumnâ maximis: Er-

gò si cujus isthic fabricæ moliendæ cogitatio nascatur, cave suscipias, nisi planè perspexeris inevitabiliter necessariam. Præterea in quotidiano victu, tuo, nostrorum & Alumnorum Seminarij, frugalitatem adhibe, cui expensa quàm minima sit satis. In quo tamen adverte; me per hæc parsimoniam usque ad sordes odiosam importunamque non præcipere: apage id quidem. quin planè veto, quidquam omnino subtrahi veris necessitatibus Domûs & Familiæ istius. Tantùm peto, ut ratione & commiseratione habitâ inopiæ extremæ quâ premuntur, in Orâ præsertim Comorinensi, Operarij Evangelici, redigat se intra fines arctæ sufficientiæ Vestra Caritas, tantisper dum aliundè consulatur illi afflictissimæ Ecclesiæ, in quâ (quod flens memoro) tot parvuli sine Baptismo moriuntur, idcircò quia deest unde miserrimo illic sustententur victu Sacerdotes Nostri, qui si adessent, & prout est opus, concursando assiduè lustrarent illa infelicissima mapalia, tempori occurrerent, Infantibus ante Christo regenerandis, quàm vitâ decederent. De modo exigendi vectigalia hoc in mentem veniebat admonere. non videtur expedire, ut

ea

ea per te ipsum, aut per ullum è nostris exigantur. Sed utendum ad hoc operâ unius aut plurium Amicorum Laici Ordinis, quos quasi Procuratores tuâ vice constituas. In horum delectu habeatur primùm ratio probitatis & Religionis; ut ij sint qui in vitæ usu justi & æqui habeantur, & veræ in Deum pietatis specimen edant frequentandis Pœnitentiæ Eucharistiæque Sacramentis. qualibus etiam conveniret pias aliquot Commentationes, ex ijs quæ ad primam Spiritualium Exercitiorum Hebdomadem pertinent, à vobis tradi. Cuperem deinde copiosos & Domi locupletes homines, si talium idoneorum adesset copia, ad munus istud legi. Ad hos tenuibus in hoc genere præoptandos hæc me potissimùm movet ratio. Non exigua pars hujusmodi censuum corrogatur è plebe inopi Opificum ægrè diurno manupretio victitantium. Hi plerumque, cum, ut fit, ad diem solvendo non sunt, nisi Exactores vectigalium moram indulgeant, damno suo maximo vexantur. Eam facilè gratiam impetrent à divitibus, præsertim Viris bonis, & ad Misericordiam propensis; qui è re amplâ domesticâ, nullo incom-

modo, in anteceſſum conferre valent quod mox recipiant. Anguſti à re familiari ſe rè ſunt ad talia inexorabiles, & jure ſummo agunt, pignerantes & prenſantes acerbè debitores miſeros, ſi quando in numerato non habeant unde ad præfixum terminum ſolvant. Super omnia, per quantùm obſequi ac gratificari Deo Domino ſtudes, oro & obſecro te, cave ne in offenſionem cujuſquam incurras, aut juſtam præbeas occaſionem querelarum. Id aſſequêris ſi te demiſsè modeſtum & ab omni ſpecie faſtûs alieniſſimum ſemper populus obſervaverit. quare auſpicari Præfecturam edendis publicè tui depreſſionis exemplis debes, obeundis palàm omnis generis officijs humilibus, in Noſocomijs, in Cuſtodijs, miniſtrando egenis, rudi plebe ac pueris docendis. Hæc in primis popularia amorem in te multitudinis accendent. Porrò quos tui amor præoccupaverit, ij haud temerè interpretabuntur in partem ſequiorem Acta tua dictáve. Vide autem, ne ſic benè auſpicato tibi, præproperâ fiducia ſucceſſuum primorum perſeverandi tædium oggerat: quin longanimiter contende, ut ex bono in melius proficias, &

id

id te facturum autumet populus. nam si remiseris induſtriam, non conſiſtes in lolo quæſitæ gratiæ, ſed altiùs quàm emerſeras corrues. utique cum in ejuſmodi qui deſinit progredi, retrò vel invitus rapiatur.

## EPISTOLA XIV.

### CVIDAM E SOCIETATE IESV ARMVZIÆ DEGENTI.

*Gratia & Amor Chriſti Domini Noſtri adſit ſemper nobis auxilio & favore. Amen.*

SCit Deus Dominus Noſter quantò mallem te alloqui præſentem, quàm abſenti ſcribere. Plurima quippe ſunt quæ verbo coràm, multò & breviùs & efficaciùs tranſiguntur, quàm lento & ad ſubita exceptionum muto commercio literarum. Iuvit quidem audire à recens iſthinc profectis quæ de te referunt: ſed aliquantò plus juviſſet accipere ab ijſdem Epiſtolam à te datam quâ rationem redderes fructûs

quem isthic facis, aut ut castigatiùs loquar, quem per te Deus facit, quemque faceret, si satis posset tibi fidere; sed omittere cogitur propter obstacula culparum & defectuum tuorum, quæ ipsius desiderijs opponis. Hæc nempe impediunt, ne per te se manifestet. Cujus impedimenti accusare te ipsum assiduè deberes, doleréque cum pudore ac Pœnitentiâ, quòd vitio tuo non sis aptum in Dei manu Instrumentum ad magna & præclara quæ parat; damno ingenti, & uni tibi imputabili, tum gloriæ majoris ad ipsum, ni per te staret, redituræ; tum multò uberioris extituri fructûs animarum quibus curandis vacas: in quas ò quanta Dei dona & Cœlestes favores intercipis, eo solo quòd talis non es qualem esse par fuerat! Quare memento, solicitè tecum reputare; quàm severè ratio in supremo judicio repetenda sit à Te bonorum quæ Deus fieri vellet & facere paratus est; sed ea ne faciat, tu impedis. Hoc tibi pro potestate impero, ut Domino Proëpiscopo tuo valdè obedientem præbeas. ut non nisi eo probante ac volente concioneris, Confessiones audias, Missam celebres. & adverte

hoc

hoc non à me consuli, sed mandari; atque adeo in virtute Sanctæ Obedientiæ prohiberi, ne quacumque tandem ex causâ discidium cum Proëpiscopo facias, aut simultatem unquam ullam cum illo suscipias. quod tranquillè ac cum bonâ ejus gratiâ poteris efficere, in hoc incumbe. confido enim eum, pro meâ de virtute ac caritate ipsius opinione, si te humilem ac morigerum viderit, promptiorem fore ad liberaliter concedendum quod opus fuerit, quàm te ipsum ad petendum. Alijs Sacerdotibus multàm exhibebis venerationem, ac reverentiam. cavebis autem diligenter ne quemquam eorum spernas, aut ullâ contemptûs specie offendas. Amicos omnes habe: præluce ijs exemplo obediendi Proëpiscopo. sic imitatione Sacerdotum pariter omnium condiscet Populus plenam atque integram, quam Pastori suo Proëpiscopo debet, obedientiam. Atque hunc exempli fructum tanti velim æstimes, ut planè statuas, te præeundo cunctis, specimine humilitatis & obedientiæ, longè plus quàm concionando proficere. Cave singularitatem affectes, ostentando te Mundo & auram captando popularem; quin potiùs

tiùs ab omni ambitu celebritatis ac famæ vanæ abhorrere te demonſtra . Multis è Noſtrâ Societate multùm nocuit iſta jactantia & ſtudium arrogans ſingulariter eminendi . Multos è Societate dimiſi ex quo è Iaponiâ redij , quia eos iſto vitio inter alia infectos reperi . Attende tibi ac ſolicitè cave ne quid committas ob quod tu quoque dimittaris . Vt eâ quâ par eſt animi demiſſione in Societate vivas , tecum reputa : quantò tu Societate plus egeas , quàm Societas Te . Propterea vigila ſemper , nec Tui unquam obliviſcere , nam immemor ſui , quî ſperetur memor futurus aliorum ? Hos tibi verſus exaro dictante amore tui vero ſynceroque , inſtigantibus lævis hîc increbreſcentibus nuncijs : haud tantum in te modeſtæ demiſſionis , tantum obedientiæ conſpici , quanto eſſet opus ad publicum iſthic exemplum . Mandavi Magiſtro Gaſpari , ut ad te ſcriberet . cauſa mandandi fuit , quòd cum is uſum magnum iſtius Gentis atque urbis , commoratione ibi longâ , paraverit , ſperabam poſſe illum tibi opportuna & perutilia ſuggerere ad rem illic gerendam , prout ad majus Dei Domini Noſtri

stri obsequium expedit . quocirca literis ejus par autoritatis pondus ac meis tribues ; quin iis sic tanquam à me scriptis deferas , & quod præcipient exequaris , jubeo . ne tractationi Matrimoniorum intricari te sinas , moneo ; neve illos qui raptu Conjuges pararunt , absolvas unquam sine expresso mandato ac bonâ veniâ Proëpiscopi . & hoc ut ita facias , mando tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ . Quando Magister Gaspar ivit Armuziam , certas illi Regulas præscripsi , quarum illic ductum sequeretur . Ejus , Paræneseis exemplum audio ab eo relictum isthic . Legas illud velim semel quavis Hebdomadâ , ut memoriâ semper recente præceptorum , in eâ digestorum , ijs in operando dirigaris . quo te juvandum confido ad rectam ineundam Deo inserviendi rationem . Pro eo quanti referre arbitror ad majus Dei obsequium , exhiberi à te Proëpiscopo summam demissionem & Obedientiam ; impero tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ , ut hâc istius indicatrice Præcepti Epistolâ visâ , coràm Proëpiscopo positis humi genibus procidas , veniamque supplex petas inobedientiarum & culparum quibus ei hactenùs

ctenùs moleſtiam faceſſiviſti . tum illi manum oſculaberis , profitens ; te juſſu meo id facere . Inde ab illo audies quid velit à te fieri , obedienterque quidquid juſſerit exequêris . Quo autem iſta tua cum Proëpiſcopo conſenſio non exigui ſit temporis ; ſed fixa firmáque ſemper duret: ſingulis deinceps Hebdomadis eum ſemel inviſes , oſculaberiſque manum ejus , demiſſionis pariter & obedientiæ ſpecimen id illi ac pignus exhibens . Cave autem hoc unquam omittas , etiamſi reluctetur natura , judicioque ac genio tuo proprio vim in eo te facere magnam oporteat . Totum enim id planè ſic debet fieri , ut confundatur malus Dæmon autor diſcordiarum & inobedientiæ . Diligenter attende ne dicendo ad populum de Sacro Pulpito perſtringas aut pungas quemquam , ne curioſas , & ſpeculationis nimis attenuatæ , aut eruditionis ambitioſæ Doctrinas oſtentes. Verùm , argutijs & farraginibus iſtiuſmodi omiſſis , argumenta ſolida graviter pertracta . Peccata in quæ paſſim multi è populo incurrunt , objurga cum magno zelo Divinæ Gloriæ , ſed cum pari ſemper modeſtiâ . Peccatores ipſos , etiam ut tales

palàm

palàm agnitos, & latêre non curantes, non tamen pro concione reprehendes : ſed privatim conventos fraternè monebis . Atque de toto hoc genere ſic habe : jucundiùs mihi fore tantulum à te fructum fieri quantulum exprimit hæc lineola ___ multeſima pars verſiculi unius , ſine tumultu ex cujuſquam offenſione nato ; quàm tam ingentem , ut ei deſignando vix ſufficiat linea totum verſûs prælongi , quàm latè patet, ſpatium exæquans, hoc modo :

---

ſi magnum illud operæpretium, inter querelas læſos ſe ferentium plurium , aut etiam unius , ſtrepitu & certaminibus extorquendum eſt . Et quia certiſſimè perſuaſus ſum præcipui hanc rem momenti eſſe ; atque adeo hinc pendere ſpem ac facultatem omnem veri profectûs animarum ad Dei Gloriam procurandi , commendo impensè tibi , ut hoc monitum altè defigas in animo, ſemperque uſu teneas; functiones omnes tuas , præſertim ſacras , adminiſtrans placidè cum amore ac blandâ ſignificatione caritatis, ſine impetu incurſuve iræ ac ſonoro conflictu obſtantium . De fructu

quem

quem per te Deus facit in istâ Civitate scribas mihi velim fusè, singillatim ac minutim, distinctè referens; quàm benè tibi cum Proëpiscopo, cum reliquis Sacerdotibus conveniat; ut tu illos observes, ut illi te vicissim ament. denique qua quantaque tua sit apud populum gratia; an ullo rumore aut querimoniâ cujusquam interpellata. Eas literas Goam mitte. Etsi enim vigesimus ab hoc dies meæ hinc profectioni constitutus est, dabo tamen in mandatis hujus Collegij Patribus, ut mihi ad Sinas, quò tendo, Epistolas tuas perferendas curent. Ibi eas videndi, & ex ijs, quæ volo nunciantibus, gaudendi cupidissimus expectabo. Res Iaponicæ valdè prosperum, Dei Beneficio, cursum tenent. Ibi remanserunt Pater Cosmus Turrianus & Ioannes Fernandez intenti excolendis ijs qui jam plurimi Christi Religionem susceperunt, quique quotidiè suscipiunt. Callent ambo linguam illius Gentis, & strenuo usu Instrumenti tam necessarij fructus longè uberrimos metunt. Navigant illùc hoc anno aliquot Fratres Nostri, adjuturi eos, & participes futuri laborum, supra quàm exprimere scribendo queam, ingentium.

tium, & ſine ullâ comparatione ſuperantium labores utcumque maximos, quos hiſce in Partibus cæteri Socij exantlant. Hæc indico tibi, ut continuè Divinam illis opem impetrare ſtudeas, quotidianis tuis Sacrificijs & perpetuis Orationibus. Quando ad hoc Goanum Collegium literas dabis, ne omittas inſerere faſciculo Epiſtolam brevem quidem, ſed omnibus infimæ tuæ venerationis & devotiſſimæ obedientiæ conteſtationibus inſignem, inſcriptam Domino Epiſcopo; in quâ etiam ei rationem reddes eorum quæ iſthic agas. Hoc enim illi debetur, tum quia Prælatus Noſter eſt, tum quia ſumma extat ipſius in nos caritas; & in omnibus quæ poteſtatis ejus ſunt impensè nobis favet. Hanc Epiſtolam tantâ libertate ſcripſi tibi, ut homini virtutis & perfectionis non vulgaris, qui moneri boni conſulat, atque adeò reprehendi utiliter malit, quàm inanibus adulatiunculis lactari, quia ſano judicio & guſtu, ſalubria diſcernit à noxiè dulcibus. Blanditias videlicet & verba ad gratiam compoſita fueram adhibiturus, ſi cum homine infirmo ac debili me agere putarem. nunc fiduciâ roboris & ſoliditatis tuæ, non dubita-

bitavi dissimulationem omnem abijcere, panderéque tibi sine ambagibus sensus intimos meos. quo nomine Deo Grates referas censeo, quòd te talem fecit, cui credam & sine condimento, non imprudenter potuerim apponere veritatem. nempe ista tibi sapientia, cujus ad gradum tam sublimem progressibus longis profecisti, facilè inspirat contemptum malè suadarum assentationum; præ quibus objurgari potiùs appetis, quàm à verentibus tuam, ut imbecilli ac teneri, offensionem, obnoxiè, nec syncerè, collaudari. Pueris hæc aut Novitijs conveniant. fortibus in Dei militiâ fecerit injuriam, qui parvulorum eos pascendos lacte, ac molli nutriciorum Indulgentiâ confovendos duxerit. non priùs, mihi credas velim, expedivi calamum ad hæc exaranda tam simpliciter ac nudè: quàm Divini Spiritûs imploratâ luce, sensi ejus impulsum incitantem ad audendum tibi scribere eo stylo quo cum perfectis, & inchoantium aut parum provectorum debilitates supergressis, agendum est. Ac quoniam per Dei Misericordiam citò in Glorià Paradisi videbimus invicem, verbum non addam, postquam te oravero;

ut

ut memor ac reputans quanto tui amore, cujus teſtem Deum habeo, has ad te literas dederim, pari tu eas ſuavitate mutui affectûs excipias; illud idem legendo ſpectans, quod ego ſcribendo intuebar, Dei Domini Noſtri majorem gloriam, & majus bonum Animæ Tuæ mihi cariſſimæ. Vale. Ex hoc Goano Collegio Sanctæ Fidei, XI. Kalendis Aprilis Anno CIↃIↃLII. Hanc Epiſtolam oſtendes Domino Proëpiſcopo.

Tuus in Chriſto Frater.

*Franciſcus.*

# EPISTOLA XV.

## P.SIMONI RODERICO SOCIETATIS IESV IN LVSITANIAM.

*Gratia & Amor* Iesv *Christi Domini Nostri adsit semper nobis auxilio & favore. Amen.*

SCripturus mox ad te fusiùs de rebus Societatis in his terris nostræ, hanc segregatam, & peculiarem paucis absolvam Epistolam, cuius argumentum idem, & Tabellarius, Andreas Carvallius erit. Hunc ego perbonum Iuvenem, valetudinis gratiâ remittendum ad vos censui. His enim ægrè vitam trahebat, & quâ ætate atque indole est, Medici sperabant Patrij Cæli haustu reparari vires ejus morbo prostratas, & in integrum posse restitui. De illo hoc peregrè rediens, concordi omnium qui hîc sunt testimonio, comperiebam; nulli eum nostrorum his in locis degentium, dotibus Naturæ, profectibus Doctrinæ ac donis Gratiæ cedere, magnam-

que

que in ejus iuventúte ſpem paſſim Maiores natu collocant, ob virtutes quas in eo poſuit Deus Dominus Noſter, quaſque per ſuam Miſericordiam augebit. Equidem ita eſſe ego quoque arbitror ut dicunt; & libenter huius ſpei Te gaudio impertio, optans tecum, vovenſque ut creſcat in mille millia hîc Frater Noſter, & Societatem expectato fructu cumulet. Oro ergo Te per Dei Domini Noſtri Amorem, atque obſequium, Cariſſime mi Frater Simon, vt Andream Carvallium eâ iſthic caritate excipias, quâ & ego & ipſe ſperavimus excipiendum eum, & recreandum à Te. Quid in hiſce Partibus novi contigerit, copiosè, ac minutè perſcribam ad vos, Deo iuvante, antequam ſolvam Cocinum verſus; quod futurum puto circiter quintumdecimum ab hinc diem. Deus Dominus Noſter nos in Paradiſi Gloriâ coniungat; nam quando in hâc vitâ congredi coràm, & amplexari mutuò poſſimus, equidem non video. Illud pro certo habe, dulciſſime Frater Simon, inſculptam animo penitùs meo me quocumque circumferre Imaginem Tui, cuius obiectu Te in ſpiritu continuè cerno. Iamque il-

lud, quo diù propè impatienter exarsi te præsentem oculis corporis spectandi, desiderium fero leviùs, illo me assiduè interiori desiderati Capitis aspectu consolante. Vale. Scribebam Goæ VI. Kal. Aprilis Anno CIↃIↃLII.

Tuus in Christo.

*Franciscus.*

## EPISTOLA XVI.

## PATRI MELCHIORI GONZALEZ SOC. IESV BAZAINVM.

*Gratia & Amor Domini Nostri* IESV *Christi adsit semper nobis auxilio & favore. Amen.*

AB homine tibi cognomine, Melchiore Gonzalez, literas tuas accepi, quas legi cum non exiguâ voluptate. Vtinam det Tibi Deus Gratiam bonum ifthic odorem Nostræ Societatis spargendi, quando tanta extat in nos offensio iftius Populi.

Per

Per ego te quantum inſervire ac gratificari Deo Domino ſtudes, oro & obteſtor quàm poſſum inſtantiſſimè, da operam efficacem conciliandis tibi ac Societati hominibus, nihil quod tuarum ſit partium, quantumvis arduum, in hoc prætermittens. Si fueris humilis & prudens, magna me ſpes tenet, te plurimum, Deo juvante, fructum relaturum. Mitto iſthuc ad Te Franciſcum Henriquez, ut Tanæ commoretur cum Manuële. Oſorius poterit remanere vobiſcum, attendendo rebus domeſticis; & Barretus Scholas literarias habendo: Te Spiritualibus Miniſterijs vacante, converſando cum omni hominum genere piè ac ſanctè, Doctrinam Chriſtianam explicando, concionando. Ac conciones quod attinet, placuit plurimùm quod ſcribis de apparatu, formâ & totâ ratione, quam in ijs tenere inſtituiſti. Inſiſtas viam iſtam cenſeo; & quàm frequentiſſimè potes te ſic exercita. Spero enim, fiduciâ non defuturi favoris Dei Domini Noſtri, Te, ſi fueris humilis, in magnum Concionatorem evaſurum. Franciſcum Lopez in hoc Collegium deſtinabis cum primâ nave quæ iſthinc ſolvet. Quæ tibi ſcri-

pto mandavi de modo isthic rem Evangelicam gerendi, fac crebrò relegas. Multa de his alia te docebit ipse usus, & experientia successuum; si fueris humilis & prudens, atque attentè circumspicias quæ occurrunt, considerans & ea comparans cum monitis & mandatis hinc acceptis. Franciscus Henriquez Tanæ, quò mittitur, tuæ gubernationi subjectus deget. Ac velim te illi pro imperio mandare, ut diligentissimè caveat à quoquam offendendo, ut se mitem & insigniter patientem in omni occasione præbeat. Aliunde porrò inquires per fidos exploratores, an justam ille aut alius è nostris, cuipiam illic offensionis ansam offerat. Id si compereris, impigrè occurre opportuno repræsentando remedio. Sic te tibi primùm ipsi, deinde alijs invigilare velim. Quod si quem nostrorum deprehenderis in peccato graviori in publicam offensionem erumpente, ac non sine ratione irritante in nos populum, hunc confestim è Societate dimitte. nam quos dimiseris ego jam nunc pro ritè dimissis habeo. Quoniam tantum confido tuæ prudentiæ, ut certum habeam, neminem à te nisi justis de causis dimittendum.

dum . Circa reditus annuos istius Collegij , curabis : ut potiùs in ædificationem Spiritualium templorum , quam sensibilium ac materiariorum impendantur . Ex hoc secundo genere sacrarum Ædium saxo aut ligno excitandarum , in eas tantum pecuniam insumes , quæ prorsùs erunt necessariæ , quarumque sine gravissimo incommodo publico , recusari constructio non possit . si quæ ornatûs tantum splendidioris aut speciei augustioris obtentu proponuntur , eas ut quibus præverti urgentiora res exigat , in commodiora differenda videri tempora , excusa . Quod ergò ex vectigali abundaverit , Pueris Indigenarum , prout tibi præcepi , in sanâ Doctrinâ & probis moribus educandis absume . Hæc enim spiritualia templa sunt quibus Deus magis honoratur ; siquidem hi Pueri quando in viros adoleverint , bonis exemplis & communicatione Doctrinæ perceptæ Instrumenta Deo erunt rerum ad ejus Gloriam & hominum salutem maximarum . Ante hos dies paucos isthuc misi Paulum Guzaratè , qui in hoc Collegio multis annis institutus est . disertus hic multùm est linguâ populari , & satis à Doctrinâ para-

tus ad tradenda Christianis Indigenis elementa Fidei. Poterit quin etiam utiliter ad populum dicere, si quod interioris illi eruditionis deest, Nostri, non ita ut ille linguâ vulgari prompti, opportunè suppleant; digerendis illi argumentis & materiâ subministrandâ concionum. Probo quod scripsisti de censu Collegij; videri tibi fideliter curandum, ut juxtâ Regis mentem tabulis ejus fundationis significatam, expendantur. Id ego quoque sic omnino volo fieri, tum quia justitiæ officium ita præscribit; tum ne offendatur populus animadvertens, quod absit, hoc negligi. Postquam tamen omnium isthic Pauperum, juxta diplomatum præscripta regiorum, abundè consultum necessitatibus fuerit, si quid supereſſet, non est dubium, quin rectè; ac Rege non invito, conferretur ad juvandos quos hîc habemus Pauperes; præsertim isthic natos, & olim utiles futuros, ut in Paulo Guzaratè nunc probatur. Quare si è vestiario Inopibus isthic è Collegij vectigali distribui quotannis solito, quædam panni volumina, usui præsentium redundarent, ea posses mittere huc ad nos (si tamen sine querelâ vel offen-

offensione cujusquam id fiat.) Habemus enim hîc Seminarium Alumnorum quibus vestiendis peropportunè advenirent. cum eo tamen, ut dixi, ut nihil quidquam subtrahatur omnino ulli egenorum Bazaïnensium, quibus primatus in usu istius regiæ gratiæ de jure competit. quocirca vide, ut plenè illic priùs cunctorum votis, ad conscientiæ nostræ exonerationem, & Dei majus obsequium, satisfiat. Hoc expleto, si nihil inde, quod huc aspergatur supereſt, nos isto subsidio, æquo scilicet animo carebimus. Tu de cætero totum te impende continuo exercitio dicendi ad concionem, audiendi Confessiones, visendi ac solandi ægrotos in Nosocomio, vinctos in carcere, ac similium operum caritatis in proximos; promptè accurrendo ad cuncta ejus generis officia, quoties te invitabunt isti propriè Curæ deditì Moderatores Sodalitij Misericordiæ. In talibus si strenuè cum Caritate & Humilitate ministraveris, nanciscêris, Deo dante, Gratiam & autoritatem apud Civitatem; & quamlibet parùm disertus sis, illâ ipsâ tamen, quantulamcumque poteris exercere, zeli & modestiæ comitatu corroboratâ

dicen-

dicendi facultate, in populo motus ingentes ciebis animorum, & fructum colliges uberrimum. Tantum vide, (quod iterùm etiam atque etiam commendo) ut arctam cum Proëpiscopo consensionem & amicitiam teneas, ut cum alijs Sacerdotibus qui isthic degunt, cum Præfecto ac Magistratibus Regijsque Ministris; denique cum universo Populo, prudenter, humaniter, demissè, benevolè te geras. Mihi credes: spes ampli succesſûs in perorando è sacro pulpitò, non est sita in exquisitione Doctrinæ, in elocutionis elegantiâ, in pompâ & specioso choragio facundiæ. Caput & compendium artis est ijs probari & placere quos alloquare, & priùs parasse claves cordium quàm aurium aditum tentes. Persuadebis quod voles, si te qui audiunt amaverint, & facilè plurimos Deo conciliabis, si à te neminem abalienaveris. Proximo Septembri, quo tempore spero me futurum Malacæ, fac illic mihi tunc occurrant plenæ ac copiosæ tuæ literæ, quibus me doceas distinctè ac minutatim de fructu tuorum ministeriorum. Scribes etiam, multò scilicet crebriùs, pro vicinià & copiâ quotidianâ hùc inde commean-

meantium, Patribus hujuſce Collegij. Deus Dominus Noſter nos conjungat in Gloriâ Paradiſi. Amen. Scribebam Goæ hodiè III. Nonas Aprilis An. CIↃIↃLII.

Tuus in Chriſto Frater.

*Franciſcus.*




S. FRAN-

# S. FRANCISCI XAVERII E SOCIETATE IESV INDIARVM APOSTOLI NOVARVM EPISTOLARVM.

## LIBER VI.

### *EPISTOLA PRIMA.*

### P. GASPARI BARZÆO SOCIETATIS IESV.

PETIS à me, mi Gaſpar, ut quoniam multus eſſe ſoleo in commendandâ humilitate, & tu ipſe intelligis quanti ea virtus pretij ac momenti ſit; etiam ejus exercendæ quandam Methodum ſuggerere ne graver. Equidem libenter in eo argumento verſor: ac

ac quoniam tuâ causâ volo plurimùm, & tibi audiens circumstrepere plausûs concionum, interdum (ut est amor solicitè anxius) vereor, ne dum te sentis placere omnibus, incipias ipse tibi non displicere; adscribam hîc quæ in mentem veniunt, idonea ni fallor, ut velut amuleti vice tibi sint, ad prævertendam vim noxiam blandi veneni arrogantiæ, per auram popularem, inter gratulationes, insidiosè ad incautos adrepentis. Ante omnia toto animo incumbe ad captandam ex ipso successu tuarum ad Populum Orationum, occasionem magis semper ac magis tui deprimendi: clarè intelligendo ac profitendo: nihil in eo tuum esse, totam laudem ad Deum, tuæ qualiscumque facultatis, & profectûs ex eâ nati te audientium, unicum Autorem, fidelissimè referendo. Quin etiam agnoscas oportet, debere te Populo fructum istum universum. Potes enim ac debes credere: Deum Dominum Nostrum motum devotione bonæ istius Plebis sitienter inhiantis, addiscendis ijs quæ ad Religionem & salutem animarum pertinent, donare tibi, quamquam eâ gratiâ non digno, artem & vires docendi eos prout opus est, &

ex

ex ipsorum voto promovendi. Ergo te nihil aliud nisi Ministrum esse alieni Beneficij, tibi nullâ ex parte imputabilis: quippe cum & tua intelligendi lux, & agendi vigor, & ipsa docilitas permotioque Auditorum, Dei utique sint munera, non tuis, sed Ecclesiæ, ac Pij Populi meritis concessa. Atque hinc causam debes ducere populi amandi, Te illi ferens obstrictissimum, quòd ejus respectu tibi Dominus Doctrinam & Eloquentiam communicet; quas si tibi usurpes, & in bonis tuis numeres, ingratus injustusque sis, à quo illæ, ac quorum gratiâ tribuantur, illiberaliter ignorans. Reputare præterea te convenit, si quid operæpretij, quod lucro imputari queat, ex tuis laboribus existet, fructum esse precum ac suffragationis Sociorum, qui varijs per orbem locis Deo militantes, Fratrum suorum alibi decertantium conatibus Divinam opem implorant; & quia caritate ac demissione summâ id faciunt, impetrant ut Deus Dominus Noster nonnunquam uti dignetur operâ Filiorum Societatis, ad suam ipsius gloriam salutemque animarum procurandam. Hæc si persuasa menti tuæ intimo assensu teneas,

neas, næ tu nunquam titillaberis quantiſvis acclamationibus ac laudibus applaudentium tuæ dictioni concionum : ſed quò altiùs extollêris, eò demiſſiùs te deprimes; certiſſimè intelligens iſtius dotis, tuo tibi periculo ad profectum aliorum creditæ, ſeveriſſimam à te olim repetendam eſſe rationem : cujus in adminiſtratione nihil propriè tuum poſſis agnoſcere, præter culpas plurimas imprudentiæ, negligentiæ, ingrati denique animi erga Deum qui largitus eſt, erga Populum in cujus utilitatem eſt data; poſtremò adverſus Matrem Tuam Societatem Iesv, cujus evictus precibus Benigniſſimus Dominus aliquo tuos labores ſucceſſu fortunat. Iuverit etiam fructum, quantuſcumque provenit, comparare cum longè uberiori, proventuro ſi non interciperetur tuo vitio. quare debes incumbere quàm maximâ poteris inſtantiâ ad exorandum Deum, ut tuæ menti cœleſtem lucem indulgeat, quâ intimè illuſtrante liquidò videas, quanta per tuos defectus ac quotidianos lapſus obſtacula opponantur Divinæ in te operanti Bonitati, prohibitæ planè aſſequi quod optat, imperfectione ac labe Inſtrumenti quod adhibet;

ideo-

ſdeoque omittentis manifeſtare ſe clariùs, & quæ ad ſuam Gloriam ſalutemque mortalium magna tuo interventu deſtinaverat, peragere. neque hos ſenſus jactare te verbis apud homines magis, quàm Deo inſpectori cordium exhibere penitùs animo conceptos velim. Erunt hi quaſi ſtimuli ſalubriter excuſſuri gloriationem vanam, quibus compunctus collectuſque in attentionem tui, adeò non diſſolvêris in ſupinam ſecuritatem, ut potiùs inſtes ipſe tibi, & ſolicitè invigiles, circumſpectans undique ne quid imprudens pecces, ne uſpiam ruens impingas, ne vel publicè agendo, vel tractando privatim, offendas apud Populum; quem, ut dixi, gratè ac reverenter intueri, tanquam cauſam indultæ tibi à Deo Gratiæ, te ſemper æquum eſt. Tibi porrò in hiſce verſanti meditandis, majorem in modum commendatum velim, ut quas Deus pro ſuâ beneficâ conſuetudine illuminandi accedentes ad ſe, tuæ menti ſatagenti quæ illi placent intellige-re, notitias infuderit, ſcriptò comprehendas ad memoriam. nam & ſic altiùs imprimuntur animo, actu ipſo & morâ conſcribendi deſigente: & ſi fortè, ut fe-

rè

rè contingit, longa dies earum Imagines hebetaverit, aut penè aboleverit, eæ relectione Commentariorum, quibus præsenti experimento consignatæ sunt, rursùs tanquam recentes admoventur sensibus animi, dum illarum Archetypa quodammodo ex Ectypis reparantur. & tunc quasi venâ iterùm repertâ metalli unde hauseris; scrutans ibidem profundiùs novas opes erues, pro fundamento utens altioris structuræ, fastigio ipso priùs detectorum. Sic enim Dei communicare sese gestiens Sapientia solo gratuitæ Misericordiæ instinctu, amat vigilantes ad se, è luce in lucem, è crepusculis per adultiora lumina provehere ad plenum meridiem, continenti augmento fulgorum. quo in genere quia solet prolixiùs favere propriæ vilitatis depressiones meditando indagantibus; ne dubites quin perseverans longanimiter in isto Sancto Exercitio humilitatis, & notitiæ intimæ defectuum tuorum, magnis inde profectibus, non perfectionis modò propriæ, sed successuum etiam ingentium in procuratione salutis alienæ cumulandus sis; & usu experturus, quod re ipsa verissimum, non omnes intelligunt; in unâ demùm syncerâ

sui despicientiâ totam spem sitam esse veri & magni fructûs ab Evangelico Præcone referendi ; fructus autem solidus & plenus non est, quem qui colligit, perit: sui pernicie alijs consulens . Quocirca per ego te, quo Deum prosequeris, amorem, per quantum debes Patri Nostro Ignatio & IESV Societati universæ (scis autem quàm multùm utrique debeas ) oro & adjuro semel, iterùm, tertiò, quantâ summâ contentione & efficaciâ valeo, insiste continuè hisce exercitijs depressionis tui . Si enim illa (quod absit) intermitteres, malè metuerem (Deus omen avertat) ne animæ tuæ jacturam patereris . prout profectò non negaveris, & fando auditos, & oculis perspectos à te multos, qui quod non essent in humilitate fundati, postquam alijs prædicaverant, reprobi facti sunt . quorum numerum ne augeas, etiam atque etiam moneo, cave . Atque horum infeliciſſima exempla nollem equidem semel cognita tuo ex animo effluerent . Retracta-sis illa & revocatiosè obijciens intimis mentis tuæ sensibus, luctuosissima simulacra Plurimorum, quorum ex ore perorantium è sacris Pulpitis Conciones, quàm quæ tibi dant operam,

ram, densiores pependerunt: qui elegantiùs disertiùs, admirabiliùs, quàm Tu, dixerunt: quorum persuasi Orationibus plures multò, quàm quot unquam ad meliorem frugem te adhortante se receperint, idola colere & peccare desierunt: quibus postquam Deus Instrumentis usus fuerat ad mortales quamplurimos, è Diaboli tyrannide ac viciniâ Tartari ad Christi Regnum Cœlique felicitatem transferendos, denique miserrimis contigit, ad æternos inferorum ignes damnatione justissimâ detrudi: quoniam sibi arroganter attribuerunt Gloriam quæ soli Deo debebatur; quoniam Mundi faventis auram & inanes plausus avidè captarunt; quoniam inflati humanis laudibus, vanâ sui opinione tumuere; unde in supercilioſum elati fastum, Cœli fulminibus in superbos intortis occurrerunt. Colligant se in modestiam, justo constricti metu, qui hæc vident. circumspiciat se quisque, & acri attentione rationes ineat consiliorum ac votorum. Si rectè calculos posuerit accepti ac redditi, non esse cur glorietur, abundare unde metuat, & quare se deprimat, intelliget. nam in toto isto negotio, quantiscumque gesto succes-

ceſſibus, Procurationis ſalutis hominum, quid tandem eſt quod imputare jure nobis ad gratulationem & decus proprium poſſimus? nihil hîc omnino noſtrum præter quos multos benè ceptis inteximus errores, infidelitates, imprudentias. Hæc noſtri peculij ſunt. nam converſiones hominum opera ſunt Dei, ſuam gaudentis oſtentare bonitatem eò mirabiliùs, quò Inſtrumentis ea efficit ineptiſſimis; nos videlicet adhibens viliſſimos & omni opprobrio digniſſimos miniſtros ad ſuam manifeſtandam Hominibus gloriam. Vide ad extremum ne tibi unquam obrepat, ut tui comparatione cum alijs Socijs minùs ſpeciosè operantibus, eos præ te contemnas, quaſi obſcuros & ad magna inutiles. At tu potiùs certâ tibi perſuaſione ſubijce: ex illuvie ac tenebris vilia Domi officia tractantium iſtorum, ſplendores tuos naſci. Hos, inquam, Fratres Tuos humiles Dei causa ſordidis miniſterijs intentos, ab eo cui devotè ſerviunt, impetrare tibi vim ac facultatem quæ te clarum efficit. quibus ideò plus longè debeas, quàm illi tibi. Tali præoccupatus ſenſu intimo, nunquam hos deſpicies, ſed penitùs amabis ac venerabe-

ris,

ris, infra ipsos te deprimens, magno tui animi profectu.

## EPISTOLA II.

## EIDEM PATRI GASPARI BARZÆO SOCIETATIS IESV.

*In Nomine Domini Nostri* IESV *Christi Amen.*

EGo Franciscus indignus Præpositus Societatis IESV per hos Indiarum Tractus, fretus tuâ, Magister Gaspar, humilitate, virtute, prudentiâ; cæterisque Dotibus quæ te satis idoneum regendis alijs efficiant, mando tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ ut Præfecturam capessas hujus Collegij Goani Sanctæ Fidei, Rectorisque nomine ac potestate illi præsis. Iubeo præterea subesse autoritati Tuæ Patres omnes ac Fratres Lusitanos Societatis IESV quicumque citra Promontorium bonæ spei hùc, & hinc usque Malacam, Moluccum, Iaponem, ubicumque harum regionum degunt. Eos quoque qui posthac è Lusitaniâ,

niâ, vel alia quavis Europæ parte in has Provincias & Domos Societatis advenerint meo regimini commissos, universos tuæ potestati subjectos volo; nisi si quem nominatim Rectorem hujus Collegij Goani destinaret Pater Noster Ignatius, quem jam per literas rogavi, expositis prolixè rationibus, cur id necesse videatur, ut mittat hùc virum aliquem in primis experientem, & cui fidat plurimùm, ad moderandum hoc Collegium, & regendos nostros omnes qui in circumsitis Stationibus aut Missionibus ex eo pendent. Si ergo quispiam è Societate cum mandato à Patre Nostro Ignatio, aut alio Præposito Generali Societatis IESV, ritè subscripto, quod exhibeat, Goam appulerit ad regimen capessendum hujus Domûs & Sedium illi contributarum, impero tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ, & hoc mandatum isti chartæ consignatum relinquo, ut tali viro statim decedas, eique gubernacula Goani Collegij, & ejus appendicum, nullâ interpositâ morâ in manus tradas, ipsum te illi subjiciens, & in omnibus obtemperans. Si quis è Lusitaniâ veniens missum ad hoc se diceret, nec tamen ostenderet literas ritè sub-

subscriptas à Patre Nostro Ignatio, aut alio pro tempore Præposito Generali Societatis IESV. hunc veto Rectorem agnoscas, aut in eum præfecturam à me tibi creditam transferas. Si tamen is idoneus ad gubernandum videretur, & tu subsidio egêres, posses illi delegare partes tuas; & committere vicariam potestatem revocabilem ad nutum; salvo semper jure tuo ac dominio superiori, cui non minùs ipse dum vice tuâ præest cæteris, quàm quivis aliorum tibi & illi parentium subjectus sit. nam Te, Magister Gaspar, planè volo, & pro potestate mihi traditâ decerno, quoad aliud Generalis Societatis statuerit, unum isti Goano, supremâ post meam autoritate, Collegio præesse, imperaréque nostris, ut dixi, omnibus per has regiones degentibus: quibus universis mando in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut obtemperent Tibi Magistro Gaspari Barzæo Goani Collegij Rectori: quò scilicet prævertantur incommoda quæ possent consequi, quæque aliàs magnâ cum perturbatione secuta meminimus. Ac si quis huic meæ maturo consilio sancitæ, ac satis cunctis declaratæ voluntati refragaretur, vel eam eludere cavil-

lando per arbitrarias interpretationes attentaret, aut se ipse Rectorem ferens, aut tibi debitum obsequium pernegans, eum ego tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ mando, ut è Societate eijcias, quantisvis alioqui egregijs dotibus fuerit præditus; potioribus enim caret: quæ sunt humilitas & obedientia. quod dixi de Vicario tibi substituendo, eò commemoravi, quò liberiùs posses excurrere Goâ interdum ad visenda Cocini, Bazaïni, & Colani Collegia, Stationemque Comorinensem. Experientia quippe me docuit; ex hujusmodi Collegiorum Sediumque lustrationibus, & magnum nostrorum in ijs degentium fructum, & ingens ad Dei Domini Nostri obsequium ac gloriam operæpretium existere. quare id factites censeo: sed tali modo ac tempore, ut Collegium Goanum quàm minimum possit capere ex tuâ absentiâ detrimentum. Hæc quæ hactenus hîc statui, ne quis fortè Nostrorum Patrum aut Fratrum leviora arbitratus, negligere aut minoris quâm opus est audeat ducere, iterùm edico tibi, ac pro potestate impero, ut si quis Sociorum obedire tibi perinde ac mihi detrectaverit, eum confestim è

Socie-

Societate amandes . nec te habeat solicitum quasi fortè aliquem istorum propter insignia Eloquentiæ , Doctrinæ , facultatisve alterius decora , desideratura deinde Societas videatur . nam istiusmodi Refractarij plùs longè damni quàm emolumenti nostro semper inferent Ordini . cui proinde qui consulunt , meritò lucra parva negligant gravissimis emenda detrimentis ; cum quibus rectè compensetur admiratio , vel etiam offensio , ac murmur populi , ejectionem Operariorum , quorum honesta species labes occultas celat , facilè improbaturi . quare nihil cunctans aut dubitans abscinde audacter à nostro corpore membra noxia ; rumorum timorumque , me autore , securus inanium . Quo de genere illud quoque pro imperio veto : ne quemquam eorum quos ego ante meum in Sinas discessum è Societate dimisero , tu iterùm in eam ullâ unquam ratione admittas . quin edices per cuncta tuæ ditioni subjecta loca , ne quisquam uspiam nostrorum quemquam istorum tecto vel hospitio Societatis excipiat . Vectigalia Collegij jam fixa , dona extraordinaria quæ interdum Rex largitur , jura omnia & nomina hujus Familiæ Goanæ quæcumque

que illi competunt liberali concessione Domini Nostri Regis, aut vices ejus Majestatis hîc gerentium Prætorum, cuncta exiges ac repetes curâ in id & attentione præcipuâ impensâ, vel per te ipsum, vel per quos ei muneri visos idoneos præfeceris. dabisque operam sedulam, ut & plenè integrèque colligantur; & fideliter expendantur in alimenta & cæteros usus necessarios Patrum ac Fratrum Societatis hanc Domum incolentium, & ex hac aliò missorum; quales nisi juventur inde necessarijs corpori subsidijs, servire negotio animarum, cujus gratiâ mittuntur, prout opus est, nequeunt. Ex annuis reditibus Domûs seponatur quantum abundat inevitabilibus expensis, in æris alieni dissolutionem. cætera insumantur in victum & cæteros usus, sed merè necessarios, Nostrorum, tum in hoc Collegio, tum in Sedibus ei annexis degentium, ac præterea Puerorum ab Indigenis in Nostram Disciplinam traditorum, & Orphanorum hujus terræ. Datum in hoc Collegio Sanctæ Fidei. VII. Idus Aprilis Anno CIↃIↃLII.

Subscripsi in Testimonium veritatis.

*Franciscus.*

EPI-

## EPISTOLA III.

### EIDEM.

POst superiùs scripta, hæc peculiariter commendanda visa sunt. Ego tibi, Magister Gaspar, Rector Collegij Sanctæ Fidei Goani, mando in virtute Sanctæ Obedientiæ; ne ex hac Insulâ Goanâ toto triennio exeas: nisi intra hoc spatium trium annorum adveniat hùc aliquis è nostris ritè missus à Generali Præposito universæ Societatis IESV, cum literis id testantibus, ut ejusdem hujus Collegij regimen capessat. Talis enim simul adfuerit, & tu ei gubernationem hujus Collegij resignaveris, solutus eris hoc meo præcepto, & novo Rectore, cui tu, ut alij, suberis, mittente, poteris liberè proficisci quò is cumque jusserit. Iterùm commendo & mando in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus qui per hos Indiarum Tractus me superiorem agnoscunt; ut ijdem obtemperent tibi, Magister Gaspar, & tuæ gubernationi subsint. Ac si quis obedire tibi renuerit, primùm ostendes illi has meas literas quibus

bus jubeo: ut quotquot mihi ſubjecti ſunt, tibi pariter, ut mihi ſi præſens adeſſem, ſe morigeros & dicto audientes exhibeant, tum ſi in contumaciâ perſtiterit, eum è Societate dimiſſum res ſibi habere jubebis ſuas. Item commendo & mando in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus & ſingulis Societatis IESV meæ poteſtati commiſſis, ut ſi quis hîc comparuerit à Noſtro Patre Ignatio aut alio Præpoſito Generali Societatis IESV Rector hujus Collegij delectus, & ritè inſtitutus, quod ex literis ab eo ſubſcriptis conſtet, hunc ſtatim univerſi Superiorem legitimum agnoſcant, eique ſe ſubijciant & obtemperent pariter ac præſenti mihi. Sin qui id facere detrectaverint, rogo & commendo eidem Rectori, niſi aliud ei Præpoſitus Generalis mandaverit, ut iſtos inobedientes, è Societate dimittat. ut certò conſtet de meâ in his decernendis plenâ & fixa voluntate, huic chartæ manu propriâ ſubſcripſi. Goæ VII. Idus Aprilis CIↃIↃLII.

*Franciſcus.*

EPI-

## EPISTOLA IV.

### EIDEM.

CVm certas facultates & Privilegia Summi Pontifices Societati IESV per Præpositos Generales communicanda conceſſerint: & Pater Noſter Ignatius diplomatum, quibus hæ conceſſiones exprimuntur, exemplis ad me miſſis, etiam poteſtatem mihi tribuerit, eos è Noſtris quos rectè uſuros iſtâ gratiâ cenſuerim, ejuſmodi Pontificiorum munerum participatione per me aut alios adſpergendi: Ego exiſtimans tum Te, Magiſter Gaſpar Rector hujus Collegij Goani, tum eos qui tibi ſubſunt, harum attributione facultatum pleniùs inſtruendos ad tantò uberiorem reportandum proventum animarum, quarum in culturâ verſamini, idcircò & eas ipſi Tibi plenè communico; & confiſus tuâ ſatis perſpectâ prudentiâ, committo inſuper eidem tibi vices meas, ut omnia iſta Pontificijs Bullâ ſignatis literis indulta nobis Privilegia omnis generis, diſpenſare ac impertiri poſſis quibus & quatenus ad Dei Domini Noſtri

stri majus obsequium expedire judicaveris. Goæ VII. Idus Aprilis CIↃIↃLII.

*Franciscus.*

## EPISTOLA V.

### EIDEM PATRI GASPARI GOANI COLLEGII RECTORI.

VT istâ quam tibi demandavi Goani hujus Collegij & Sociorum per hos tractûs gubernatione, rectè ad tui & aliorum animi fructum defungi valeas, hæc in procinctu peregrinationis longinquæ, scriptò expressa mandata relinquenda tibi censui, quæ te majorem in modum velim sæpiùs absente me legere, memoriâque præsenti semper amplecti: quod horum ductu consilioque Monitorum in omni cujusquemodi negotiorum administratione, ad eum quò unicè aspiramus Divinæ majoris Gloriæ scopum te utiliter dirigendum existimem.

Ante omnia satage ut in continuo intimæ tui depressionis sensu defixum teneas ani-

animum, juxtà ea quæ tibi aliàs poſcenti de hoc genere præcepta tradidi: quotidianâ ea Meditatione recolens, ijſque altè penetrandis inſiſtens, quoad inſculpas indelebiliter tuæ menti, tum quæ tibi ſuggeſſi, tum quæ illa ipſa commentanti tibi Deus per ſuam Miſericordiam inſpirare dignabitur. Cum Patribus, ſive qui Domi tecum vivunt, ſive qui alibi degentes tibi ſubſunt, age ſemper cum magnâ modeſtiâ, affabilitate, indulgentiâ, ſine aſperitate ullâ vel faſtu; niſi ſi qui eorum tuâ moderatione & humilitate abuterentur. Tunc enim, intuens duntaxat utilitatem ipſorum, non autem quaſi Dominium ſanciens proprium, & tuæ autoritatis contemptum ulciſcens, poteſtatis tuæ ijs modicè caſtigandis ſpecimen edes, præcisè quantum opus erit, ut & prolapſi ſubleventur emendatione neceſſariâ, & Fratrum Noſtrorum qui culpam viderunt, offenſio ſalubri coërcitionis exemplo deleatur. Quidquid à Patribus aut Fratribus contra obedientiam peccabitur, aliquâ pœnâ vindicetur: & in hoc Sacerdotum ſupra Clericos aut Laïcos nihil eximij ſors habeat. Si qui è tibi ſubjectis ſuperbè ſe tecum gerent;

rent ; & opinione sui tumidi , supercilium elatum ac frontem duram opponent tuis nutibus , eos tu viciſſim preme , plus imperioſæ ſeveritatis quàm benignæ affabilitatis ad illos adhibens . Ergò pœnas iſtis maximè pro culpis quotidianis publicas injunge : ac omni ratione provide ne debilitatem in te aliquam hi ſentiant , ſeque timeri putent ; ideóque impunè ferre cùm alia acta perperàm , tùm præſertim quæ contra Moderatorum Imperium delinquunt. nihil magis confirmat in audaciâ , provehitque ad rebellionem contumaces ſubditos, quàm experimentum infirmitatis in Præſidibus ; quos ubi animadverterint circumſpectare ac vereri , nec audere pœnas indicere , reverentiam majoribus debitam & obſequium negantibus , immane quantum inflantur , uſque ad inſolentem præfidentiam ; in quâ ſucceſſu ipſo corroborati perſeverant ; immò creſcunt ſemper , perniciosiſſimis quieti publicæ augmentis . Fac igitur omnino quod jubeo . nec te reſpectus ullus aut metus judiciorum ſermonumve teneat , quo minus quod debes exequaris. Sunt è Subditis quidam non pervicaces aut Refractarij , at debiles & oblivioſi , qui

juſſa

jussa Majorum non ullo contemptu migrant, sed interdum negligunt, ignaviâ quadam ac imprudentiâ. Hos coërce benigniùs, reprehensionum acerbitatem temperans serenitate vultûs ac frontis; ac necessariò piaculo erroris, pœnæ levis indictione defungens. E Fratribus Laïcis si quos videris suprà sortem suam arrogantiæ quadam specie efferri, da operam attentissimam ut deprimas, viliſſimis quibusque applicans usûs domestici ministerijs, tum ijsdem, quoad istâ opinione sui subnixi apparebunt, vultum semper gravem ac severum aspernabundè offerens. tumoris remedium id frigus fuerit. quo icti si se contrahent; tum sanè licebit de fastidio remittas; ipsis jam in modestiam submissis, temperato statim despectûs rigore, quasi gratulans, ut ex comparatione contrariorum è contrarijs ceptis eventuum, per se intelligant, quid expediat: interimque pernicioſum errorem deponant, quo sibi blandientes istiusmodi homines interdum credunt; se necessarios Societati esse: quam tamen superbis non egêre, ex eâ secum, quandiu plùs æquo sibi arrogant, Rectoris austeritate, si sapiunt, sentient.

Cave unquam adducaris ut in Societatem admittas homines exiguæ industriæ parvi judicij, modici captûs, infirmarum virium, nulli admodum rei benè gerendæ idoneos; aut quos suspicari possis, tædio inopiæ domesticæ potiùs quàm Deo serviendi studio, animum ad Religionem appellere. Quos tu, aut Pater Morales admiseritis, velim per te ipsum exerceas commentationibus Asceticis per mensem; neque ad id Vicario utaris aliquo è Fratribus. Toto illo tempore acri eos attentione observabis, penitùs explorans, quoad intimè pernoscas. Absolutis exercitijs occupabis illos vilibus officijs, puta curæ infirmorum in Nosocomijs publicis, ministerijs domesticis culinæ, aut id genus obsequijs humilibus. Dum meditationibus vacant exiges ab eis diligenter rationem conatûs quem adhibuerunt in rectè, juxtà præscriptam formulam, obeundis Orationibus solitis. in quo si eos ignavè ac tepidè versari certò deprehenderis, vel eos remittere unde venerant poteris, maturè Societatem exonerans: vel si spes emendationis alluxerit, amovere ad dies aliquot ab exercitio sacrarum Commentationum;

velut

velut in pœnam eos privans honore, quo se indignos præbuerunt suâ negligentiâ, ut istâ velut notâ confusi, acriùs desiderent redire in stadium cum Socijs, & pariter ac illi legitimo spatio certare.

Circa votorum nuncupationem hanc regulam tenebis. Primum edices cunctis quos ad probationem admiseris, ne ullâ se Deo promissione obstringant, nisi rebus priùs tecum communicatâ, & tuo in id assensu impetrato. idque potissimùm inculcabis in principio exercitiorum. quos satis probatos vota ritè concipere oportuerit, ij disertè polliceantur Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam. Sed priùs admoneantur; contractâ ipsos, vi Religionis istius, eò duntaxat usque obligatione stringendos, quoad in Societate perstiterint; è quâ; si (quod Deus prohibeat) propter ipsorum culpas à Rectore, aut alio qui ab eo potestatem acceperit, amandentur, soluti prorsùs mansuri sint omni vinculo ejusmodi votorum. Porrò hæc vota concipiantur te præsente, pronunciantibus qui vovent, ex formulâ scriptò à te traditâ, verba quæ hanc eorum oblationem indicant. ritûs etiam cæteros ijs, prout convenit

ante præscribes : In quibus sit : ut sacris operante Sacerdote , ac venerandum Christi Corpus ministrare parato , ipsi priùs clarâ voce pronuncient formulam votorum, tum continuò Sacrâ Eucharistiâ impertiantur . Hæc obligationis votorum ex perseverantiâ in Societate suspensio , eò magis in hisce Indiæ Partibus est necessaria, quòd minùs multa sunt hîc Cœnobia Religiosorum Ordinum alterius Instituti , ad quæ transmitti possint qui Nostrâ Religione semel ritè susceptâ , inepti ad eam deprehenduntur . Quare ut libertas abscindendi à se membra noxia , sine quâ stare Nostra Societas nequit , integra ei conservetur, omninò expedit declarare voventibus , nexum quo se implicant , nuncupandis Religionis votis , legitimâ ipsorum è Societate per ejus Præpositos dimissione resolvendum. Scribes ad Socios ubicumque horum Tractuum degentes , vetans ne quisquam uspiam ipsorum , te inconsulto , ullum in Societatem admittat , & admonens , si fecerit , irritum id fore ; quòd potestate ad id legitimâ careant . quare si qui se offerant , quos idoneos putent , perscribant ad te quibus ij dotibus ac facultatibus ad operam Divino obse-

obsequio in Societate navandam sint prædi-
ti. Responso à te accepto, quo non ab-
horrere te significes ab ijs albo Sociorum
adscribendis, tum sanè spem illis dari cer-
tam optati assequendi nihil vetet. adeoque
vel mitti ad te, si jusseris, Goam pote-
runt; vel si malueris, præcipies, ut ibi-
dem ab aliquo Nostrorum ad hoc idoneo
Asceticis commentationibus menstruo spatio
exerceantur, & sic interioribus nostræ Di-
sciplinæ probationibus admoveri incipiant;
quamquam universim conducibiliùs puta-
rem, ubi non obstiterit impedimentum
insuperabile, vocari eos ad hoc Colle-
gium. ibi enim videntur commodiùs &
certiùs explorandi. Tamen, ut dixi, rem
totam permitto arbitrio tuo; secuturi vi-
delicet in hoc & alijs, verè & unicè,
quod rectissimè ad majus Dei obsequium
credideris tendere. Omnibus per hos Tra-
ctus Præsidibus Domuum, aut Stationum
Societatis, ubi negotium procurandæ salu-
tis Animarum vel primariò à nostris geri-
tur, solis illic Ecclesias proprio Pastore
destitutas regentibus, vel ordinarijs loco-
rum Sacerdotibus subsidiariam navantibus
operam, commenda diligenter, ut singu-

lis omninò annis ad Noſtrum Beatum Patrem Ignatium accuratè ac copiosè ſcribant, exponentes ſingillatim quidquid boni Deus per ipſos efficere dignatur in ijs locis & gentibus quas excolunt. Sed caveant ſedulò ne iſti narrationi quidquam interſerant quo ullus legentium poſſit offendi. reſecent ſi quæ ſunt inemendabiliter peccata, ſine operæpretio vulganda, cognoſcenda cum ſcandalo. qualium inauſpicata mentio Lectores inutili moeſtitiæ, ſcriptores juſtæ reprehenſioni imprudentiæ ſubijciat, Indicare ſatis habeant quæ noſſe juvet, quæ memorari dignum ſit. Propagationem Regni Dei, victorias gratiæ, converſos ad Chriſti Religionem Idololatras, emerſos è cœno criminum ſceleratos. Addant ſi qua ſpes ſe oſtendat ulterioris brevi profectûs extituri. Mittant & alias eodem argumento, pari delectu compoſitas literas ad univerſos per Europam Socios, per quas ijs communicent ad Dei Gloriam & Solatium mutuum, ſucceſsûs laborum ſuorum, citrà ſugillationem ullius, querelam intempeſtivam, aut importunam enunciatione tacendorum. Eæ inſcribi poterunt partim Socijs Conimbricenſibus, totâ per ipſos

Hiſpa-

Hiſpaniâ ſpargendæ; partim Romæ degentibus, ac quoquoverſum per Europam reliquam diffuſis Patribus & Fratribus Societatis. Præterea tu privatim ad Rectorem Collegij Conimbricenſis de ſtatu ac fructu tui hujus Collegij Goani ſcribendo indicabis ea quibus illum gaviſurum cognitis arbitrabere. nec verò ad hujus judicium ſolius, ſcriptionis tuæ formam exigas. alios cogita plurimos cujuſquemodi Ordinis illud tuum ſcriptum (nam talia cupidè viſuntur & latè ſparguntur) expenſuros; quorum timere ac prævertere cenſuras, pudoris ac prudentiæ tuæ fuerit: quin & inſuper dare operam, ut non ſolùm ſine offenſione, verùm cum profectu legentium, curioſitati poſſit publicæ ſatisfieri iſtis à te digeſtis Indicarum rerum narrationibus vulgandis. Propriè Noſtrum Beatum Patrem Ignatium edoceas accuratè ſcriptis literis cenſeo, quanti, ad Dei Gloriam promovendam in his Indiæ Partibus, & profectum majorem animarum procurandum, interſit impetrari per eum iſthic à Summo Pontifice, Noſtræ per hos Tractûs Societati gratias ſpirituales, puta Indulgentias Plenarias ijs propoſitas qui ad Pœnitentiæ & Euchariſtiæ

Sacramenta ritè acceſſerint. Oporteret autem redire aliquoties per annum, feſtis ſcilicet celebrioribus, ſacri ejus lucri opportunitates populis oblatas, nec uno brevi tempore cunctis ſimul locis indici. Quoniam cum exigua hîc copia ſuppetat Sacerdotum, præſertim idoneorum cauſis conſcientiæ peritè dijudicandis, ſpatium non anguſtum dandum eſt multitudini confitentium ad explicandos ſinus omnes animi, & piacula neceſſaria explenda. Tum Patribus otium præberi convenit, quo ex Vrbe vel Pago uno ritè impertito Pontificiæ Indulgentiæ fructibus, ad alium tranſmigrent ſimili beneficio donandum. Admone autem ut curet, ſi poſſit fieri, conceſſiones iſtas gratiarum mitti hùc ritè configuratas diplomatibus ſubſcriptione legitimâ & ſigillorum appenſione firmatis, quæ ad Fidem ſuſpicioſioribus faciendam oſtendi queant. non enim in hiſce regionibus deſunt qui ægrè adducantur ad pro indubitatis admittenda Indulta ejuſmodi, niſi formulis atque indicijs undequaque certiſſimis comprobentur. Expediret etiam diſertè iſtis bullatis diplomatibus exprimi, velle Pontificem extendi ſui hujus Beneficij uſum fructumque in

omnes

omnes cujuscumque sexûs, ætatis, Ordinis, Christi Fideles, qui ultrà caput Bonæ Spei usque ad extremum Orientem Inquilini, vel Indigenæ, aut quavis ex causâ peregrinantes, diversantur. Facilius persuadebis Patri Nostro Ignatio ut in hoc elaborare non gravetur, si, quod verè potes, magnificè prædicaveris fructum Animarum, qui ex Iubilæo hùc ab illo semel antehac misso planè ingens ac stupendus extitit. Quod Iubilæum, cum isto, quod indicavi, angustiarum temporis, brevi die præscriptâ, urgeretur incommodo, si tamen tam insigniter profuit, inferes quantò plùs sperandum insignis lucri sit ex Plenarijs Indulgentijs per spatia plurium annorum in certas festorum recurrentium solemnitates aptè descriptis. Expromas in hâc causâ censeo tuam omnem persuadendi vim, nihilque reliqui tibi facias ad summum conatum evincendi, ut in eo Pater Ignatius impetrando quantum potest enitendum existimet. addens etiam me hoc ab ipso majorem in modum contendere, in Beneficij singularis parte numeraturum, si meis inflexus precibus, hisce populis tantam Cœlestium utilitatum occasionem gratificari non dedi-

dedignabitur. Scribas etiam ad Magistrum Simonem, aut Rectorem Collegij Conimbricensis, orans, ut eâdem hac de re cum Rege agant; expositoque fructu immenso qui ex ejusmodi promulgatione Indulgentiarum colligendus certò est, impetrent ab ejus Majestate, ut suis Romam Literis negotium adjuvet, aut potiùs pro suâ summâ illic autoritate, atque apud Pontificem gratiâ, conficiat; curans diplomata ejus generis Patri Ignatio consignari, quippe inscripta Societatis IESV Collegio Goano, ut Patrum illic degentium arbitratu publicentur. Hinc enim fiet, ut Populi procuratis & ministratis per eos deliniti gratijs, studio ipsos & veneratione majori amplectantur; quâ vulgo acceptiores labores ipsorum, ac sic omni passim hominum generi utiliores evadant. Poscentes Societatem, utcumque non ineptos, cave admittere festines in ætate adhuc nimis tenerâ. Prorsùs verò reijce quos ad ea pertinere hominum genera constiterit, quibus nominatim Pater Ignatius Nostri Ordinis aditum voluit semper esse obstructum; quorum, ut scis, unum est, trahentium Originem à Gente Iudeorum. attende præterea

rea ne quem admittas non egregiè dotatum facultatibus ad rem benè gerendam in aliquâ parte propriorum Instituti Nostri ministeriorum, accommodatis. Si verò funditùs rudes literarum sint, utcumque polleant ingenio, in Spirituales Operarios adsciſci planè veto. quin ubi exceptione carentium multitudo se oggereret, Tu tamen turbam vita. Paucos ex pluribus, digniſſimos è dignis excerpens selige, pro numero locorum & munerum, habitâ simul ratione casuum contingere solitorum; ut nec desint quos mittas quocumque res vocat, & morbo, aut morte deficientibus subſtituas; nec tamen abundent otioſi, aut numero Domum gravent. Promoveri ad Sacerdotium Sociorum quemquam non satis literatum, & morum innocentiâ usu plurium annorum abundè probatâ conſpicuum, haudquaquam sines; quandoquidem id Pater Ignatius tam disertè prohibuit. & si taceret ille, res ipsa loquitur: triſtisque recordatio incommodorum quæ ex hoc fonte orta graviſſima sensimus, deterrere ab eo nos satis debet. neque fucum tibi faciat spes eximiæ Religionis in idiotâ eminens; quasi eâ compensari Doctrinæ defectus queat. nam has

spes

spes eventus non rarò coarguit ; occasionibus larvam excutientibus ; & ferè ad extremum unoquoque se talem prodente qualis revera est . quare lynceum te velim in penitùs introspiciendis recessibus mentium . nec statim capi lachrymulis inter preces fusis , aut suspirijs excussis pectore quorundam dum sacra meditantur : at quoad certis experimentis perspexeris , acriter imperare ipsos pravis affectibus naturæ , iram , cupiditatem , pervicaciam semper frangere ; abhorrere vehementer ab omni captatione inanis gloriæ , certo istis judicio tribuas decus absolutæ omnibus numeris & usquequaque consummatæ Sanctitatis .

Ordo caritatis postulat , ut priùs & magis , domesticis quàm externis consulatur . Quare vide ante omnia , ut primùm erga Fratres Nostros , erga Pueros & Orphanos Indigenarum , Alumnos hujus Domùs , partes officij paterni planè omnes expleas ; animis horum & corporibus ea solicitè procurando quibus egent . Hac curâ perfunctò licebit quod supererit otij ac virium effundere ad benemerendum de alienis quoque . Hoc tibi & nomine Patris Nostri Ignatij præcipio , & ex animi mei sententiâ quàm

pos-

possum impensissimè commendo. quippe habeo persuasissimum, præcipui hoc monitum momenti esse. nec ferè tolerabiliùs errare illos, qui oculis hominum probare se, speciosâ superficie contenti, nihil pensi habent intima mentium rimantibus Dei obtutibus satisfacere, quàm qui securi querelarum domesticarum, Civitatis captant gratiam, sese perperàm arbitrantes officium expleſſe, cujus primo ac potiori capite neglecto, in posterioribus duntaxat & accessorijs totum præposterè consumpserint studium. Aberrant totâ viâ qui sic agunt. quorum in numerum ne venias, singulis te cupio diebus hujus admonitionis meæ refricare memoriam. Spissum adeo ac multiplex istius tibi commissæ Præfecturæ negotium video, ut manifestum sit, cunctas ejus partes obiri à te uno nequaquam posse. quare cum necesse sit Vicarijs te uti qui singularia multa pro te curent; duo in hoc tenere te cupio: prius, ut quos ad quidque adhibebis, peritos rei quæ committitur noveris; alterum ut sedulò ijs invigiles, rationemque subinde repetas actorum; nec si quid peccaverint inemendatos sinas. quare tibi velut in altâ speculâ locato,

to, Generalem in omnes vigiliam demu
datam puta, in quâ prout inconnivens
intentéque, oscitanter aut remissè versabe
re, ita benè aut malè subditis consule
& vel officio satisfacies, vel reum te per
ges malè administratæ potestatis. Potis
mam hujus injunctæ tibi providentiæ pa
tem ea ministeria sibi vindicant, quorum
utilitas patet latiùs. Quocirca præcipuè in
tentum esse te oportet, primùm Nostrorum
Orationibus ad Populum è sacro pulpito;
deinde auditioni Confessionum: Præterea
colloquijs eorumdem, ac conversationi cum
Externis; postremò Tractationi piorum
operum: Concionatores & formando ad
veram eius functionis ideam, & probando
ac corrigendo cum opus fuerit: Confessa
rios admonendo & erudiendo quantum ei
satis, tum prout licebit explorando, ut se
gerant: Postremò satagendo, ut Nostro
rum congressus familiares cum varijs gene
ribus hominum, frugiferè ac religiosè
obeantur, ac tum ante instruendo, tum
post examinando; quò exactè dirigantur ad
perfectionem Instituto Nostro consentaneam.
De Sociorum prædicandi causâ peregrinan
tium, aut per stationes hinc dissitas variè

spar-

sparsorum statu actisque, ut quàm frequentissimis, ijsque fidis nuncijs, fias certior impensè cura. Scribes ijs crebrò, nec perfunctoriè; sed cuncta minutìm explicans. Iubebis vicissim sæpe illos ad te copiosèque rescribere. Huic commercio sedulò attendes: per otium considerans quas accipies literas; nec nisi meditatò tuas dictans. denique, quod res est, statuens: magnam officij tui partem eâ diligentiâ contineri. Super hæc, Externos qui è locis ubi Nostri degunt venerint, curiosè de ijs interroga, ut se gerant, quâ existimatione sint, quid à Populo dici de illis audierint? Scribas ad me Malacam pleniſſimè de cunctis hujus Collegij rebus, de singulis Nostrorum ad Evangelizandum missis, ubi quisque, quâ strenuitate, quo successu elaboret. cave cursim defungaris. hære in singulis: ad infima descende. Adde quo loco sint res etiam politicæ illorum Tractuum nam & hæc nosse nostra interest. nec omittas quid aliorum quoque Professores Ordinum ad Dei Gloriam & salutem Animarum, quo eventu moliantur. Adjunge quid è Lusitaniâ recentibus nuntijs feratur. de Nostris Conimbricensibus, Roma-

manis, ubicumque per Europam degenti-
bus, quid fama memoret, quid scripta
nostrorum indicent. Quæ literæ, præser-
tim à Rege, à Magistro Simone, à Ro-
manis Amicis ac Patribus mihi inscrip-
tibi reddentur, earum, si pluribus, u
assolet, exemplis venerint, unum exem-
plar Malacam ad Patrem Franciscum Pen
zium destinabis. nam huic mandabo, u
eas ad me descriptas, non unâ viâ diriga
Sin unicum illarum exemplum acceperi
aperies & describi à fido amanuensi cur
bis. tum Archetypo retento, Apogra-
phum mittes Perezio. Hoc annis singul
exequi solicitè memento. Efficies omnin
ut Patres qui Bazaïni, Cocini, Colani,
per Oram Comorinensem, in Sancti Tho-
mæ; degunt semel quotannis ad me scri-
bant accuratè ac susè. minimè vellem hoc
ab illis aut à te negligi. Vehementer
etiam atque etiam commendo, ut tu ac
Patres omnes, morigeros vos & planè obe-
dientes Domino Episcopo præstetis: dili-
gentissiméque caveatis, ne quidquam ulli
unquam in re ipsi facessatis molestiæ; sed
contrà studeatis in cunctis, quantum maximè
potestis, inservire ac gratificari Patri tam
bene-

benevolo atque indulgenti, tot nominibus merito, ut cunctis obsequijs pietatem ipsi summam rependamus. Patribus qui extra Goam degunt, mandabis ut Dominum Episcopum scriptò identidem venerentur, brevibus literis, quæ fructum duntaxat animarum quem ex suis laboribus Deo adjuvante colligunt, nuntient. Addant eodem quidquid verè possunt in ejus Vicarijs loca illa tenentibus laudare, prolixè commendando si quid benè ad utilitatem publicam gerunt. quidquid item alij Religiosi & Sacerdotes, concionando, sacra cætera ministeria obeundo, lucris Ecclesiæ apponunt, liberaliter celebrent. Si nihil sit boni quod referant, sileant de his; nec suarum esse partium putent querelas de Proëpiscopis vel alijs Evangelicis Ministris ad Episcopum deferre. non deerunt qui deferant. quin etiam nollem si cujus alterius negotij cum Episcopo tractandi necessitas inciderit, id istiusmodi Epistolis inseri, quas ad consolandum & recreandum bonum Patrem merè comparatas velim. Ergò dum tale quid occurret, seorsum scribatur. Seriò admonebis nostros omnes meo nomine, ut multam obedientiam ubique Proëpiscopis exhi-

beant : denuncians, mihi fore moleſtiſſimum ſi audire alicunde contigerit litem ullam aut controverſiam exortam inter ullum Proëpiſcoporum & Patres Societatis qui loca illi ſubdita excolunt . Addes cupere me , diſtinctè memorare ipſos in literis quas ad me dabunt , quàm benè illis cum Proëpiſcopo conveniat . Gratiſſimum etiam mihi eſſet , efficere ipſos , ut ipſi Proëpiſcopi literis ad me ſcriptis teſtarentur, quàm benè & quanto fructu Patres Noſtri in ſuis Territorijs laborent . Hoc iterùm pro rei momento inculco , provide etiam atque etiam , oro te , atque omni ratione fatage , ut in Arcibus præſertim Luſitanorum, Noſtri qui ſtationes illic habent, conjunctiſſimè cum Proëpiſcopis vivant , nec quacumque tandem ex causâ ullam cum ijs contentionem ſuſcipiant . Ac quò plus hæc commendatio apud ipſos habeat ponderis , diſertè perſcribe ijſdem literis quibus hoc mandabis, me in Sinas ſolventem ſcriptum in hoc Collegio mandatum tibi reliquiſſe, eijciendi è Societate quoſcumque noſtrorum qui apud Proëpiſcopos offenderint , aut cum ijs ſimultates quoquomodo ſuſceperint . Ages poſt meum diſceſſum

cum

cum Domino Episcopo, ut si ei videatur, scribat de Iobelæo ad loca ubi Patres Societatis sunt, jubens illud promulgari, quò Animarum fructus ex eo qui speratur possit existere. Laxatum huic Iobelæo spatium est in totum hunc annum 1552, ut commodè valeant eo frui quotquot in Arcibus Lusitanorum variè sparsis per Indias, procul interdum ab opportunitate purgandi animum per Confessiones, degunt: quibus illa morâ poterit consuli, submittendis ex alijs in alia loca ubi opus fuerit, Nostris Patribus. Ea mihi causa fuit procurandi, ut in hunc annum universum facultas lucrandi tam insignem gratiam extenderetur. Si fortè inter Patres qui hoc anno è Lusitaniâ venient, aliqui essent facultate dicendi ad Populum plùs quàm mediocri præditi, unum ex ijs censeo Dium mittas cum Laico adjutore, mandata ei tradens quæ olim scripsi Sedem Armuzianam tenentibus. Ea sunt, ut scis, editionis quasi duplicis. nam & tibi eam primùm Stationem adeunti multa præcepi. tum ei qui tibi successit in eo munere quædam addidi. Scripti utriusque scio exempla supereſſe. Horum copiam

fac habeant si qui Dium mittentur; enixè commendans ut lectitent ac sedulò observent. Inter appulsuros è Lusitaniâ Nostros proximo navium adventu, si quem animadvertes, non illum quidem exercitatissimum in dicendo, aut à quo sperare liceat motûs ingentes Concionis; non ineruditum tamen, sed qui videatur pro & animi & corporis viribus, futurus patiens laborum, hunc navigatione quæ fit Goâ Malacam flantibus Aprili Etesijs, eò destina; ut Malacâ Iaponem petat opportunitate primâ, illic conjuncturus operam cum Cosmo Turriano. Verùm provideas oportet, ut pecuniolæ aliquantulum alicundè emendicatæ eò secum ferat, unde ipse ac Socij victitent: nam Operarijs adhuc Evangelicis illa terra laborum duntaxat, ferax est. Bonorum quæ agant, malorum quæ patiantur habent affatim, subsidiorum vitæ ac solatiorum corporis nihil fermè. quare adhibe animum ad eos utriusque generis auxilio juvandos, in eoque summo studio contendere te velim. ac præterea tuis aliorumque precibus ac Sacrificijs à Deo impetrare satage, ut esse ipsis propitius dignetur, tum illùc euntibus per tot discrimina

mina vasti & infesti maris, tum illic inter ærumnas ac pericula versantibus. Si, quos Classis è Lusitaniâ expectata nobis hoc anno Patres advehet, ij pariter omnes eloquentiâ simul & eruditione supra vulgarem excellerent modum; ita ut nullus esset eorum qui non plus facultatis ad dicendum è sacro pulpito habere videretur, quam Noster Antonius Heredia qui Cocini eo munere fungitur, volo unum ex his maturè Cocinum mittas successurum illic Herediæ, & mandatum ei à te allaturum conferendi sese in Iaponiam. Sed priusquam hoc decernas, explora diligenter ecquid omninò verisimillimum sit utiliùs istum, & uberiori quàm Herediam fructu, concionandi officium Cocini gesturum. nisi enim de hoc satis constet: ac contrà prudenter existimetur, parem duntaxat & nihilò superiorem dicendi vim huic recens advecto & Herediæ competere, nihil puto esse causæ debere cur quidquam illic mutetur. quocirca relicto ubi est Heredià, illum alium novum Concionatorem in Iaponiam mittas censeo. Simile quidpiam injungo circa Melchiorem Nunnezium qui Bazaïnensi præest Collegio, & Concionatoris ibi-

dem munus exercet . Vellem , inquam, si copiam Oratorum insignium Lusitanæ naves attulerint , unum ex ijs Successorem Nunnezio dari . talem scilicet qui & magnos animorum motus concitaturus in Populo dicendo , & domesticæ administrationi , etiam rei pecuniariæ & vectigalium, quæ Bazaïni ad alimenta Operarum Evangelicarum Societati Rex assignavit , prudentiâ & attentione par futurus videatur. Tum verò Melchior Nunnezius, Bazaïnensi procuratione liber, Etesijs Aprilis Malacam navìget , inde Iaponem petiturus. Gauderem equidem , pro eâ quam teneo notitiâ dotium Melchioris præstantium, & illâ Bazaïnensi occupatione superiorum, talem hominem expeditum illinc, substituto idoneo successore, posse transferri . Doctrina enim , quâ est insigniter excultus , illic multò esset utilior quàm Bazaïni modò est. Id porrò si fieret , moveri Herediam Cocino haud expediret ; cum alijs de causis, tum quia Iaponienses angustiæ plus uno augeri Socio non exigunt , nunc quidem. cæterùm tu omnem (quod solet dici) funem move , nihilque conatûs ac contentionis omitte , quoad efficias , ut saltem unus

hoc

hoc anno in Iaponiam, Comes illic futurus Cosmo Turriano, naviget. Cum Reverendis Patribus & Fratribus Ordinum Sancti Francisci & Sancti Dominici, tàm tu, quàm Nostri omnes Goani Collegij, veram semper amicitiam, omnibus, quod ad vos attinet, Religiosæ caritatis plenè cultam officijs, tenete: ac diligentissimè, quod in vobis est, cavete, ne ullam cuiquam illorum, quisquam vestrûm dissidij ansam præbeat. Si ab illis discordia ceperit, cujus significationes è sacro ipsis pulpito erumpant, Vos ijs respondare arbitro populo, per Deum, abstinete. dicant illi quod suus illis zelus dictaverit: Vos silendo caritatis & obedientiæ debitum explebitis. disertè quippe veto vos contentionis funem cum strepitu, quolibet prætextu, ducere. nolo, inquam, quantumvis læsi, utcumque immeritò infamati vobis videamini, verbum unquam publicè mutiatis, quo vestri doloris & sensûs injuriarum indicium capere vel minimum Auditores queant. Planè nihil tanti est, quo Populi offensio ejuscemodi ex conflictibus nasci solita pensetur. Si tamen ex impunè contra vos frequentatis declamationibus Adversantium

oriri ſcandala cum Dei offensâ conjuncta cerneretis ; incertumque, non ſine damno animorum, hærere Vulgus, dubium utri diſſentientium credat ; deferetis rem ad Dominum Epiſcopum, & eum orabitis, ut vocare ad ſe dignetur eos à quibus palàm traducimini ; ac auditis coràm vobis accuſationibus eorum, & poſt illas veſtris defenſionibus, controverſiam ſuo judicio finiat, pacemque reddat rebus, ac querelis conciones turbantibus modum ponat. quandoquidem nos, item ut Patres illi, unum cuncti pariter ſpectamus, nimirum ut Dei cultus augeatur, & Animæ ad ſalutem proficiant. Iſtâ interpoſitione autoritatis Domini Epiſcopi, ſatis (quantum veſtrarum eſt partium) præcavebitis, ne & Dei Majeſtas, & Populi ſimplicitas, ejuſmodi certaminibus offendatur. Denique conciliatam per hunc modum vos inter & memoratos Patres Gratiam, alere atque augere conabimini, viſendis interdum ijs, & omni Religioſæ caritatis officio proſequendis. Parochos hujus Civitatis, & quocumque titulo Eccleſiarum ſingularum Præſides, omni benevolentiæ ſignificatione demeremini; gratificantes ijs prolixè ſi quid poſtulent, quod

quod in manu vestrâ sit ; concionantes quoties rogabunt in templis ipsorum curæ commissis ; & in omni occasione occursuum aut congressuum sic agendo ac loquendo , ut illi vos sibi esse amicissimos planè persuasum habeant . Negotijs sæcularibus cave Te aut Socios implicari quocunque prætextu sinas . Cum hæc ad vos deferentur , respondete : vobis ab administratione Verbi Dei ac Sacramentorum , vix superesse tantum otij , quantum est necessarium Orationi & studio , quibus vos comparetis ad sacras functiones perorandi ad populum & in Pœnitentiæ Tribunali jus dicendi. non posse vos , nisi perturbato caritatis ordine , præhabere procurationi Salutis Animarum & cultûs Divini , quæstum terrenarum rerum , & curas humiles temporalium proventuum . Sic tricas ejus generis à te ac tuis cunctas excuties . ni facias ; grave tibi ac Societati damnum illaturus . nam scito eâ portâ Mundum in Religiosas Domos plerumque irrumpere , cum summâ pernicie Religiosorum ac Religionis . In congressibus eorum qui te conveniunt introspice solerter quid quisque spectet . nam sunt qui spiritualis profectûs ,

sunt

sunt qui temporalis commodi causâ no
adeunt. quin etiam satis constat reperi
non paucos, qui Confessionis Sacramentu
quæstui obtendant, nostris se Sacerdotib
in aurem admoventes, potiùs ut occultorum
rei domesticæ vulnerum ac familiaris ino
piæ, quàm peccatorum indicium afferan
Ab his etiam atque etiam ut tibi caves,
moneo. Adeoque ne in errore diù hæ
reant, maturè iftis denuncia: nec erga
tione pecuniæ, nec suffragatione favoris
humani posse te ipsis prodesse. Colloquia
porrò cum talibus breviter expedi. tam
largi verborum sunt. & si aurem inaulse
ris, multum tibi otium absument sine
operæpretio. quoniam id genus ad sensum
spiritualium detrimentorum ferè occalluit
totâ mentis attentione in desiderio corpo
reorum, quibus egent, solatiorum unicè
defixâ. Ejusmodi ergò, seu viri, seu mu
lieres, cujusque ordinis aut generis tan
dem sint, vide ut paucis abs te dimissos
procul habeas, velut fucos tuo mellificio in
festos: qui merè terrena sapientes, quem
implicare sibi potuerint, citiùs è Cœlo
detrahant, cessare à salutari animarum sub
sidio importunis de cibo corporum inter
pella-

pellationibus cogentes, quàm ipsi ejus quantolibet conatu è vilium, ubi desident, cararum cœno quodam attollantur. Hoc mandatum eò inculco instantiùs, quod summè tibi necessarium clarè perspicio. nec pensi quidquam habeas quid clàm questuri aut murmuraturi de te sint isti nundinatores humanorum è religione quæstuum, ubi tuam suæ cupiditati minùs quàm vellent morigeram ulciscì constantiam incusando conabuntur. contrà fac sentiant: nullâ te judicij eorum verecundiâ teneri, nullo respectu offensionis angi vel minimùm. nec committas ut teneritudinem in te ullam formidinemque susurrorum introspiciant. nam hoc quidem te à Mundo haud satis alienum demonstraret; quasi deliberabundum, ei-ne an Christo, cui Sacramento dixisti, placere ac probari potius censeas: quod transfugij sit instar à sacrâ militiâ, & flagitiosa defectio à proposito perfectionis irrevocabiliter sectandæ. In curâ Alumnorum Seminarij, quod constat è Filijs Indigenarum & Orphanis, summam adhibe diligentiam, ne quidquam ipsis ad victum vestitumque, ad medicamenta cum morbis tentantur, desit. Provide vel in primis soli-

solicitè ut assiduè accuratéque erudiantur, cum in Christianæ Legis Elementis, tum in Literis, pro cujusque captu. Cogita hoc spectasse illos qui hoc Collegium Regijs censibus, hoc ipsum deinde Regem sæpiùs efficaciſſimè mandasse, ut in hoc Goano Gymnasio Pueri Goanorum Civium bonis moribus & bonis artibus imbuerentur. Illi officio in te deonerato, ne ullâ in parte desis, prospice. Veteres circa hæc querelas nosti; ne te ac Societatem invidiæ simili objicias omni contentione devita. Quoties naves in Lusitaniam cursum intendent, dabis literas ad Regem, breves & accuratione peculiari scriptas, quibus ei compendiò indices fructum animarum qui & Goæ, & locis cæteris per Indiam Ministerio Sociorum legitur. Ad hoc maturè congregabis narrationes eorum quæ alibi geruntur, ex quibus decerpens præcipua, scriptum concinnabis, quod cum voluptate speres à Rege & Regni proceribus legendum. Alijs deinde literis rem hujus Collegij familiarem ejus Majestati commendabis; quantum illi desit, ut possit par esse ferendis oneribus quibus subjacet, exponens. Commemorabis quid certorum quotannis censuum col-

colligat, quid extraordinarij donativi, quando acceperit. Hoc distinctè declarari expedit, idcirco quod intelligo decernere subinde Regem, ut quædam extra ordinem provenientes pecuniæ, à Fiscalibus Goano Collegio tribuantur. in quo an Regiæ semper liberalitati fidelitas ejus Ministrorum exactè respondeat, nescio. edòctus Rex quantum acceperis, si quid minùs quàm jusserat numeratum viderit, refundi videlicet curabit. Adjunges de Patribus qui ex hoc Collegio Evangelizandi gratiâ in loca varia mittuntur, eos plerumque, ubi quò destinantur pervenerint, gravibus illic ab rerum necessariarum inopiâ difficultatibus impediri, ne rectè officio fungantur. quare suggeres, dignum videri cæterâ Religione ac munificentiâ Majestatis ejus, mitti hùc diploma ritè obsignatum quo præcipiatur, ut quibus in Arcibus Lusitanis Stationes Patrum Societatis sunt, earum ex ærario & Apothecis Regijs necessaria illis cùm alimenta, tùm cætera subsidia suggerantur. Aliud præterea diploma expediri mandet quo propriè injungatur Præfecto Malacensi, ut in Iaponiâ degentibus Patribus pecuniam è Fisco submittat, unde illic tole-

rare

rare vitam possint : quoniam ab Indigen nihil aut parùm expectari talis auxil queat , propter terræ sterilitatem , & t eâ paupertatem Incolarum . Eadem istu tria capita Vectigalium Collegij Goani curæ Patrum in Arcibus degentium , d Iaponiensis Stationis sustentandæ, comme dabis enixè proprijs literis Patri Magistro Simoni , aut Vlyssiponensis Collegij Re ctori , ut ea vivâ voce ac præsentibus offi cijs efficacissimè promoveant apud Regem. Iterùm autem moneo , ut memineris , quas, præsertim ad Regem , dabis literas ci cumspectè ac meditatò scribere . videbun tur enim & judicabuntur à plurimis. Vale.

*Franciscus.*

## EPISTOLA VI.

## EIDEM.

HÆc tibi circa duos è nostris ut me profecto exequaris , mando in virtute Sanctæ Obedientiæ . Si Antonius Gomezius toto hoc anno digressus è Diensi, ubi degit

degit, Statione fuerit, ut aliò, quocumque prætextu aut eventu se conferat, resignabis hanc primam chartam, & quod in eâ præscribo facies, exemplum ejusdem mei scripti mittens ad eundem Antonium Gomezium, Autographo penes te retento, & per inscriptas eidem tuas significans quæ jubeo in chartâ memoratâ, quam obsignatam relinquo.

Postquam naves ituræ in Lusitaniam vela in altum dederint, etiamsi eatenus Antonius Gomezius in Statione Diensi quietus permanserit, aperies Secundam chartam quam sigillo munitam hîc linquo. & hujus similiter Apograhum ad illum mittes; Archetypum verò ostendes Domino Episcopo, & eum rogabis, ut ritè testari ne gravetur, congruere per omnia cum Autographo Exemplum. cum hâc Domini Episcopi Fide, chartæ meæ Apographum Gomezio mittes. rogans simul Dominum Episcopum, ut ei deinceps tanquam sibi subdito scribat, & pro potestate imperet quò ire quidve agere ipsum velit. melius tamen esset, meo judicio, sinere ipsum hærere in Vrbe Diensi.

Si Andreas Carvallius, quem justis de cau-

causis redire in Lusitaniam jussi, datâ op
râ omiserit occurrere ad tempus; nave
que sine se siverit abire, statim eum è So
cietate dimittas jubeo. nec ullâ ratione
patiare (nam hoc ego planè veto) prom
veri ad Sacros Ordines Diaconatûs & Sa
cerdotij in Indiâ, quantumvis Domin
Episcopus proficiscereturhoc anno Coc
num. quod si idem Andreas Carvallius, con
trà quam illi mandavi, Goam veniat. ne
illum in Collegium admittas, quippe non
amplius nostrum. nam hunc, si adver
sùs præscriptum meum hoc anno huc ve
niat, jam nunc è Societate amandatum
volo. Id tu illi ritè significabis, & suas
sibi res jubebis habere. Simul Dominum
Episcopum meo nomine etiam atque etiam
orabis, ne illum Diaconatu aut Sacerdotio
initiet.

*Franciscus.*

EPI-

# EPISTOLA VII.

## PATRIBVS COLLEGII GOANI

*A Sancto Francisco in Sinas solvente obsignata relicta cum præcepto eam resignandi si Gasparem Barzæum mori, se procul agente, contingeret.*

IN Nomine Domini Nostri IESV Christi. Reputans mecum brevitatem nostræ vitæ, ac mortis cunctis hominibus certissimæ incertissimam unicuique diem & horam; ac metuens ne quam in turbationem incidat hæc Domus, si eam necesse foret eligere sibi Rectorem in locum morte subtracti Magistri Gasparis, priusquam Pater Noster Præpositus Generalis Rectorem huic Collegio præfeciſſet, existimavi mearum esse partium prævertere, quoad possum, ante meum in Sinas discessum, incommoda quæ ex tali inopinato casu nasci possent, constituendo jam nunc aliquid certi, & designando personam quæ interim dum à Româ à Præposito Societatis Generali constitutum aliud innotuerit, tùm hujus Familiæ, tùm cæterarum

Societatis Stationum à Promontorio Bonæ Spei usque ad extremum Orientem, Providentiam gerat; cuique ut Superiori Nostri omnes Sacerdotes, Clerici aut Laici obedire in omnibus debeant. Si ergò Patri Magistro Gaspari humanitùs aliquid, quale dixi, contingeret, Rector esto Domûs hujus Michaël de Morales. ac si is tempore hinc absit, accersatur statim, ut huc se conferens regiminis possessionem adeat, & jam tunc incipiant Patres & Fratres universi tàm Goæ degentes, quàm alibi, ei obtemperare tanquam vero cunctorum & legitimo Rectori. Quoad autem ille venerit, præsit vice Rectoris Pater Paulus, qui Patri Michaëli de Morales statim atque huc advenerit, regimen resignet, & illi, sicut reliqui omnes Nostri, deinceps ipse quoque subjectus sit. Ac si vel antequam gubernationem capesseret, vel post eam initam, idem ille Michaël Morales morte subtraheretur, tunc Rector esto Magister Melchior Nunnezius, quem pari jure cunctis Præpositum jam nunc constituo, & agnosci volo, si fortè Deo placeret Patrem Gasparem Barzæum & Michaëlem de Morales ad Paradisi gaudia ex hac vitâ

vitâ transferre, ante quàm Pater Noster Præpositus Generalis Societatis IESV Rectorem huic Collegio præfeciſſet. Hæc porrò ita putavi decernenda, tum ut alijs obviam eatur malis quæ inde oriri pronum eſt, tum ut vitetur neceſſitas congregandi unum in cœtum Patres omnes qui per Indias varijs & valdè inter ſe diſſitis in locis Evangelicæ Prædicationi vacant, quos ab iſtis Stationibus, & Miniſterijs quæ in ijs exercent, non puto poſſe avocari ſine gravi Animarum quas curant incommodo, & pari detrimento Divini obſequij. His de cauſis in virtute Sanctæ Obedientiæ mando & impero Patribus & Fratribus Societatis IESV per Indias degentibus, ut exequantur quod hac chartâ perſcriptum eſt. ac quoniam ita ex animi mei verâ ſententiâ poſt maturam deliberationem, ad Majorem Gloriam & obſequium Dei Domini Noſtri, ſtatuo & decerno, ut nemo qui hanc chartam viderit dubitare de meâ voluntate poſſit, ei ſubſcripſi manu propriâ, hac die VIII. Idus Aprilis An. CIↃIↃLII.

*Franciſcus.*

## EPISTOLA VIII.

### PATRI GASPARI BARZÆO RECTORI COLLEGII GOANI SOC. IESV.

DE modo ac ratione agendi sine offensione cum hominibus hæc putavi præscribenda, quæ & te observare magnoperè velim, & à cunctis Nostræ Societatis Tuæ gubernationi subjectis exigere. Mulieres, cujus eæ cumque ætatis, ordinis, gradus sint, nemo nostrorum alloquatur alibi quàm in loco publico, puta Templo; nec in Domibus visat, nisi periclitantes extremâ necessitate infirmitatis minantis mortem, ad quam eas Christianè obeundam comparare oporteat excipiendâ Confessione peccatorum. Ac ne tunc quidem conveniantur nisi viris aut consanguineis ipsarum præsentibus: vel si familiares apud eas desint, honestis è vicinià personis; nunquam autem omninò sine arbitris; ijsque idoneis ad testimonium. quare sicubi fœmina viri expers, & orba parentibus, convenienda Domi suæ sit, ne illuc ingrediatur

tur è Societate quiſquam aliter quàm adjuncto ſibi comite viro probo, & pro tali habito, cùm à cognatis & neceſſarijs Mulieris, tum à vicinis, & Vrbis aut totius Pagi incolis, quò ſuſpicionibus eatur obviam, & ſermonum materia truncetur. ac ne tali quidem circumſpectione comitatuque adeantur, niſi, ut dictum eſt, in extremis periculis graviſſimi languoris. Ergò quotieſcumque morbo haud ſontico tentatæ, prohiberi non putantur, quo minùs vel ſtatim, adnitendo paululùm, vel non ita multò poſt, foras prodeant, omnino in templis expectentur. Quin & in hoc genere cavendum ne multiplicentur, etiam ad graviter ægras, noſtrorum acceſſus ultrà quàm ſumma flagitat neceſſitas; deturque univerſim ſevera opera, reſecandis etiam (quod dicitur) ad vivum rebus, ut quàm maximè incidatur, & in rariſſimum extenuetur uſum noſtrorum hominum cum iſto ſexu commercium, lucri utique exigui, periculi maximi; quo ſpes incerta non magni plerumque ad Dei Gloriam operæpretij, ancipiti jaciendâ innocentiæ ac bonæ famæ redimitur aleâ. Itaque ne in Matribus quidem familias quæ templorum noſtro-

rùm terunt limina, licet multam oſtentent propenſionem ad bonum, erudiendis adhortandiſque, nimium vellem operæ atque otij noſtros impendere. Cauſa mihi ſic judicandi eſt, quòd inconſtantes in propoſitis, verboſæ in congreſſibus ferè ſunt fœminæ: unde ſequitur & temporis plurimùm ijs alloquendis perdi, & certi ac ſecuri fructûs colligi perparum. Quantò igitur eſt compendioſiùs cum viris earum multum eſſe, ijs informandis & ad omne decus excitandis immorari? nempe illos capaciores monſtratorum, tenaciores decretorum naturâ eſſe conſtat. cum ijs quod confeceris, fixum ſtabit: ſi quid promiſerint, præſtabunt. Illi Deo adjuncti & uxorem & familiam component totam. In ijs ergò potiſſimùm elaboretur. hos otioſiùs, diligentiùs Operarij Societatis excolant; quippe agros ubi tutiùs ſeritur, abundantiùs metitur. Magnum (mihi crede) iſta cautio rumorum, nugarum, tricarum, offenſiunculârum everriculum eſt. quare ut à cunctis tuæ curæ commiſſis inconcuſsè teneatur enitere fortiter. Si rixa exarſerit inter Conjuges, & Noſtros ijs pacificandis experiri operam ſuaſerit caritas, ejuſmodi concilia-

tio-

tionis sequestri, sic habento; longè plus momenti ad negotij successum sibi constituendum in patientiùs audiendo, diligentiùs admonendo Marito, quàm Vxore. Viros igitur adoriantur, dextréque abductos à negotio perpellant ad semel purgandum animum Confessione Generali, ad quam priùs se comparent modico secessu & meditatione aliquâ earum quæ primâ mensis Ascetici Hebdomadâ tradi solent. Tum ubi peccata vitæ totius viro exponenti Sacerdos Noster dederit operam; suaviter adducat, ut libens patiatur differri sibi absolutionem Sacramentalem in dies aliquot, quibus se sacris commentationibus ac piaculis, tum de vitâ emendandâ serijs deliberationibus exerceat. Sic affecto, & ad totum se Dei obsequio impendendum confirmato, facilè nimirum persuadebis quæ ad pacem domesticam cum uxore stabiliendam pertinent; ac mali fonte obstructo, colliquijs jurgiorum exâresçentibus, miraberis te duo capita sanasse cum uni duntaxat medicinam adhibueris. Quod si Tibi aut Nostrorum cuipiam talia tractantibus, mulier seorsum adiens, exponat: magnis se urgeri desiderijs Deo serviendi ad id, impedimentum

sibi esse ineluctabile contubernium Viri; qui pe lævi dissolutique ac morum incompo torum . habere se legitimas abrumpendi a eo convictûs causas , quas etiam se posse judici probare speret; ut res sibi suas dein ceps habere autoritate publicâ liceat. Ha & id genus alia quæ plurima ac speciosa contexere valent ac solent istæ , cavete vo moveant, ad cogitationem divortij proban dam . Omninò perseverate suadendo , u cum viris maneant. æstûs illi Religionis te neri citò in Sexu instabili langueſcent . tun & sua decreta & vestra consilia damnabunt Finge constantes fore . Tamen & Mariti periculum , & , quæ ferè nunquam his deest, offensio publica , graviora mala sunt , quàm ut ijs præponderet fructus animi devotus unius , viduitatis bonis præmaturè jam in matrimonio frui occupantis . Cæterùm in negotiationibus istiusmodi , vitate diligenter coram arbitris virum culpare ; etsi pene eum culpam residere palàm foret . Priva tim conventum blandè hortamini ad Con fessionem Generalem . in eâ , sumptâ oc casione ex ijs quæ fatebitur , eum objurga bitis , sed leniter , atque ita ut appareat, vos eo quod ipse sibi peccando intulit dam-

no

no ipsius causâ dolere, potiùs quàm uxoris de ipso querentis injurijs commoveri. nam hoc cavendum vel in primis putatote: ne vos plus Mulieri favere, impensiúsque quàm sibi consulere, Vir sentiat, aut suspicari jure possit. securim spei successûs magnam hæc ejus infligeret opinio. Ergò utcumque crimen ipsius sit, non tamen id ille unquam à vobis audiat. ubi eum ad hoc ultrò fatendum perduxeritis, tum damnare quod ipse accusat, sine invidiâ licebit. Sed & tunc detrahenda judicio acerbitas est. Sic vituperate quod factum perperàm ipse, qui peccavit dolens prodit, ut condolere, vos ipsi magis quàm succensere testificemini. Amor, benignitas, syncera caritas in reum vestra, in verbis, in vultu emineat. ubique homines humaniter curari gaudent: sed hoc magis nusquam usuvenit quàm in Indiâ. vitreum ad offensiones genus, vehementiâ resilit ac frangitur; mansuetudine ducitur ac flectitur quò velis. Precibus hîc & blanditijs quidvis impetres, minis & duritiâ nihil prorsùs. Quare, iterùm moneo, etiam atque etiam attendite, ne vobis unquam excidat, ubi vir ac mulier vobis arbitris disceptant, aut ipsi coràm,

ram , aut eorum advocati fautoresve , ut virum , utcumque culpæ affinem , fugillatis . Excipiunt cupidè voces illas & ijs incredibiliter inflantur indomitæ animæ mulierum , & semper imminentes in occasiones deprimendorum Maritorum , ubi sibi faventem quasi auram fori senserint , Religiosorum scilicet hominum , quos diremptores litium legerunt , temerè indicatis secundùm ipsas præjudicijs triumphant , eóque deinde semper licentiùs prosiliunt in querelas & criminationes conjugum suorum , cum sui ipsarum excusationibus sine fine ac modo coacervatis , rabiosâ loquacitate inculcandas stultè patulis auribus parùm prudentum Sacerdotum . Ego verò adeo non vituperandum audiente uxore virum judico , ut etiam dissimulare debere Sacerdotem arbitrer , credere se , Mulieris dissidium domesticum narrantis , defensionibus allegatis pro se , quibus persuadere nititur , nullam ejus culpæ partem imputari sibi posse . Verisimilia licet memoret & vera ; tamen expedit non excusari eam ab Interprete conciliationis ; sed serió moneri de magno quo uxor tenetur officio virum honorandi , perpetiendique mores ejus . Addant : hanc fœminis

minis impositam à Deo Legem plerumque ab ipsis violari non opinantibus, præ iræ perturbatione aut affectûs, nimiâque suæ innocentiæ fiduciâ, dum sibi plus æquo favent, & causas indignandi viris offerunt, cum eos patientiâ, demissione, obsequio delinire ac placare debuerant. quare ipsas par sit accusare se, tum quoque cum sua illas videtur absolvere conscientia: impensè autem semper incumbere in studium & exercitium æquanimitatis, tolerantiæ, obedientiæ, humilitatis, quò viris subditæ vivant, prout Christianis mulieribus scripturæ Apostolicæ præcipiunt. Sic ubi abundè purgaverint apud Viros suspiciones uxoribus favendi, caveant vicissim ne apud Mulieres offendant, jure suspecti, tanquam ipsis iniquiores, in gratiam Virorum. quare ne his quidem præ se ferant credere dum culpam à se in uxores conferunt. Sed jugum stateræ rectum sustineant, neutrorsum declinando, & aurem, quod dicitur, Reo suam servent, non condemnando quemquam nisi auditum, & comparatâ defensione cum crimine. Ita rem administrando, præterquam offensionem negotio pernicioſam alterius contendentium vitabunt; etiam ad verita-

ritatem propiùs accedent. ferè quippe in talibus uterque in culpâ est, plus quidem hic, minus alter: reipsa pars delicti sua cuique competit. ut justiùs agat qui ambos insimulet, neutrum planè absolvat; cunctanter ac circumspectè audiens admittensque quæ allegant pro se quisque. Compendiosior hæc ad scopum optatæ conciliationis via est, securiúsque occurrit querelis & sermonibus malè feriatorum. Ad extremum qui se frustrà in his laborare deprehendent omnia conatus, Partes quas adducere in concordiam desperat posse, ad Dominum Episcopum, aut ejus Vicarium remittat: idque neutrâ exacerbatâ vel à se appellatâ duriùs. pronum enim est humanæ infirmitati erumpere in querelas adversùs eos à quibus non impetratur quod æquum autumat qui petit. quare nisi mediator partim felix valdè prudens sit, patietur excidere sibi aculeos verborum, aut ambos litigantes aut alterum perstringentium, quasi parùm placabiles & æquos. unde nihil lucretur nisi odium ejus quem punxerit, & forte contemptum amborum, deprehensâ conciliatoris imprudentiâ, serò se agnoscentium in delectu arbitri errasse. ne igitur præter

oleum

oleum & operam, etiam alterius vel utriusque dissidentium gratiam perdatis; cona mini patienti exhibitione benignitatis, & prudenti honorificentiâ verborum, placatos saltem ambos vobis benevolosque dimittere. Ac in universum oro, ut collecti animo attentique adhibeatis vos in omni cum hominibus cujusquemodi congressu. Semper memores: spectaculum nos expositos Mundo huic nequam, observari assiduè intentis obtutibus exploratricis invidiæ, ac pronæ in siniſtra judicia Pravitatis, omnem ansam malè de nobis opinandi ac loquendi paratæ arripere; tum proprio instinctu, tum instigatione mali Dæmonis, irrequieti nostri ac pervigilis Adversarij; adeoque sic habetote: inter omnes imprudentiæ lapsus esse illum pernicioſum maximè, qui ultrà præsens incommodum, noxam in posterum luendam serit. Rapimur scilicet; ut nobis quidem videmur, zelo mero Divinæ Gloriæ, sed illo cursu in rectum intento ruimus; & nihil pensi habentes quid agamus aut loquamur, dum Religionis negotium urgeamus, ea committimus aut dicimus, quibus erubescendum aut dolendum postea nobis sit, sub acri sensu ex his natorum detrimentorum ingen-

ingentium; quæ cum circumspectione pr
vidisse, moderatione præcavisse debuis
mus, nunc temerè conscita in longam abu
dant inutilis ac feræ materiam pœnitenti
Suspecta in primis sit iræ prolapsio, cu
irritamenta passim obvia in occursu tot
lerum, facilè præcipitant zelo abrepto
nisi vestigium in lubrico pedetentim p
nant, & in voces aculeatas erupturienti l
guæ frænum attrahant modestæ lenitat
absque quâ fervor omnis objurgantium sin
fructu exardescit. quotus enim quisque e
qui excandescentis reprehensoris perturba
increpatione fiat melior? nunquam igitu
aliter quàm sedatè arguatis quos emendar
expedit. nec emineat ira in verbis ad c
rationem prolapsorum ex perturbatione
comparatis. alioqui exemplum mali potiu
quàm remedium objeceris. nam omnem in
cundiam vitio passim vulgares homines a
scribunt; adeo non parati credere: Dei c
ritate accendi fervorem sacrorum hominu
in peccantes impotenter stomachantium, u
certo inde teneri experimento arbitrentur
esse ipsos aliorum similes, & nihilò secius
quàm plebejas animas, vehementium affe
ctuum agi ferrique intemperijs. Cum Re-

ligio-

ligiosis aliorum Ordinum & omnis generis Sacerdotibus quavis de causâ vobiscum altercantibus, demissè vos semper obnoxiéque geretis; dantes, ex præscripto Apostoli, locum iræ ac perturbationi, si qua in ipsis appareat. Idque non solùm quando vestra vos conscientia reprehenderit: sed etiam quando clarè perspexeritis, & innocentes vos, & illos in culpâ esse. nec tunc ultionem de vos iniquè vexantibus majorem expetatis, quàm vestrum humile silentium defensionem vestri juris modestè omittens, quando eam apud aures præjudicio & irâ obseptas nequidquam allegandam intelligitis. Ac tum recipientes vos intus in arcanum mentis, commiseramini sortem eorum qui temerè ruunt, contra quàm fas & æquum fuerat, agentes: quos utique seriùs ocyùs Divina Vltio excipiet, asperior multò severiorque quàm vos aut ipsi suspicemini. Quare assiduè preces apud Deum pro ipsis fundite, condolentes infirmitati & imprudentiæ illorum; diligentissimè autem caventes, ne ullâ in re dolori vestro indulgeatis, vindictâ de ijs qualicumque præsumendâ, vel cogitationibus & votis tacitis dira ipsis imprecantibus, vel sermone ac

ver-

verbis apud obvios traducentibus iniquita-
tem eorum ; multò autem minùs factis qu
ipsis vicissim noceant . hujusmodi omni
quæ caro & sanguis , hoc est corruptæ n-
turæ pravitas , imperfectis suggerit , gravi
mi periculi , damni maximi vobis fore ,
nisi reijciatis , putatote . Planéque id ce
tum citra ullam dubitationem habeatis
Deum plurimas Gratias & insignia benefici
largè conferre solitum ijs , qui graves im-
pugnationes sine ultionis desiderio patienter
ejus causâ perferunt ; omnem impetum re-
ponendæ injuriæ , Divinæ Caritatis suavita-
te opprimentes . Tunc enim quasi obligat
se Misericordissimus Dominus sentit ad abun-
dè compensandum quod injustè auferetur ;
& tantò plùs ornandos ac bonis cumulan-
dos quos calumnia deformat , violentia spo-
liat ; nec tamen de statu mitis ac tranquil-
læ mentis indignatio deturbat ; quantò le-
centiùs infestantur . Ipsis quoque injuria
autoribus qui vobis iniquè obstant , & pi
cepta disturbant , peculiariter curabit su
tempore meritam ignominiam rependere ,
quæ omnia facere omittet , si vos ipsi par-
tem ullam ultionis attingatis , & vel infe-
stis affectibus læsæ mentis , vel querelis lin-
guâ

guâ prolatis, vel agendo quod poteſtis, ut veſtris vexatoribus ægrè ſit, vindictam per vos exequi conabimini. Si verò (quod Deus avertat) ſimultates inter vos & Religioſos alios exardeſcere contingeret: cavete ne coram Prætore vel Præfecto, aut omninò quovis Sæcularium præſente, cum illis jurgemini. Offenduntur mirum in modum viſis auditiſque talibus ſacrorum hominum eruptionibus homines Laïci. quare ſi Religioſi illi in vos fuerint è ſacro pulpito invecti, aut ſermonibus apud plebem vos infamaverint, adibitis Dominum Epiſcopum, rogabitiſque ut, ſi ei videtur, illos accerſat, & coràm utriſque causâ cognitâ, ſtatuat quod è re videbitur ad contentiones componendas, amovendamque offenſionem publicè pernicioſam. Ac dicite Domino Antiſtiti, me ipſum orare, ut facere id ille per ſe occupet, ſopiatque maturè controverſias iſtiuſmodi, ne in cognitionem Magiſtratuum Sæcularium, aut omninò, ſi poteſt præverti, in notitiam Populi veniant. Cæterùm planè veto, utcumque illi contra vos ad concionem declamaverint, viciſſim vos Apologias & defenſiones juris veſtri è ſacro pulpito exequi. Satis ſit, ut dixi, referre vos rem ad Epiſcopum, &

ab illo impetrare, ut adversarios vestros co
ram se citatos vobis præsentibus audiat, co
gnitisque ritè cunctis, quomodocumque lit
finiat, scandalaque ex ijs eruptura in exitio
sissimam populi offensionem, autoritate a
sapientiâ prævertat suâ. In quo advertat
velim: haud esse situm Societatis honorem
in strenuè propugnando coram plebe juri
nostro, causâque argumentis evincendâ apu
homines, & applausibus auditorum emeren
dis, quo loco & tempore id fieri non decet.
Dei judicio negotium totum stat. si Deu
improbet quod agimus, falsus populi favor
veram nostram apud Deum non absterget in
famiam. Illud ergò ante omnia curemus, ut
cum Deo nobis constet officij ratio, ut Deo
autore operemur, eodem approbatore non
falsò gloriemur. nunquam autem ille probe
verit, ducere nos contentionis funem cum
gravi perturbatione publicâ, qui utique suos
vult dare locum iræ, tumultûs compescere,
tranquillè vivere, cum pacem etiam odien
tibus esse pacificos. In his ut ita vos gera
tis non tantùm summoperè commendo, sed
pro imperio etiam mando ac planè jubeo, ut,
inquam, vestram ipsi causam, quantumvis
publicè lacessiti, non agatis: sed ad Domi-
num

num Episcopum confugiatis, ejusque judicio stetis, illum suppliciter orando, ne cunctetur pacem stabilire, ubi homo Inimicus discordias seminat. Tandem super omnia te ipsum commendo tibi ipsi. Fac semper recorderis te membrum Societatis IESV esse. Hæc tibi suggeret cogitatio, quid in quavis occasione conveniat te facere. Vale. Goa. XVII. Kal. Maij An. CIↃIↃLII.

*Franciscus.*

## EPISTOLA IX.

### EIDEM PATRI GASPARI BARZÆO RECTORI COLLEGII GOANI.

CIrca curam rei familiaris hujus tibi commissæ Domûs, hæc tibi seorsùm & distinctiùs putavi commendanda. Chartas & tabulas Authenticas, quibus fundus & quasi Patrimonium hujus Collegij continetur, puta diplomata Domini Nostri Regis, per quæ attribuit huic Collegio vectigalia Pagodibus erepta, donationes & assignationes cæteras literis ejus ritè consignatis expressas, & à

Prætoribus qui ante hunc fuerunt agnitas & confirmatas, ea, inquam, ſcripta omnia & monumenta Archetypa ſedulò colliges, & in unum congregata penes te habebis. In agendo cum externo Procuratore Domûs & cum Coſmo Agnezio, qui omnium ad Collegij Censûs ſpectantium & magnam poteſtatem propter autoritatem Magiſtratus, & peritiam habet plurimam, eum familiaritatis in colloquiorum frequentiâ & cæterorum diligentiâ officiorum adhibebis modum, quem Collegij rationes poſtulant. Tractabis igitur cum ijs quamdiu & quàm intimè opus fuerit ad efficaciter ſtabilienda quæ nutant & parum certi proventûs uſu deprehenduntur vectigalia Collegij. nam annuorum redituum qui olim Pagodum Sacrificulis addicti, Evangelicis Operarijs alendis attributi modò ſunt, magna pars non ſolvitur, ijs qui debent contumaciter negantibus. in aljs quoque non paucis jura minimè dubia Collegij per vim iniquam & recuſationem ſatisfaciendi fiunt irrita. quare inſta & ſatage apud iſtos, ut certi contra hæc remedij quidpiam expediatur. Mihi videbatur utile (vos expendite utrum ita ſit) intentari publicè formulâ ſolitâ minas Anathematis, impetratis ad hoc literis

à Ma-

à Magistratu Ecclesiastico, in eos omnes qui census huic Collegio debitos solvere detrectant, aut quoquomodo bona ejus detinent, in rem deducendas, nisi spatio præscripto, quæ malâ fide possident, restituerint, & suas conscientias exoneraverint, prædâ injustè quæsitâ legitimis Dominis reddendâ. Hæc tamen & ejus generis quædam in vulgus odiosa, puta cum prehendi oportet atque in carcerem condi Redemptores vectigalium negligentes in repræsentandâ pensione, per externos administrentur. sic enim fient cum minori Societatis invidiâ. Pecunia universa & totum ærarium domesticum in manu & sub clave tuâ esto. tu solus inferas, tu promas. Te dispensante, ac Ministris tradente, sumptus fiant in usus quos judicaveris verè necessarios, cùm Fratrum Nostrorum, tum Alumnorum; ac præterea Operariorum Evangelij peregrè rem Christianam curantium. Hi miseri magnis plerumque premuntur angustijs ex defectu earum rerum sine quibus tolerari vita nequit. & quod caput est absistere à ceptis præclaris compelluntur, ingenti animarum quas curabant detrimento, ubi diù frustrà expectaverint promissa subsidia, ineluctabili necessitati succumbentes. præverte-

oro te, æquâ & sapienti distributione pro ventuum Collegij: ex quibus primùm, u par est, consules domesticis, nostris & exte nis, deinde submittes ad Socios qui apud Co morini Promontorium & Insulas Maurici exttemâ inopiâ laborant, item in Moluc & in Iaponiâ degentes, unde adjuventur a victum miserum parandum; quo si careant auxilio, magna opera infecta dimittere; & spes ingentes corrumpere, gravi Regni De incommodo, cogentur. Hos nominavi qui extra Lusitanorum arces inter Indigenas vi vunt, quòd eorum durior hoc in genere sors est. Stationem qui habent in Regis præ sidijs, aut alioqui in locis ubi concursus & coloniæ frequentes Europæorum sunt, inopiâ tabescere, & à cepto juvandarum animarum cibi defectu absistere non sinentur, id quod facilè illis eveniet peregrè inter alieni generis homines, partim infestos, partim egenos, fame perituris, nisi à suis procul missum demensum accipiant. Ante omnia magnopere volo à te solicitè curari, ut æs alienum i Collegio contractum dissolvatur. nam deti neri rem alienam ab eo qui potest reddere, nefas est, ad Dei offensam & maculam animi pertinens; ac præterea justam populo præ-

bens

bens offensionis causam. quare, iterùm etiam atque etiam inculco, cave id negligas. quin omnem conatum & contentionem adhibeo, ut nulla tam justo & instanti officio mora interponatur. Hoc ut facere possis, ædificia ne inceptes nova, nec absolvas inchoata. Etsi enim anguste habitamus: tamen id quod magis urget prævertendum est. Persolutis debitis, tum sanè sensim attollere structuras, & perducere ad fastigium licebit. In universum autem vide: ut longè posterior tibi cura sit ædificiorum quæ lapide ac cæmento congeruntur, quàm Spiritualium Dei Templorum. Hi sunt Socij & Alumni tuæ fidei commissi, in quos alendos, fovendos; in primis verò ad profectum virtutis excitandos, primarium tuum evigilare studium par est. Sunt tamen (scio) ædificia quæ differri nequeunt. puta maceriæ circumdantis hortum domesticum, & obstructio aditus Ædium, si quis uspiam præter ostium patet. nam septis & firmis & nuspiam hiantibus muniri undique Religiosam Domum, disciplinæ ac famæ sic interest, ut nulla sit talis operæ legitima dilatio. talia ergo utique quocumque sumptu statim expedi. Deinceps opus habeo præmunire te adversùs teneritudinem animi aut

verecundiam negandi quandam, quâ te fortè constrictum reperies, quando te (quod non deerit) flagitabunt externi egentes multi, ut ipsis è Collegij ære largiaris, aut Redemptores vectigalium, remitti partem pensionis, allegantes multa, & obtendentes inopiam domesticam, rogabunt. nec deerunt qui ad te aures confitentibus præbentem accedentes, narrabunt angustias familiæ, suamque suam ac suorum, obsecrantes ut dones quo egent. His & ego compatior: sed emolliri talibus, ultrâ quàm fas est & Deus sinit, veto. nam ex alieno largiri, furtum est. ut ergò ista cum audies, invidiam duritiei conferrè in me possis, en tibi manus adstringo. ac conceptis verbis pro potestate impero, ut cunctis istiusmodi flagitatoribus dicas: ære alieno prægravatam Domum hanc, vix habere unde victui quotidiano Sociorum & Puerorum Seminarij suppeditet. Tamen alijs eandem oneribus urgeri, sustentandorum Patrum qui peregrè Evangelium Prædicant, Nosocomij publici instruendi, multisque similibus: quas ob causas me tibi præcepto ex obedientiâ impositio, quale sine Dei offensâ transgredi nequeas, mandasse, ne ex Collegij censibus quidquam ulli dones,

nes,

nes, quoniam quidquid inde subtrahatur de-
futurum omninò sit domesticorum necessita-
tibus, quibus explendis quantum annuorum
percipitur fructuum impar est. Cæterùm
ab hoc quæstuoso genere Pœnitentium, cibum
corporis, non animæ remedium è Confes-
sionis Sacramento captantium, plurimùm
tibi caveas, & paucis ac præcisis te quam-
primum verbis expedias, suadeo. Acrior
istis multò fortunæ, quàm conscientiæ vul-
nerum sensus est. nil nisi terrena sapiunt.
toti sunt in spe stipis eblandiendæ, quidquid
illis ad animi profectum differueris, surdis
cecineris. Te ipsum, nisi excutis, impli-
cent & avocent à potioribus. Multi Patres
Familias Lusitani postulant dari sibi agros
Collegij in feudum. An hoc sit è re Colle-
gij dubito; & vereor, si hæc exempla frequen-
tentur, ne grave aliquando huic Familiæ de-
trimentum afferant. Tu sedulò rem discu-
te: & cum Procuratore & Amicis Domûs
maturo habito consilio, statue quid circa
hoc factu optimum sit. debet aliqua hoc
Collegium, debentur & illi multa. Ergò
ut callere ad unguem te volo quorum &
quanto in ære sis: sic & sedulò exquirere,
quantum & penes quos resideat æs tuum.

utriusf-

utriusque generis tabulas diligenter confic
quamquam patiar equidem te minus solic
tum in computando quid ab alijs exigend
jus habeas, quàm in recognoscendo, & quam
primùm exolvere conando, quod jure su
alij à te repetunt. Satagas in hoc, & con
tentione summâ certes censeo. Idque ipsum
potissimùm alleges ijs qui donari sibi po
scunt: debere te, & quantocyùs dispunge
re nomina studere; quare in hoc conferre
quidquid inevitabilibus expensis tam numa
rosæ Familiæ supereſt, nec quidquam esse
inde quod possis arbitratu tuo tribuere, qui
bus benè vis & quorum inopiæ condoles
cum omnia exhauriant, ac nec sic quidem
satis habeant, alimenta, vestitus, remedia
Sociorum domesticorum & peregrinantium,
Puerorum Seminarij, ægrorum Nosocomij,
præter fabricas urgentissimæ necessitatis, &
alia non pauca. nec speciosus hìc sit obten
tus & quæsita excusatio: sed revera ita fa
cias; diù noctúque invigilans in suffurando
sumptibus quotidianarum necessitatum, quan
tum omninò potes, ad reddendum quibus
es obnoxius. Experientiâ utare censeo œco
nomiæ magistrâ, ut quod usu didiceris juvis
se, frequentes studiosè: quòd nocuisse, aut

parùm

parùm profuisse deprehenderis, vites sedulò. Acriter priùs explora quibus confidere aliquid paras. rari enim reperiuntur fideles dispensatores. Elige hos, quantum potes, è numero eorum qui tibi solent aperire confitendo conscientiam, saltem semel in mense, ac toties Sacram Eucharistiam reverenter sumunt. Cupio, ut magna pars argumenti literarum quas ad me Malacam Septembri dabis, per Franciscum illic Perezium curandas, sint capita hæc duo, Prius, quantum vobis; alterum, quantum à vobis debeatur. Addes eodem, de cætero cursu domesticarum rerum, de fructu operæ à te & alijs impensæ, ecquid & quatenus Goani cives ex concionibus, alijsque sacris ministerijs, proficiant. quid novi nuncietur è Regno, quid successerit circa negotium Pacis ac Belli, de Patribus peregrè degentibus. scribe de cunctis fusè ac distinctè, amanuensem adhibens bonæ manûs ac lectu facilis. Redemptorem vectigalium elige locupletem & honestum, Mercatorem ferè aliquem ex urbanis noti splendoris; non pauperem, ne ad lites veniendum sit. Vide annon sit compendiosius emere duos, quos Domi teneas lotores pannorum, quàm dare lineam vestem domestici usûs exter-

ternis fulloniam factitantibus, mundandam
Præterea ecquid præstet alere Fratrem è No
stris Horto domestico Præfectum, & cultu
ræ olerum peritum, quàm externo ad hu
uti artifice. nam video multum expendi in
victum & mercedem tum Hortulani, tum
Æthiopum ipsi servientium. Posset ea cura
demandari cuidam è nostris Adiutoribus,
adjunctis ei mancipijs duobus ad hoc ipsum
emptis. In his & alijs id genus exquire at
tentè quid factu sit optimum; cùm per te
investigans, tùm adhibens in consilium ex
ternos peritos talium, Deum timentes, &
huic Collegio benevolos. Alvaro Alfonso
remissi sunt ex pensione ab ipso debitâ Par
dai quingenti, tantò æquiùs exiges ab eo,
ut maturè solvat quingentos alios quos de
bet. Cave profusus ex alieno velis esse. me
mento famis & egestatis Fratrum Nostrorum
pondus diei & æstûs in Stationibus huic Domo
contributis, magno suo sudore portantium.
recordare illorum qui in Iapone, qui in
Moluccis, qui in Comorini Promontorio
graves ærumnas sine solatio perferunt. Cho
ranum mittas censeo singulis dominicis Do
minum Augustinum Sacerdotem externum,
idoneâ ei mercede constitutâ. non probo ibi
resi-

residere unum è Nostris Fratribus. ergò illum qui jam illic est, Domum revoca. Ex ijs qui Domum admittentur, dabis operam, ut tempore primæ probationis rescias, quam vitæ sectam in sæculo tenuerint, quam artem exercuerint, aut calleant. quò nimirùm intelligatur quæ pars domesticæ procurationis, quæve officia vel ministeria rectè illis mandari valeant. Michaëlem Moralem jubebis aliquoties apud Templum Episcopale ad populum dicere, admonens priùs illum & præparans, ut id tali loco prout par est faciat. & possetis, si tibi videretur, alternis id tu & ille facere, suâ cuique Hebdomade tributâ. statue circumspectis cunctis quid videatur optimum. Cave obliviscaris quod tibi mandavi de Balthasare Nunnezio. quin id quoniam magni momenti judico, Tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ mando, ut planè totum exequaris, obire illum Ascetícas exercitationes jubens; & eum ministerijs humilibus Domi, non foris, applicans. Iaponas qui hîc sunt, impensè commendatos velim habeas; & tutò ac commodè ut in Lusitaniam navigent, cures. Puto è re fore, si exerceantur à te Meditationibus Ascetícis Fratres qui ad Societatem probantur, &

ex

ex ijs isto modo intimè perspectis quos idoneos repereris retineas, quos ineptos deprehenderis, dimittas. Cave autem adducaris unquam cujusquam precibus, & quantorumvis multorum ambitu, ad quemquam in Societatem admittendum non instructum necessarijs ad eam juvandam dotibus. Chorani insularis prædij, rusticorumque ac operarum illic degentium curam per idoneos habeo quantam res exigit: non enim per te nec per quemquam nostrorum potes. dixi jam eò mittendum singulis dominicis Dominum Augustinum. Cætera item quæ opus ad hoc erunt, delectis quibus rectè fidas, administra. Franciscum Lopezium simul huc advenerit, vacare jubebis Commentationibus Asceticis, Generalem ejus Confessionem audies, ministerio Culinæ, aut id genus humilibus obsequijs, addices. Matthæo sex & triginta Pardaos quos mutuò dedit in Iaponiâ, statim ac repetet, persolves. Alvaro Alfonso præfiges solutionis non diffundendam ampliùs diem, post Pascha.

*Franciscus.*

Patres

Patres & Fratres Societatis ubicumque sint per Indiam, nec ad Regem, nec ad quemvis externum in Lusitaniam scribant, nisi missis hùc apertis literis: quæ in hoc Collegio referentur vel in fasciculum inscriptum Regi, vel in alium cui nomen præfigetur aut Patris Magistri Simonis, aut Rectoris Sancti Antonij Vlyssipone.

*Franciscus.*

## EPISTOLA X.

### EIDEM PATRI GASPARI.

HÆc quoque in ultimo procinctu longæ ac dubiæ navigationis, dum nunquam satis præmuniviſſe Te, Mi Gaspar, videor, iterans & in summam dicta colligens replico, quæ tu solicitudini præ amore nimiæ ignoscens, tam sæpè inculcari boni consule. Ante omnia tui memento, Animæ tuæ prospice. Scis enim quàm verè scriptum sit: qui sibi nequam, cui bonus? Patribus & Fratribus tibi subditis semper exhibe synceram caritatem, & amabilem modestiam,

ſtiam, aſperitatem & rigorem amove; ni
ſi quos ſenſeris benignitate abuti tuâ. H
ad profectum duntaxat ipſorum, non ad
tionem tuam, ſeveritatis aculeum qnend
exere; præſertim ſi opinione ſui in ſup
biam tumêre videantur: quorum faſtu
comprimi & ipſorum & publicè iuter
alioqui per ignorantiam aut fragilitatem
rantibus, cum fructu eorum & ſine det
to Diſciplinæ interdum ignoveris. Arro
gantibus indulgentia venenum eſt; mirabi
liter inſoleſcunt & omnia perturbant, ſi Re
ctorem languidum & obſtare metuentem
invenerint. Multitudo admiſſorum ſine de
lectu, non ſubſidium Societati, ſed impe
dimentum eſt. Pauci, ſed ſtrenui, ſed do
tibus animi & corporis præditi maximis, in
ſtar innumerabilium illi ſunt. Tu vide ne
gravare ipſam turbâ malis, quam vero robo
re ſupplementi lectiſſimi firmare. Admi
ſos in verâ ſui abnegatione, mortificatione
intimâ pravorum affectuum, indeſinenter
exerce: Admove quin etiam miniſteriis
humilibus externis, mendicandi oſtiatim
pro Pauperibus, inſerviendi decumbenti
bus in Noſocomio publico, & quæ ſunt ejus
generis uulgò probata, geſtu aut veſte inſa

niæ

niæ ſpeciem habentibus, ſpectaculum eos multitudini præbere, me autore ne juſſeris. Talia enim & multis qui vident admirationem offenſioni affinem, & ipſis qui ſe ſic ludibrio propinaverint, gloriolæ titillationem, quaſi heroicum quippiam fecerint, non rarò commovent. Illud ſanè utilitatis compertæ frequentare ipſos cura. Fateri coràm Fratribus quæ in demandato ipſis officio peccaverint: pœnaſque eo nomine injunctas luere. His ſalubriter demittitur animus, acuitur induſtria. Cuncta porrò iſta ex ante ſumptâ cujuſque ſtatûs ac virium notitiâ adminiſtranda ſunt. non enim æquè omnibus apta ſunt omnia. quo quis juvabitur, idem alteri nocuerit. Prudentiæ moderatoris eſt cuique conſentanea præſcribere. Initiari Sacerdotio neminem Sociorum ſinas niſi ſcientiâ egregiè ornatum, & virtute multis annis probatâ inſignem. Sine hac obſervatione promoti, nunquam Inſtituto Societatis, expectationi hominum, ſatisfacient. utinam minùs multa extarent experimenta incommodorum ex hujus ortorum neglectu cautionis. Et externis & noſtris vacare juvandis debes, ſed cum idoneo diſcrimine: nempe ut memineris te domeſticis debita reddere

alienis, gratuita largiri. Ordo autem rectus est, priùs justitiæ satisfacere, deinde in liberalitatem effluere. Nostrorum à te rationem Deus exiget, quos commisit tibi. Alienis quod beneficeris, auctarium officij est: tunc solùm ad laudem pertinens, si à plane perfuncto curâ necessariâ supererogetur; flagitium est neglecto principali, diligentiam in accessario consumere. ut qui turpis intùs, superficie honestâ probari hominibus satis habet, iram in se Dei concitat: sic qui Domi deses, in Civitate se strenuum ostentat, ambitione ruens præposterâ, quò currit effusiùs, hoc errat largiùs. Id metuens primò quod priùs, secundò quod secundarium, cura. Modus juvandi proximos, quò universalior, hoc melior. Itaque concionari, Christianæ Religionis elementa palàm tradere, in Sacro Tribunali aures dare confitentibus, officia tibi sunto potissima. In Confessione introspice solerter quo quique animo ad te veniant. nam sunt qui quæstum fuco Religionis exerceant; sub obtentu quærendi animorum remedia, corporum alimenta nundinantes. ferè comperi hoc genus hominum hebetissimum ad sensum spiritualium malorum. effundas in ventos quæ

de

de animi cultu, & spe vitæ sempiternæ talibus dixeris. obnixi hærent terræ, quam solam sapiunt. Tu hos citò dimitte. nec te angat quod de te quiritentur; aut speres occurrere vos invicem posse, cum altrinsecus in diversa nitamini. de Mundo illi, tu de Christi Regno es. Pudeat Christi militem vereri susurros vulgi profani, & ullo respectu tangi iudicij eorum qui terrena Cœlestibus præhabent. Deum sequere cui Sacramento dixist.; securus quid contra te murmurent alienarum homines Partium. Immò solicitus ne quam in te illi suarum obtrectationum formidinem observent; erectâ fronte præ te fer; eorum te, ut non curas laudes, ita & vituperia contemnere.

## EPISTOLA XI.

### EIDEM PATRI MAGISTRO GASPARI BARZÆO RECTORI COLLEGII GOANI SOCIETATIS IESV.

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri adsit semper nobis auxilio & favore. Amen.*

EX quo perveni Cocinum multas accepi literas Colano, & è Promontorio Comorinensi. nulla non earum nunciat gravia incommoda ex defectu subsidiorum necessariorum & corporibus & animis, quibus Nostri conflictantur qui locis illis Religionem procurant. Ex Orâ Comorinensi scribitur, diem illic obijsse Patrē Paulum, virum magnæ perfectionis ac virtutis. Supereſſe solùm Patrem Henriquem Henriquez, nec alium reperiri è noſtrâ Societate Sacerdotem in toto illo tractu. quare is enixè petit, ut sibi Socius mittatur, à quo juvari queat in administratione Sacramentorum, cui pro numero Christianorum & distantiâ locorum defungen-

gendæ quantum sit satis, haud unus ipse potest par esse. Vide an ifthinc possis extricare Patrem Antonium Vazium, & cum eo Fratrem Antonium Diazium, quos transactâ hyeme in Oram Comorinensem destinares tantâ tam miserè Operariorum inopiâ laborantem. Sin tibi vel minùs ad hoc aptus, vel magis ubi est necessarius videretur Antonius Vazius, cogita de Francisco Lopez, quem nuper Bazaïnum miseram. Equidem, quod nunc succurrit animo, alterum horum magnoperè gauderem in Comorinum mitti cum Antonio Diazio, vel alio adjutore probatissimæ virtutis, quem tutò possis ad talem eunti Provinciam Sacerdoti comitem adjungere. Per quantum Deum amas, oro te, adhibe omnem in hoc negotio curam. res enim est momenti non vulgaris. Pater Nicolaus multis difficultatibus urgetur Colani, & magnâ premitur inopiâ, non habens unde alat quinquaginta convictores ex Indigenarum Pueris, & duos tresve insuper Filios Lusitanorum. cum præsertim ad eum curandi subinde Alumni transmittantur, quotquot per Oram Comorinensem in morbum incidunt: & illud Colanense Collegium per sanè tenuiter instructum sit à censu annuo.

quare Pater Nicolaus suo jure postulat aliquod præsens subsidium è regijs pensionibus olim debitis Collegio, nec suo tempore solutis, nam illæ vix unquam integræ annis propriis penduntur. Age, oro te, cum Domino Prætore, ut quoniam id quod Rex illi Domui constituit, plenè numeratum non est, residuum nunc istud decursorum fructuum ei, tempore tam necessario, repræsentetur, ac, si ei videatur, mandatum regium expediat Præfecto Colanensi, statim Collegio suppeditandi saltem centum Pardaos, quibus ruinæ Domûs illius miseræ utcumque in præsens sustententur. Per Dei Domini Nostri Amorem te obsecro, da efficacem operam ut primâ post hyemem tempestivitate navigandi, solvat Comorinum versùs unus Societatis Sacerdos cum Laïco Adjutore, juxtà priùs dicta, qui Colano transeuntes, vi diplomatis regij quod ferent, memoratam pecuniæ summam à Præfecto receptam Patri Nicolao tradant. Ini summam eorum quæ à Rege Goano Collegio debentur; & satage apud Ministros Regios, maximè Prætorem, ut literæ ac diplomata expediantur quæ ad solutionem integram eorum efficaciter urgendam videantur suffectura. Idem simul age pro Domo Armuzianâ & Bazaïnensi Collegio. Ac vide ne molliter

ter aut obnoxiè negotia hæc tractes. fortiter, ac penè præfractè, transigi debent res istiusmodi. dura nimirum est tota ista natio Quæstorum, Publicanorum, quocumque nomine Pecuniam regiam dispensantium. quantumlibet æquas, si lenes & verecundæ sint, postulationes eludunt; nec nisi quod extorquetur laxant. non prece, sed propè dixerim, convicio conveniendi sunt: nec facilè moræ indulgendæ, quarum illi & prætextûs poscendarum, & artes in infinitum extrahendarum, callere se quæstuosissimas, gloriari etiam inter suos solent. quare ubi modestè agere prævaricari est, importunè improbéque flagitetur; ac quoad expugnetur ut verba in effectum præsentem transeant, ne recusaveris etiam ad jurgium & discidium usque descendere. Aliter vix unquam vitabitur quin quæ Rex piè decrevit in usus Religionis necessarios de suo impendi, per ejus Ministros avarè & nefariè intervertantur, perniciosissimo & irreparabili rei Ecclesiasticæ & salutis Animarum detrimento. Ergò quamcumque honestam puta rerum tam insignis momenti expediendarum rationem. Æs alienum istius Domûs ut quamprimum dissolvas omni contentione satage. Ac vel-

lem Elenchum Summamque exactam debitorum Collegij Goani literis ijs insereres quas ad me Septembri proximo per naves tunc soluturas Malacam destinabis. quin cuperem te quoties ad me scribes, commemorare quantum à vobis, quantum vobis debeatur. utrumque simul nosse juverit, & crediti debitique comparare rationes. Cum census debiti Collegio à Redemptoribus aut quibuscumque debentibus recipientur, cave stultâ & injustâ Misericordiâ ijs indulgeas, ut partem subtrahant, quod annis præteritis evenisse non semel scimus, flagitiosissimâ negligentiâ; ex quâ scilicet consecutum est, ut in Promontorio Comorinensi, Colani, & Cocini multa pia opera, ad magnum fructum animarum instituta, & si continuarentur profectura, omitterentur, defectu subsidij Goâ illic expectati: quòd propter istas intempestivas remissiones exigentium vectigalia Collegij Goani, ex quo illæ aliæ Sedes pendent, suppeditari nequiret. Quocirca tum tu per te invigila, tum omni ratione cura, ut Procurator Collegij minimè dissolutè se gerat in repetendis integrè debitis; damno suæ conscientiæ Divinique obsequij, avaritiæ hominum gratificans. Pa-

tri

tri Antonio Herediæ necessariò subveniendum est. Hyeme transactâ, quæ prima se dederit occasio, fac ei Cocinum rectè cures subsidium ducentorum quinquaginta vel trecentorum Pardaorum. Eâ summâ præsenti summè indiget ad perficiendum ædium septum, & quædam alia urgentissimæ necessitatis, ac sine quibus familia illic teneri nequit, aut omninò habitari, absolvenda. Miserrimè quippe hactenus, atque adeo intolerabiliter incommodè, diversantur nostri externique domestici. ne verò hæc legens atbitreris me, dum Colanensi Collegio consulo, Goani angustiarum oblitum. memini, ne dubita, & sciens recolo. sed comparatis omnibus tamen judico, planè oportere extremè laborantibus succurri Fratribus. Idcircò numerum pecuniæ in expressam à me contraxi summam, quâ illi longè majore indigerent. sed contemperanda invicem incommoda sunt. Tu quod ex æquo & bono poteris, consultrice adhibitâ prudenti caritate, primùm tuis isthic convictoribus, tam Lusitanis quam Indigenis necessaria provide, deinde curam in Cocinenses, Colanenses, Comorinenses extende. Subducas ad exactum velim quantum Alvarus Alfonsus

sus isti Collegio debeat. Vide etiam quantum illi remiserint annis retrò elapsis præposterè benigni Collectores vectigalium Collegij, quàm tutâ conscientiâ, ipsi viderint. æstuarem equidem si repetendam à me crederem, ut certò ab illis repetetur, rationem istius inconsultæ indulgentiæ, ex quâ contigit incredibiliter destitui ope ad promovendum Dei Regnum necessariâ in Orâ Comorinensi, Colani & Cocini, Operarios Evangelicos. Igitur effice, ut quantum omninò debet persolvat in solidum, sic habiturus unde tuæ primùm isti Domui, tum ejus appendicibus quas modò nomina vi Stationibus consulas. Quàm ad rem Divini obsequij necessarium sit temporalia non negligere, habes exemplum in hoc meo itinere tanti ad Dei Gloriam momenti, quod quomodo suscipere potuissem, nisi tu diligentem operam navasses in colligendâ Armuziensi Eleemosynâ, quæ mihi hoc in cursu puppim & proram facit? quid foret si tu in hoc cessasses? nempe cogebamur omittere omnia; & tantam occasionem propagandi Dei Regni nequidquam oblatam præterlabi sinere? at quando redituram? sed hæc hactenus. Si è Lusitaniâ Patres hoc anno aliqui

qui isthuc appellant, memento, conatu omni ad perrumpenda obstacula adhibito, efficere, ut eorum saltem unus anno proximo in Iaponiam naviget, futurus ibi Socius Patris Cosmi Turriani: prout eâ de re tibi reliqui scriptum mandatum; cujus modò refrico memoriam. Ei Patri adjungas velim Laïcum Adjutorem è Societate Comitem; & cures ut satis copioso uterque viatico instruatur. Oportet enim post viæ sumptûs, supersesse ipsis unde victum comparent in Iaponiâ, terrâ laborum & spiritualium fructuum nobis feraci; pecuniæ ac commeatuum sterili. Atque hoc totum, fac, si me amas, ut tibi etiam atque etiam cordi sit. nam majorem in modum cupio, quia id expedire in primis judico, adjungi quam primum Cosmo Turriano alium è Societate Sacerdotem. Ac si nos ista quam indicavi spes è Lusitaniâ deficeret, nemine ad id apto Patre Nostro in navibus proximè appulsuris veniente, vide, obsecro te, ecquid ratione aliâ confici negotium hoc posset. uti si se tibi offerret ad ineundam Societatem, aliquis vel jam Sacerdos, vel aptus ad Sacerdotium, quo eum initiari facilè curares, quem satis, contracto pro temporis angustijs

tyro-

tyrocinio, probatum, tibi videreris posse illuc destinare. Tali, si quem repereris, aut alteri ex priùs indicatis, ne copia transmittendi Malacâ in Iaponem desit; ego in transitu providebo, rogans Præfectum Malacensem, ut si Aprili proximo quisquam è Societate Iaponem cogitans Goâ solveret, ei ne gravetur commodare favorem suum ad istum trajectum. In deliberatione de ijs admittendis qui Societati dare nomen cupiunt, diligenter inspice: quibus illi animi & corporis sint prædiri dotibus. nec committas unquam, ut personis Domi & foris inutilibus Societatem oneres. Quos verò jam ad experimenta recepisti, eos si explorans attentè deprehenderis, vel animi virtute vel ingenio, vel valetudine destitui quantis esset opus, ut ex ijs sperare auxilium aliquod Societas posset, maturè ad suos remitte. Qui à te isthic exercentur domesticis ministerijs ejusmodi quæ tractationem cum externis, & liberam ultrò citróque commeationem requirunt, puta Obsonatoris, Dispensatoris, & similibus, in eos acriter invigila, omni curâ explorans, tum quæ de se exempla præbeant, sobrietatis, continentiæ, modestiæ; tum quâ fide res pecuniasque creditas tra-

ctent,

ctent, expeditas ne semper & liquidas rationes referant accepti & expensi. non enim, scilicet te fugit, quam lubrica istiusmodi negotiorum procuratio sit, quamque imprudenter committatur hominibus non subnixis eximiâ temperantiâ, fidelitate, sanctimoniâ, quæ & tutos illos, & nos securos præstent ab omni periculo lapsûs eorum, summo dedecori Societatis, & gravi offensiovi Proximorum inseparabiliter conjuncto. Melchiorem Nunnezium & Laïcum Adjutorem, qui cum Melchiore Gonzalez Bazaïno isthuc venit, cura diù multúmque exercitari humilibus ministerijs usûs domestici, videlicet coquinæ, alijsque id genus, nec eos prodire Domo sinas. Ac si inter istas probationes animadverteris, haud esse hos ad Institutum Societatis accommodatos, dimitte illos, & suas sibi res habere jube. Franciscus Lopez ubi Bazaïno redierit, Asceticis commentationibus per otium exercendus est. Ad hæc infimis servitij familiaris officijs terendus. Ac vide ut in horum trium emendationem atque in spiritu profectum curâ vigiliaque peculiari immineas. non hoc de nihilo præcipio: causam utique habens verendi, ut tales sint, quales cuperem, & ad Dei Gloriam perfectio-

ctionemque ipsorum expediret. Sed & in cunctos quoque cæteros exactâ ad cujusque statum mensurâ solicitudinis excuba, intentus semper ad eos præmuniendos, excitandos, promovendos. Quando, prout mandavi superiùs, Sacerdotem Societatis cum Laïco Adjutore mittes in Promontorium Comorini, dabis ijs illuc deferendum alterum è duobus quos vobis reliqui, Calicibus sacris. Causa sic jubendi mihi est, quod memini ante hos annos aliquot, quendam Comorinensis tractûs Christianum misisse Goam pecuniam ex quâ Sacer Calix compararetur. Eam pecuniam Collegij curatores tunc acceptam in domesticos usûs expenderunt. Calicem hactenus non miserunt. mittatur ergò jam, & nomen istud expungatur. Alium ex relictis Calicem dare poteris anno sequenti Patri profecturo in Iaponiam. Ibi enim unicus tantùm est Calix. Quando ad me scribes Malacam, cave operæ parcas aut chartæ, neve defungi compendio festines. fusè ac singillatim cuncta exequere. magnam enim constituo spem peculiaris mei gaudij ex istarum percipiendi lectione literarum: quæ scilicet indicabunt quæ maximè volo de cunctis meis Fratribus, quique in isto Collegio,

legio, quique in circumsitis Stationibus Deo militant. utere autem Amanuensi qui benè literas formet, & cujus scriptura facilè legatur. inscribes fasciculum Francisco Perezio Malacæ. Porrò fac omninò ut Mense Septembri literas istas ad me destines, nave tunc solturâ Bandam versùs. Franciscus enim Perezius diligenter curabit, ut ad me in Sinas perferantur. Scribes ad Cyprianum Nostrum Meliaporæ degentem in urbe Sancti Thomæ, ut vivat concorditer cum omnibus, maximè autem cum Proëpiscopo & cunctis illis Sacerdotibus. Atque huic homini sine fuco & ambagibus loquaris censeo, clarè denuncians: tibi à me scriptò relictum in mandatis, ut eos qui se non præbuerint morigeros Rectori Collegij istius, è Societate dimitteres. consequenter indica: te nullo cujusquam respectu prohiberi posse ab exequendo quod tam graviter imperatum sit. Hoc illi profitere *ad terrorem*, quò sibi nimirum ille caveat, & ad se quoque pertingere vim minarum istiusmodi sentiat. Stephanus Ludovicus Borrallius, in sacris Ordinibus progressus usque ad Diaconatum, iturus isthuc est. Hunc ego Iuvenem amo plurimùm; quoniam de Dei favo-

favore spero fore illum Religiosum bonum, quidquid meo nomine petet à te, ipsi gratificare, alloquendo pro eo quoties volet & opus erit, Dominum Episcopum. nec sola spes quam dixi me illi conciliat; sed grati animi officium præterea me urget ad conatum rependendorum illi beneficiorum, quibus me sibi plurimis obstrinxit, inserviens semper in omnibus & benignè adjuvans; quoties ejus opem imploravi. Hoc meum debitum gratiæ illi referendæ in te nunc transfero, quo in exolvendo, cave cesses aut langueas. Deus Dominus Noster faciat te Sanctum & Beatum. Vale. Cocino VIII. Kal. Majas AN. CIↃIↃLII.

Pater Antonius Heredia habet hîc librum sibi utilem, sed mihi magis necessarium illic quò propero, futurum. Constantinus ei libro nomen est, quem auferre ab eo cogor ad Sinas navigans. duo ejus isthic exemplaria videre memini, unum penes Franciscum Lopez, aliud in manu Patris Manuëlis de Morales. Alterum horum velim quamprimum mittas Patri Antonio Herediæ. nam eo, ut indicavi, multùm eget. Age sedulò cum Domino Episcopo, ut quendam Sacerdotem Malabarem, nomine Ferranum,

citet

citet ad se, ac pro Imperio, sub anathematis interminatione, dictâ die sistere se Goæ coram ejus Tribunali jubeat. Impedit enim cursum Evangelij illic ubi est, Patribus qui negotium Religionis in Orâ Comorinensi promovent, palàm adversarius & noxiè infestus.

Totus tuus in Christo.

*Franciscus.*



# S. FRANCISCI XAVERII E SOCIETATE IESV INDIARVM APOSTOLI NOVARVM EPISTOLARVM. LIBER VII.

## *EPISTOLA PRIMA.*

### P. CYPRIANO SOC. IESV, MELIAPORAM SANCTI THOMÆ.

VALDE malè percepisti quæ tibi mandata Meliaporæ observanda præscripseram. Clarè ostendis quàm parùm tibi adhæserit ex conversatione Nostri Beati Patris Ignatij. Plumùm improbo aggressum esse Te litigiosis formulis & Pragmaticorum ministerio forensi convenire Proëpiscopum. semper obseque-

sequeris naturæ isti tuæ vehementi. Quidquid dextrâ ædificas, lævâ destruis. Sic certò habe: incredibiliter offensum me his quæ à te isthic inurbanè & inhumaniter acta comperio. Si Proëpiscopus aliter agit ac debeat, non utique tuis emendabitur reprehensionibus; præsertim imprudenter, ut à te factum est, oggestis. Tam longo jam usu insuevisti nihil non obsequi voluntati tuæ propriæ, ut ubicumque moraris omnes offendas. speciminaque tecum agentibus manifesta passim edas intractabilis tuæ cujusdam & asperæ Indolis. Faxit Deus ut horum imprudenter actorum seria te aliquando subeat Pœnitentia. Per ego te quantum amas Dominum Deum, oro obsecroque, duro ut isti tuo contumacique imperes animo; quæque hactenus peccasti, rectè factis in posterum compenses. nec tibi aduleris, præfractiori naturæ imputans motus illos feros. non ea culpa est indolis, sed indiligentiæ magnæ, negligentiæque damnabilis officiorum quæ te Deo, quæ te tuæ conscientiæ, quæ te Proximis, Obedientiæ, Moderationis, Caritatis debitorem constituunt. Si minus hoc mihi jam affirmanti credis; at persuasissimum habe: in momento mortis clarissimè id te perspecturum.

rum. Etiam atque etiam rogo te nomine Noſtri Beati Patris Ignatij, ut per paucos hos dies quibus illa tibi hora ultima differtur, diſcas exerceaſque æquanimitatem, manſuetudinem, patientiam, demiſſionem modeſtam. ſic habe: humilitate quidvis abſolvitur. Si non potes tantum efficere quantum cuperes, age quod ex æquo & bono potes. Vi atque impetu nihil perficitur in his Indiæ partibus; & quod longanimitate, obſequio, modeſtiâ, Bonum haud dubiè ſuccederet, ab impotenter erumpentibus irâ, jurgio, intemperijs, ortu in ipſo corruptum extinguitur. fructus ſine offenſione ac tumultu proveniens, etiam ſi tantillus ſit quantulum hæc breviſſima lineola deſignet ——, præſtabilior multò majorque eſt quàm alius adeo in ſpeciem largior, ut ei videatur exprimendo tota impendenda, quanta tranſverſæ paginæ univerſum exæquet ſpatium, hujus formæ linea.

---

Multùm vereor ut quidquam allegatorum hactenus à me, ſufficiat revocando ad frugem tibi. Illud tamen & ſcio, & ſcire te jubens, certiſſimè denuncio: fore omnino ut tempore tui ex hac vitâ tranſitûs, acriter horum à te

te perperàm actorum conscientiâ pungaris. Gonzalus Fernandez mihi videtur tui similis, acerbus, irritabilis, impatiens: uno ambo exemplo facti, pariterque soliti effrænium vestrorum affectuum intemperijs, zeli ac Religionis speciosum nomen obtendere. Magnifica nempe illa vestra oratio est: Divinæ Gloriæ detrimenta, salutis animarum ferre taciti obstacula non possumus. quid tum? resarcitis ne, an cumulatis damna ista strepitu ac procellis certaminum odiosissimorum? Iterùm dico: quod humilitate ac modestia non impetraveritis à Proëpiscopo, nunquam minis & jurgio extorquebitis. Per pietatem & obedientiam, quas & debere fatemini, & reddere velle non negatis Patri Ignatio, obtestor ambos vos, ut subitò post hanc lectam Epistolam adeatis Proëpiscopum, & positis uterque coram eo humi genibus, veniam supplices petatis eorum quæ parùm ipsi grata feciftis omnium. tum illi manum osculemini; ac si me consolari plurimùm cupitis, facite audiam, ad pedum ejus usque oscula ambos ultrò descendisse, ut tantò certiori pignore sanciatis pœnitentiam præteritorum futuræque sponsionem modestiæ, quâ sanctè ipsi pollicebimini: nihil vos deinceps, quamdiu

Meliaporæ morabimini, contra ejus voluntatem acturos. Credite mihi: in horâ mortis vestræ multùm vos delectabit hoc feciſſe. Fidite Deo Domino Noſtro, nec dubitate quin ſi veſtra modeſtia nota fuerit omnibus hominibus, impetraturi facilè ſitis quidquid ad Dei obſequium & ſalutem animarum pertinens petieritis. In hoc manifeſtè ambo vos, & veſtri amborum ſimiles, erratis, quod arbitramini, autoritatem apud omnes maximam ſolo Societatis IESV nomine, tanquam hereditario vobis jure tribuendam, antequam eam magnis & illuſtribus demiſſiſſimæ humilitatis experimentis paraveritis. Recordamini videlicet venerationis ingentis, quâ ſummi pariter & infimi Patrem Noſtrum Ignatium proſequuntur; & æquum cenſetis, pari vos à cunctis reverentiâ dignari: quantumvis virtutum earum quibus iſtam ille dignationem promeruit, nullum admodum ſpecimen ediderit. Atqui oportuerat primùm rectè facta imitari Patris Noſtri, & illa æmulari chariſmata meliora quæ Deum Dominum moverunt ad tantam ei concedendam apud omne genus hominum gratiam. Vana verò ac ſtulta eſt confidentia, paucis aut nullis palàm exhibitis virtutum illuſtrium exemplis, fructum iſtum obſe-

quij

quij favoriſque popularis, qui ſui depreſſionis infimæ merces eſt, vobis religioſæ demiſſionis oblitis expectare proventurum, & indignari niſi provenerit; Populo ad nutus omnes veſtros obnoxium ſe ac morigerum præbente. Non me fugit, diſertos vos in his excuſandis fore; ac mihi aſſeveraturos, ſi præſens adeſſem, judicaturum nihil à vobis in hoc quidem peccatum; quippe qui mero inſtincti Dei Amore, ac ſalutis animarum ſtudio, iſtam contentionem ſuſceperitis. Atqui jam hinc vobis denuncio, & perſuaſiſſimum eſſe jubeo: aquam vos apud me in quantumvis accuratâ culpæ iſtius purgatione perdituros. ſine ullâ dubitatione ſic habete, cadetis causâ me judice. quin addo: crimen veſtrum meâ gravi moleſtiâ cumulabitis, ſi factum quod probari nequit, defendere conabimini: ſed viciſſim fateor nihil mihi poſſe contingere gratius quàm ſi vos audiam ultrò agnoſcere damnareque culpam in hoc veſtram. Ac præterita quidem, quæ refingi nequeunt, pœnitentiâ prout licet, emendentur: futuris omni cautione conſulatur. date quod ſupereſt, amabo vos, ante omnia ſedulam operam, ut cum Proëpiſcopo, cum Sacerdotibus, cum Præfectis, cum omni genere Magiſtratuum nun-

quam litibus jurgijsve committamini. utcumque palàm ab ijs peccari manifestum sit: Malo, quod, bonâ fide, potestis, tranquilli remedij apponite: tumultuosam & morbo pejorem abstinete medicinam; nec irâ & intemperijs jaciatis aleam funditùs perdendi fructûs, quem modestiâ & mansuetudine potueratis maturare. Superiora dictavi, agnosce in sequentibus manum & cor meum.

O Cypriane, si scires quanto tui Amore hæc ad te scribo. profectò diù noctúque recordareris mei; & fortè non teneres lachrymas, reputando tenerrimam ardentissimamque quâ te flagrans amplector caritatem. Vtinam patêrent in hac vitâ pectorum arcana. cerneres clarè, mihi crede, Frater mi Cypriane, insculptum te penitus meo animo. Vale. Aprili Mense Anni CIↃIↃLII.

Totus tuus, ut nunquam possim tui obliviscì.

*Franciscus*.

EPI-

# EPISTOLA II.

## MAGISTRO GASPARI BARZÆO RECTORI COLLEGII GOANI SOCIETATIS IESV.

*Gratia & Amor Domini Nostri* IESV *Christi adsit semper nobis auxilio & favore. Amen.*

MAgister Gaspar; Scribo ad Dominum Episcopum de gravi negotio Amici mihi carissimi, cui nomen est, Alvarus Gentilis. Ab hoc cum officij & salutis æternæ rationes flagitent, ne differat ampliùs legitimum Matrimonium cum Muliere, ex quâ, illicito contubernio, liberos suscepit; tamen is adhuc cunctatur, impulsuque novo indiget, ut necessarium consilium expediat. Perspexi magnâ præoccupari ejus animum Domini Episcopi existimatione ac reverentiâ: nec dubito, quin si ad multas à me adductas ipsi rationes id agendi, precesque ingeminatas, tam venerabilis ipsi Personæ autoritas accesserit, statim incîdat moras omnes, & quod

quod Deus ab eo exigit, faciat. Oro ergò te ut agas cum Domino Episcopo, ab eoque, quod erit facile, impetres: ne gravetur dare Literas ad Alvarum Gentilem, quibus ipsi magnoperè autor sit, atque adeo injungat, ut quod suo ipsius honori, officio, Liberorum statui jampridem debet, sine morâ exequatur; ducendâ Ecclesiastico ritu in Conjugem Matre suorum Filiorum. & subesse aliquid suspicor, cur magis etiam necessaria sit ea quam procurari à te postulo, Domini Episcopi ad Alvarum adhortatio. scilicet ex hujus ambiguis responsis circa rem ipsi manifestè utilem, in eam opinionem veni: cupere quidem ipsum hoc matrimonium perficere; sed retardari conscientiâ impedimenti cujuspiam canonici occulti, qualia multa novimus matrimonialibus clàm intervenire causis. quoniam autem, si quid ejusmodi est, ille apertè non prodidit; subdivinavi ego nonnihil, ex usu rerum talium: & suspicionem explicavi meam Domino Episcopo: ut eâ ille notitiâ præmunitus, expeditiorem habeat facultatem medendi ægræ illi animæ: indulgendâ videlicet, pro eâ quâ pollet in eo genere autoritate, istius impedimenti gratiâ; & sic amoliendis cunctis obstaculis tam necessa-

cessarij remedij. Fac, amabo te, diligenter atque instanter hoc negotium urgeas apud Dominum Episcopum. adeóque Aprili proximo, quæ stata est tempestivitas solventium Goâ Malacam navium, ne omittas per eas scribere ad meum, de quo agitur, Amicum Alvarum Gentilem, quid cum Domino Episcopo, aut jam transegeris circa ejus causam ex ijs quæ de illâ didicisti; aut quid te confecturum speres circa impedimentum, si quod subsit, ubi te ipse de illo non gravatus fuerit docere. In hunc modum esse opus existimo, ire obviam cunctationi hominis, occultâ quadam remorâ hærentis; quàm minùs fortè verebitur indicare, si spem feceris, posse illum istis quibuscumque vinculis vi Ecclesiasticæ potestatis expediri. Hoc totum tibi sic commendo, ut instantiùs & efficaciùs non possim. Deus nos in suâ Paradisi Gloriâ conjungat. Vale. Malacâ III. Idus Iulij Anno CIↃIↃLII.

Totus in Christo tuus.

*Franciscus.*

EPI-

# EPISTOLA III.

## EIDEM.

*Gratia & Amor Domini Nostri* IESV *Christi adsit semper nobis auxilio & favore. Amen.*

SIc habe, Magister Gaspar, longè plùs debere me Domino Petro de Sylvâ quàm possim ei unquam quantolibet meo conatu exsolvere. Etenim ille, quo tempore Præfecturam gerebat Arcis Malacensis, adeo mihi favit in omnibus quæ ad Dei obsequium spectabant, ut ex quo in Indiâ sum, non meminerim ab ullo me homine tam benevolè adjutum. Veneram Malacam transmissurus illinc in Iaponiam. Dominus Petrus biduo summâ diligentiâ paravit mihi navem ad eum cursum, qualis inveniri tunc optima potuit. nec poteram, ut tum res ibi erant, optare meliorem. adjecit de suo munera, pretio nummorum ducentorum propriâ pecuniâ coëmpta, quæ mihi donavit, ut his Regi Iaponiæ oblatis, ejus favorem, promulgationi Legis Christi necessarium, pararem.

Fecis-

Feciſſet utinam Deus, ut hoc quoque anno idem Dominus Petrus à Sylvâ Præfectus urbi Malacæ fuiſſet. commodiorem tunc videlicet habuiſſet exitum deſtinata in Sinenſe Regnum Iacobi Pereriæ Legatio, ex quâ tam certa ſpes ingentis dilatationis Sanctæ Noſtræ Fidei pendebat. Quàm diverſum ab illo ſe mihi præbuit Frater ejus Germanus Dominus Alvarus! qui facultatem ad Sinas navigandi & navem à Domino Prætore mihi datam eripuit. Ignoſcat illi Deus. malè quippe metuo ne graviores quàm ipſe expectet aut opinetur, læſum iſtâ ejus injuriâ Divinum Numen pœnas ab ipſo repetat. Sed ut ad ejus diſſimillimum Fratrem Dominum Petrum redeam, is modò mihi benigniſſimè mutuò conceſſit trecentos aureos, quibus egebam in præſenti ad diſpungendum vetus nomen à me in Iaponiâ contractum. Cum enim illic hærenti mihi neceſſarium omninò videretur Ædem Sacram in Vrbe Amanguccio conſtrui, ſumpſi commodatò à Luſitanis illic negotiantibus nummos ter centum, quos in eam rem impendi. Ejus debiti diſſolvendi dies exierat, & Creditores aderant, fidem meam operientes. Subvênit egeſtati meæ tam opportunâ mutuatione, & quaſi gratuitâ

tâ versurâ, præstans benignitas Domini Petri; cui, simul Goæ comparuerit, volo & lubeo te, summam istam trecentorum nummorum ultrò numerare. Sumes istam pecuniam è censu & vectigalibus Collegij, aut ex pensione duûm millium aureorum, quam Rex è suo ærario decrevit Goano Domicilio Sanctæ Fidei, non in usum solum eorum qui illic degunt; sed ad subsidium Missionum quoque ac Stationum per hos Tractus Orientales variè institutarum ad promulgationem Evangelij: è quibus una est, è vel maximè utilibus Iaponiensis. Cave autem moram interponas ullam hujus expunctioni debiti. Adi, statim ac exscendisse compereris, Hominem, & cum multâ gratiarum actione pecuniam illi suam exsolve. Ægerrimè ferrem si tibi cessanti à tam urgenti, tam enixè injuncto, tam omnibus prævertendo alijs officio, cogeretur Dominus Petrus vellere aurem, & debitum reposcere. Peracerbus is mihi nuncius foret, cujus molestiam lucrifac mihi, quæso te, promptissimâ & quasvis difficultates eluctante, mei hujus executione mandati: quam, non dicam; si negligeres (non enim hoc de te metuo) sed si quolibet obtentu repræsentare prætermitteres, exiguum apud te

te momentum esse arbitrarer mearum gravissimarum commendationum. Deus Dominus Noster nos in Paradisi Gloriâ conjungat. Vale. Malacæ postridie Idus Iulias An. CIↃIↃLII.

Totus tuus in Christo.

*Franciscus.*

## EPISTOLA IV.

## P. IOANNI DE BEIRA SOCIETATIS IESV.

*Gratia & Amor* IESV *Christi Domini Nostri adsit semper nobis auxilio & favore. Amen.*

IOannes de Beirâ, per quantum tibi cordi est Dei Domini obsequium, mando & oro, ne quos sensus rerum interiorum à Deo accepisti, cuiquam hominum communices. de notitijs loquor cœlesti illustratione menti tuæ inditis, earum duntaxat rerum, quæ ad bonum & profectum spiritualem

lem Christianorum Molucensium, Mauricensium, aut aliorum quos te curare contigerit, nihil pertinent. Quæcumque ad utilitatem & progressum in Religione, Christianorum attinent, tractabis cum Domino Prætore, à quo impetrare satages mandata & diplomata quæ ad id opus esse judicaveris. quod si te faciliùs obtenturum speres autoritate ac gratiâ Domini Episcopi, eum supplex adibis, orans ne gravetur suadere Domino Prætori, ut Ecclesiam Molucensem amplectatur protectione regiâ, cavens illi. Iussis ac Scripturis idoneis, adversùs injurias vel insidias Regis Molucarum, parùm, ut ais, ipsi æqui. Totam porrò istam Goæ negotiationem tuam, quàm brevissimo poteris absolves tempore; idque sedulò ages, ut quamprimum expeditus ad reditum sis. Vellem paratus esses ad utendum opportunitate navium quæ Mense Majo Goâ in Moluccas solvunt; & aliquos illuc tecum è nostris Sacerdotes duceres. Si Sacerdotum non esset copia, alios è Socijs assume, vel tinctos literis, & Sacerdotio destinatos, vel etiam Laïcos. nam hi, modò boni & industrij sint, propter humilitatem faciliùs se regi sinunt: ideóque accommodatiores videntur ad pacem concordiamque

que noſtrorum in eâ ſtatione retinendam. Conſtitue autem cum Patre Magiſtro Gaſpare, ut omninò quotannis ſaltem unus è Societate Sacerdos aut Laïcus ad Moluccas mittatur. Cave, oro, ne ulla te cauſa impediat quò minus Majo Menſe Moluccas repetas; nam magnum illic deſiderium tui eſt; utpote cujus ex abſentiâ non modicum res Chriſtiana detrimentum capiat. Defer tecum Goam hanc meam Epiſtolam, & oſtende ſi opus erit, Noſtris qui illic præſunt. Confido enim eos perſpectâ meâ voluntate, tuæ reverſioni à me juſſæ non obſtituros. quas autem res mihi communicaſti colloquio arcano quod in Æde ſacrâ Malacenſi habuimus, vide ne cuiquam illic enuncies. Scribo ad Patrem Magiſtrum Gaſparem enixè mandans, ut tibi omni favore auxilioque præſtò ſit ad ita maturè peragenda, quorum causâ iſthuc navigas, negotia, ut quamprimum defungi, paratuſque expectare primam quamque tranſmiſſionis eò unde veniſti occaſionem, queas. Porrò da operam ne redeas ſine diplomatibus Domini Prætoris ritè conſignatis, quæ diſertè revocent privilegia per Dominum Ioannem Caſtrium conceſſa Regi Moluccarum, quoniam ille quæ viciſſim pactus

erat se facturum, & ex sese collaturum in commoda Christianæ Lusitanæque rei, tam malâ fide reddit; contraria potius promissis verbisque suis facta exhibens. Deus nos in Paradisi Gloriâ conjungat. Ex Freto Sincapurano XII. Kal. Augusti An. CIↃIↃLII.

Tuus in Christo Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA V.

### PATRI MAGISTRO GASPARI BARZÆO RECTORI COLLEGII GOANI SOCIETATIS IESV.

*Gratia & Amor Domini Nostri* IESV *Christi adsit semper nobis auxilio & favore. Amen.*

MAgister Gaspar, cum Patre Balthasare Gago, & Petro de Alcacevâ, solvit Iaponem versùs Antonius Iapon, Interpretis loco ipsis futurus quoad Amangucium pervenerint. Inflecti se passus est meis precibus Ioan-

Ioannes Iapon ad præstandam similem operam ei è nostris Sacerdoti aut Sacerdotij experti, qui anno proximè sequenti mittendus est in Iaponiam, eumque comitandum Amangucium usque. Huic bono Neophyto egentissimo, fac, oro te per Deum, corroges alicunde Eleemosynæ nomine summam triginta circiter Pardaorum, unde jubeas emi arbitratu ejus, ipsique donari, merces aliquas ex ijs quas ipse novit facilè ac non parvo in Iaponiâ distrahi solere. Ex tali enim peculio habere poterit utcumque, unde contendens satagensque in Patriâ victitet. Hujus rei oportuit me illi spem facere, ut eum inducerem ad repetendum natale solum, unde illum extrema inopia extrusit. quo autem alacriori sit animo ad benè fideliterque ministrandum ei è nostris qui proximè iturus in Iaponem est, necessarium censeo, ut præter quàm eam quam dixi Eleemosynam ipsi à Sodalitate Misericordiæ, aut aliquo isthic divite, à bonis operibus non alieno, largiendam cures, etiam eum tecto excipias, alasque, ac multâ caritate Societati devincias. Hoc quia satis ex his, ut spero, vides quàm æquum, quamque mihi cordi sit, non commendabo tibi pluribus, confidens te id sedulò facturum. Deus

Dominus Noſter nos in Paradiſi Gloriâ conjungat. Ex Freto Sincapurano XI. Kal. Auguſti An. CIↃIↃLII.

Magiſter Gaſpar. quam pecuniam Eleemoſynæ nomine corrogatam miſſurus in Iaponiam es, expendendam illic in uſum noſtrorum novam illam Chriſti Vineam colentium, cenſeo redigi priùs oportere in monetam auro dun taxat, eóque notæ optimæ puriſſimoque, cuſam. delectum igitur habeo, conſilio peritorum, inter ſpecies nummorum aureorum, eos ad id ſeponens quos materiâ conflatos probatiſſimâ in confeſſo ſit. audivi celebrari eo nomine Venetijs ſignatos. tu vide, prudentum in eo genere ſententiâ, ecquinam auri bonitate ijs ſuppares putentur. Ea materia magno illic commutabitur, pro modo ponderis & gradu ſynceritatis. quoniam ad celaturas armorum, qui ferè unicus Auri uſus in Iaponiâ eſt, aurum exquiritur purgatiſſimum. Quem noſtrorum anno ſequenti tertio & quinquageſimo expedies in Iaponiam, inſtrue primùm & præmuni egregiâ patientiâ. nam eâ illi planè invictâ erit opus ad perferenda cùm viæ ac navigationis, tum poſtquam eò pervenerit, victûs & habitationis incommoda maxima. Fac deinde copiam ſecum

ferat

ferat idoneam panni Lusitanici, quo se ac Socios, quos ibi reperiet, protegat à frigoribus longè acerrimis rigidissimarum illic hiemum. Vale.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

## EPISTOLA VI.

## IOANNI IAPONI NEOPHYTO.

IOannes Iapon Fili mi: Scribo ad Patrem Magistrum Gasparem ut tibi Goæ corroget è liberalitate piorum aliquantum pecuniæ, unde merces in Iaponiâ vendibiles coëmas. nolo enim te redire in Patriam nudum, ut inde venisti. Goam ibis cum Patre Ioanne Beirâ, navibus stato tempore Malacâ versùs Indiam solitis solvere. Simul eò perveneris reddes Patri Gaspari Goani Collegij Rectori quam huic junctam Epistolam tibi ipsi committo, pro te scriptam. Patribus qui Goâ solvent in Iaponiam ituri, quibus comes assi-

gnaberis, fac sedulò ministres, fideliterque inservias quoad eos Amangucium perduxeris. Autor magnopere tibi sum, ut sæpe confitearis Sacerdoti quæ te peccare contigerit, dolens ob Dei offensam, & emendationem firmissimè decernens. Velim etiam Sacram Eucharistiam frequenter sumas cum summâ reverentiâ & desiderio præmuniendi te adversùs pericula excidendi à Dei Gratiâ. quod ne tibi accidat, auxilium assiduè Divinum implora. tum in occasione labendi connitere totis viribus ad standum & perseverandum in Dei obsequio: memor si peccaveris, inevitabiliter eventurum, ut in hac vitâ, aut in futurâ gravissimè puniaris. quocirca omnium terribilium maximè formidandum puta, incidere te in culpam, ob quam æternùm urendus in Tartaro sis. ubi perveneris in Iaponiam memento salutem à me plurimam reddere Marco & Paulo. Deus te faciat Sanctum & felicem: inque suam Paradisi Gloriam perducat. Ex Freto Sincapurano XI. Kal. Augusti An. CIↃIↃLII.

Dices Patri Francisco Perezio, ipsi ostendens hanc ipsam meam Epistolam, ut quando solves in Indiam, scribat Cocinum Patri Antonio Herediæ, commendando illi meo nomine,

mine, ut in ea ipſe urbe conquirat tibi aliquam Eleemoſynam, aut à Sodalitio Miſericordiæ, aut à quibuſdam eorum quos in viâ ſpiritus dirigit. Significa quinetiam ipſi Patri Franciſco Perezio, gratam eum mihi rem facturum, ſi expectans tuum ex Indiâ reditum, in occaſiones invigilaverit corrogandæ tibi alicujus pecuniolæ, quam interim tibi ſervet, ac Goâ reverſo procinctoque ad curſum Iaponicum numeret. monſtra illi hoc ipſum meum ſcriptum, quò fidem iſtius mei deſiderij facias. Iuvabit ille te proculdubio parùm aut multùm, prout potuerit. quod ſi quis caſus obſtaret quo minùs literas à Perezio ad Herediam ſcriptas haberes, ubi Cocinum veneris, exhibe Patri Herediæ illic Collegium regenti, has ipſas ad te meas literas. Id ſufficiet ut is intelligat, quid pro te cupiam, & ſcilicet efficiat enixè quod poterit ad tibi alicunde corrogandum pecuniarium ſubſidium quodpiã. Tu verò, iterum etiam atque etiam rogo, memor ſis curare diligenter Patres tecum in Iaponiam ituros, ijſque obſequi ac ſervire fide ſummâ.

Addo hîc meâ manu, Ioannes Fili: ſervi valdè benè Patribus tecum ituris in Iaponiam, & deduc eos Amangucium uſque.

Tibi Amicus ex Animo. *Franciſcus.*

Inscriptio exterior in unâ Plicaturæ facie hæc erat:

*Ioanni meo Filio.*

In altera hæc legebatur: *Ioannes Fili, Ioannes Bravius tibi leget hanc Epistolam.*

## EPISTOLA VII.

### IACOBO PERERIÆ.

TEnerum, Domine, Tui desiderium ex recenti tuo capitis longè dulcissimi conspectu, exulcerat mihi animum Imagine ac recordatione discriminis in quo te reliqui. utique in Terrâ Cœli hausti corrupti, & pestiferâ contage languentium, quotidianis diræ luis contrahendæ periculis expositâ. Hæc mihi cura simulacrum tui continuè mentis oculis objicit, cor acerbo metu pungens, ne tibi secus quàm dignus es, & quàm anxijs votis ambio, humanitùs aliquid contingat. In hâc tuâ nave tui omnes, quòd sic te velle norunt, eximio me honore benevolentiaque prosequuntur, subministrantes abundè cuncta quæ opus sunt, non ad victum modò meum bene-

valen-

valentis, sed & ad curationem eorum; cum quibus, ut scis, isthinc solvi languentibus. qui quidem per Dei Misericordiam (nam misereri tunc quoque Deum credimus cùm sævit: quòd ex tali manu mala etiam vim gratiarum habeant) Divino, inquam, beneficio Ægri Nostri deteriùs in dies valent. ex quo quàm æger ipse animo sim, quámque acri solicitudine discrucier, novit qui nos & consolatur & affligit quando vult, providentissimus amarorum & dulcium temperator Dominus: cujus ab omnibus semper in Cœlis & in Terrâ laudes præconiaque celebrentur. Mitto isthuc ad Te, Domine, quas ad Regem & ad Indiæ Prætorem scribo literas, apertas, sigillo pendente, ut eas, si tibi videtur, legas; & postea obsignes. Equidem Domine, tuâ causâ cuperem, istam à me datam ad Regem Epistolam hoc anno in Lusitaniam perferri à quodam tibi fido, qui Regi eam redderet, & rescriptum impetraret ac referret. quippe non temerè auguror id tale fore quale nobis communiter expediat hùc apportari quàm citissimè. Domino Petro licebit eam Epistolam ostendas. delectabit enim eum videre quid ad Regem de ipso scribam. Has, ut vides, literas scripsi duobus exemplis, quorum

rum unum signatum, alterum patens est, à te, ut dixi, obsignandum postquam legeris. Mittas velim utrumque diversis & Tabellarijs & navibus. Et alterum quidem rectè (ni fallor, & nisi tu secùs sentis) commendaretur Domino Petro ad Regem proficiscenti: alterius qui perferendi curam suscipiat, vellem à te legi aliquem ex tibi amicissimis, qui fidelissimè ac prudentissimè putetur quæ ad rem dignitatemque tuam pertinent tractaturus. Verum hoc totum arbitrio ac sapientiæ tuæ permitto. Illud peto majorem in modum, Domine, ut vitæ, valetudini, statui denique tuo solerter prospicias, primùm removens te à contagijs & omni suspecto commercio cum morbo populari laborantibus, aut qui eis ministrant; deinde invigilans rei tuæ familiari, nihil temerè agens: omnia circumspectè ac maturo judicio constituens: cunctorum quidem qui se Tibi Amicos ferunt gratè accipiens officia: non tamen facilè cuivis fidens; nec, quoad rebus ipsis perspexeris quid quisque habeat in animo, plus te illis porrigens quàm tutum foret; si, quod non rarò evenit, *illi* tibi mendaci benevolentiæ ostentatione fucum facere conarentur. Ante omnia oro te, Domine, & in gratiæ nume-

mero precans postulo, ut te quò magis urgeris adversis, eò interiùs Divino Numini admoveas: ea enim sola demùm via est, quâ tibi anguſtiis rerum procellisque temporum afflicto, adspirare consolatio queat. Per ego Te, quo Deum Dominum amplecteris, amorem, pro eo quantum gratificari mihi cupis, in parte beneficij mihi propriè ad gratiæ debitum imputandi, rogo & obsecro, ut in hoc acri sensu ærumnosissimæ molestiæ, ex tibi nuper immeritò illatâ luculentâ injuriâ, cor dolore æstuans agentis ferentisque, spatium colligendi tui sumas; purgatoque per Sacramentalem Confessionem animo, ad sacras Christi Corporis in Eucharisticâ mensâ epulas accedas. ac sic, affectûs tuos omnes Divinæ subijciens voluntati, boni consulas quidquid illi libuit permittere: illud insuper mecum sperans; totam istam vehementissimam tempestatem non modò nihil nocituram, sed profuturam etiam, expetibili Tibi ad extremum, vitæ commodorum & civilis honoris augmento. Franciscum de Villâ retineo & duco mecum ad Sinas: tum quia ejus operâ plurimùm egeo; tum etiam quòd non alium aptiorem puto ad rem tuam rectè in navi administrandam, & juvandum Thomam

mam Scandelium Procuratorem tuum. Postquam Deo juvante Terram Sinicam attigerimus, primâ eum opportunitate solventis inde navis remittemus Malacam. Sin Deo non placuerit aperire nobis aditum in Sinas, & me inde excluserit, ego ipse primâ occasione navigandi Malacam, isthuc è Sinarum vicinià me referam, ac si ad tempus occurrero nondum solutarum, quæ Lusitaniam repetunt, navium, cum ijs in Indiam redibo. Mihi videbatur è re fore si tu ipse, Domine, ad Regem scriberes fusè ac minutè, percensens commoditates ex constitutione commercij Sinensis, per impetratam Regiorum Ministrorum in Portu Cantonis habitationem, in Rem Lusitanicam redundaturas. Eodem argumento, nec minori diligentiâ, vellem ab eodem te literas ad Dominum Indiæ Prætorem dari. nam in eam sententiam ego quoque ad Regem scribo, ut videre poteris legendis literis, quas apertas mitto. Tu eas lectas & signatas, cum tuis paria docentibus, velim unum in fasciculum colligas, quem sic exterius inscribas: *Regi Domino Nostro: à Patre Magistro Francisco*. Vide autem ut is cui Lusitaniam petenti fascem Regi coràm in manus reddendum commiseris, sit nobis

fidus,

fidus, idoneæque autoritatis & peritiæ; tum quem certò scias necessarijs causis ad continuò redeundum in Indiam compelli. ut scilicet ab eo mox reversuro, expeditum habere negotium, primo navium è Regno Goam appulsu queamus. Si Deus Dominus Noster dignatus fuerit ingressum mihi pandere in Sinense Regnum, hoc ipsum ubi cognoveris, Domine, ne pigreris quæso, ingeminare cunctis occasionibus ad me illuc literas. nam in quacumque fortunâ magno ibi futurum mihi solatio est, de te tam caro mihi capite, ut valeas & quid agas, nosse. Deus utinam Dominus Noster, tantum tibi, Domine, & consolationis in hac vitâ, & gloriæ in futurâ tribuat, quantum mihi ipsi cupio. Vale. Ex Freto Sincapurano Kal. Augusti An. CIↃIↃLII.

Proëpiscopus Malacensis oravit me ut pro se ad Regem scriberem. Facio quod petit. etsi non defuit qui mihi diceret: eum in negotio nostræ ad Sinas Legationis, omisisse quod ex se conferre in rem nostram, aut potiùs publicam, potuerat; & rationes Divini obsequij; nostræque Sanctæ Fidei dilatationis, posthabuisse gratiæ Domini Alfonsi Alvari Præfecti Malacensis, cui se addictum

ctum affectavit demonstrare, spe quæstuosâ cujusdam emolumenti temporalis, quod sic eblanditurum se ab illo confidebat. In magno errore vivit quisquis, neglecto Deo, unde bonum omne manat, confidit ea quibus eget, aut quæ appetit, se per homines adepturum. Ego verò soleo ulcisci non benè de me meritos, quibus possum eos beneficijs prosequendo. nam pœnæ quas merentur, à Deo non deerunt, & tu ipse clarissimis experimentis, Domine, videbis, severè puniri divinitùs eos omnes qui mihi Dei obsequium promoventi obstiterunt. Verè tibi, Domine, profiteor: miseret me jam nunc horum, malè metuentem, ne supplicia, ipsorum opinione graviora, infelicium cervicibus immineant. Epistolam istam ad Regem meam quâ ei commendo Proëpiscopum; huic fasciculo insertam, quæso ne gravere, Domine, dare coram in manus ipsi Domino Proëpiscopo, ut eam cum suis mittat. Si Deus me introduxerit in Sinense Regnum, id quod ex ejus spero gratiâ, docebo Lusitanos qui detinentur illic, quantum tibi debeant; exponens quos labores & sumptus, causâ ipsos consolandi exhauseris; atque adeo, prout te velle novi, universos ipsos tuo nomine salu-

salutans: & quoniam à proposito eos juvandi non desistas, sperare illos jubens, te si quo modo potueris, obstacula pijs tuis conatibus hactenus objecta, Deo juvante perrumpere, ad ipsos anno sequente perventurum. Peto à te tuâ causâ Domine, ut Patres Nostros qui isthic sunt, frequenter visas. quoniam confido, animi quæ te angit ægritudinem, consuetudine ipsorum alloquijsque minuendam. Iterùm Vale.

Tuus verissimus Amicus.

*Franciscus.*

## EPISTOLA VIII.

## PATRI FRANCISCO PEREZIO SOCIETATIS IESV. MALACAM.

FRancisce Perezi. Mando tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ ne post visas hasce meas literas hæreas ampliùs Malacæ. sed quamprimùm poteris expedias te ad navigandum in Indiam, utens ad id navibus proximâ motione soluturis. quod si post harum

discess-

discessum acciperes hanc Epistolam, conscendes navim quæ Choromandelo Cocinum tendit: habitabisque Cocini, Ministerijs ijsdem Concionum, Confessionum, & Scholæ Catecheticæ intentus, quibus exercebaris Malacæ, Ordinem planè ac Methodum eam tenens, quam tibi scripto expressam, cùm Malacâ in Iaponem solverem reliqui, aut si quam loci diversitas mutationem posceret, juxtà formulam à me in scriptis traditam Antonio Herediæ, cui volo te succedere in curâ & gubernatione Collegij Cocinensis. Ipsum autem Herediam, vel quemcumque alium post meum fortè discessum Cocinensi Domicilio quavis occasione Præpositum, jubeo statim ab his literis, te monstrante, visis, conferre se Goam, & illic paratum expectare dum mittatur in Iaponiam. Quo die Cocinense Collegium intrabis, ex eo die quicumque illic præest abdicet Præfecturam; tuque jure quàm optimo illi subrogatus, Rectoris autoritate gubernare Domum illam incipias, subjectus tamen, quatenus præscripsi, potestati Rectoris Collegij Sancti Pauli apud Goam. Ibi porrò, juxta Institutum Societatis & talenta tibi credita, pro viribus incumbes in procurandam Dei Domini

mini Noſtri Gloriam, promovendis ad ſalutem & perfectionem noſtris pariter & externis. Hæc quamquam, & his plura majoraque, confidebam vos ſolâ meæ voluntatis indicatione ſine morâ facturos: tamen ad majus veſtrum meritum, interpono vim poteſtatis mihi traditæ; ac tam tibi quàm Herediæ, aut cuivis alteri regenti Cocinenſem Domum, in virtute Obedientiæ impero, ut quemadmodum modò dixi, faciatis. ille videlicet ſtatim decedat regimine Domus, & primâ quaque occaſione Goam migret. tu ei Rector ſuccedas; & tuæ poteſtati pareant, non ſolum noſtri omnes Sacerdotes aut Laïci qui tunc erant Cocini, ſed etiam quicumque quavis causâ illuc venerint, cujuſcumque ordinis, gradus, dignitatiſve fuerint. niſi ſi quem fortè Rector Goanus tuo exemptum imperio certis de cauſis vellet. Et hoc omnes intelligant à me ſibi ex obedientiâ mandatum. Tu egredi quàmprimùm ex Vrbe Malacâ, & capeſſere regimen Collegij Cocinenſis, quod utrumque jubeo, ne omiſeris. E Portu Sancianenſi XII. Kal. Novembris Anno CIↃIↃLII.

*Franciſcus.*

## EPISTOLA IX.

### IACOBO PERERIÆ.

DEus per ſuam indulgentiſſimam Miſericordiam, Domine, tuam nobiſcum navim in hunc Sancianenſem Portum perduxit incolumem. Hîc quæ ſit ratio conditioque Commercij, quive negotiationis aut fructus præſens extet, aut ſpes in poſterum affulgeat, ſcribent ad te multi talium callentes: Ego qui parùm his attendo, conſultiùs putavi de re minus mihi notâ verba non facere. Quod mei eſt negotij narro tibi: expectare me in dies ſingulos Mercatorem qui recepit, ſe me in Cantonem pervecturum. Tranſegi cum eo ut iſtam mihi operam præſtaret, promiſſis mercedis nomine viginti *picis*, ut hîc loqui ſolent, hoc eſt menſuris piperis, quarum unaquæque libras pendit centum viginti Luſitanas. Succedat utinam hoc negotium (& ſucceſſurum ſpero) ad maximum Dei Domini Noſtri obſequium & Gloriam. Si cujus hominis in eâ totâ re meritum erga Divinum Numen extabit ullum, tuum profectò erit, tibique in ſolidum imputabitur. quoniam

niam & sumptum universum meæ meorumque Comitum advectionis in hanc Insulam; prætereaque pretium à me pactum, ut dixi, pro nostrâ introductione in Continentem Sinicam Provinciamque Cantoniam, liberalissimè tu suggeris. Thomas Scandelius Procurator tuus summâ fide exequitur quod illi commendasti, dans mihi quidquid ab ipso postulo. Deus illi rependat caritatem tantam, & quotidiana beneficia quibus me in omni occasione opportunissimè afficere non desinit. Sinensis Mercator à quo expecto me deportandum in Terram Cantoniam, valdè notus est Manuëli de Chaves, quem diebus multis absconditum Domi suæ in Vrbe Cantonis tenuit, quando is fugit è carcere. Hoc ipsum facit ut confidam, neutiquam illum à fide mihi datâ desciturum. præsertim cum satis intellexerim, quando in hoc Sancianensi Portu cum eo tractavi, haud parvi ab eo fieri quam promisi mercedem centum viginti Medimnorum piperis, ejus, quam supra exposui, mensuræ. Confido me per Manuëlem de Chaves, quem jam liberatum & in procinctu ad reditum in Indiam reperturum me Cantone spero, fusè ad te perscripturum quomodo negotium successerit, & naviga-

tionis & exceptionis in Vrbem Cantonem meæ. Si verò (quod Deus avertat) fidem falleret Sinensis ille Mercator, nec facultas mihi alia ulla suppeteret hoc anno in Sinicam Continentem transmittendi; quid tum consilij caperem, anceps animi pendeo. quippe nondum constitui, redirem-ne in Indiam; an me conferrem ad Sionis Regem, à quo audio ad Regem Sinarum adornari celebrem legationem, cujus in comitatu locum fortè reperire possem aliquem. Si repetam Indiam, spes affulget nulla, quandiù Alvarus Gama Malacæ dominabitur, nos æqui bonive quidquam isthic impetraturos: aut omninò memorabile quippiam circa Sinensem hanc nostram expeditionem succesſurum. nisi Deus supra humanam expectationem aliquid vi suâ supremâ fecerit. non scribo hîc quid interius circa hoc sentiam. Tantùm dico malè metuere me, ne Deus acerbiores multò quàm opinatur, ab illo pœnas porrò repetat; nisi & jam ceperit repetere. E Freto Sincapurano scripsi fusè ad te. confidoque illas literas rectè perlatas; quippe quas homo fidus portandas receperit Manuël de Fonseca, famulus Antonij Pegadi. De meis rebus quod nunc scriberem aliud non erat,

nisi

nisi modò convaluisse me è febre dierum quindecim. Plura scies, si negotium Sinici trajectûs cursum suum tenebit, literis quas ad te copiosas Cantone scriptas tradam Manuëli de Chaves, cum alijs æquè prolixis ad Dominum Nostrum Regem. Si quis me casus spe deijceret istâ, offert ecce Mihi Iacobus Vazius Aragonensis benignam copiam navigationis secum, cogitans Sionis Regnum, quò est vela facturus empto ad id navigio Sinensis formæ, qualia Iuncos solemus appellare. Invitat ad hoc consilium, quòd occasione legationis Sionensis, aditus fortè viâ illâ pandi posset aliquis ad Sinas & Cantonem, unde scribere ad te per Manuëlem Chavesium liceret. Hæc me cogitatio tantum allicit, ut propendeam equidem in istam navigationem Sionensem. quare peto à te, ut si quam isthic occasionem nanciscêris commodam, literas in Regnum Sionis transmittendi, ne pigreris ad me illuc scribere, quid consilij ceperis post meum à te discessum, quove nunc loco res tuæ sint: ecquid anno saltem proximo legatio tua successum habitura videatur. tunc enim opperirer te Comaij, aut in alio aliquo Cantonensis Oræ Portu. Annuat utinam id Deus. quàm suaviter am-

plexaremur nos mutuò, intrà utique illam tot nobis expetitam votis Sinarum Terram invicem occurrentes! Sin Deo aliud placet; & visuri ampliùs in hac vitâ non sumus inter nos, at per suam Misericordiam immensam concedere dignetur benignissimus noster & rerum omnium Dominus, convenire nos ambos aliquando in ejus Paradisi Gloriâ, ubi summo cum gaudio sine ullo fine visemus invicem. Vale. E Sanciano XII. Kal. Novembris An. CIↃIↃLII.

Franciscus de Villâ navat tibi quàm potest utilissimè operam in navi. Testimonium illi debeo gratissimi ergà te animi. Palàm prædicat te autorem fortunæ ac statûs sui; & beneficium tuum esse quod panem Domi habeat. Iturus ad te est cum Manuële de Chaves petitum veniam quod hùc venerit non impetrato in id tuo assensu. sed si qua in eo culpa est, mea est. Iterùm Vale.

Tuus verus ex animo Amicus.

*Franciscus.*

EPI-

## EPISTOLA X.

### PATRIBVS FRANCISCO PEREZIO ET PAVLO ANTONIO HEREDIÆ SOCIETATIS IESV.

PAter Franciſce Perezi è Societate IESV, impero tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut ſtatim à viſo hoc meo mandato, te conferas Cocinum, navibus hoc anno illuc ituris, ducens tecum Ioannem Bravium, itemque Bernardum, ſi ita tibi videbitur; & ex die quo Cocinum attigeris, capeſſere regimen incipias Collegij Societatis Noſtræ, quod in eâ urbe eſt; ibidemque exerceas miniſteria concionandi, Confeſſiones audiendi, & alia bona opera, prout faciebas Malacæ, juxta mandata tibi eâ de re ſcripto à me edita; aut etiam juxta formam quam olim præſcripſi Antonio Herediæ Collegium Societatis Cocini gubernanti. Tibi quoque, Antoni Heredia, ſiue quis alius Rector erit Collegij Cocinenſis cum eò Franciſcus Perezius adveniet, mando in virtute Obedientiæ, ut ſtatim modò nominato Patri Franciſco Perezio præfecturam iſtam hactenùs adminiſtratam ce-

das; ita ut ex tunc ille incipiat quàm optimo jure Rector esse Familiæ istius; tuque, aut quicumque alius ante id Collegium regebat, primâ quaque occasione te conferas Goam; ibique te compares ad iter Iaponicum, statim ac præscriptum tibi fuerit, capessendum: vel eundum quocumque, ac faciendum quidquid jusserit Pater Magister Gaspar Barzæus Rector Collegij Goani. Sic enim ut faciatis omnes, ex animi mei sententiâ decerno, & pro potestate jubeo. in cujus rei fidem huic mandato manu meâ subscripsi. In Portu Sancianensi pridiè Idus Novembris An. CIↃIↃLII.

*Franciscus.*

## EPISTOLA XI.

### IACOBO PERERIÆ.

QVod ad te, Domine, nunc quidem scribam, aliud admodum non habeo, præter iteratas, & quantumvis multiplicentur, nunquam exhausturas immensum debitum, professiones grati mei erga te animi, propter nullo fine aut modo in dies &

horas

horas singulas, inundantes in me gratias humanitatis & caritatis tuæ, quas excogitasti quomodo etiam absens exerceres, vicariâ sedulitate ministrantium mihi, & præsenti obsequio inservientium, Familiarium tuorum. Hos inter Thomas Scandelius Procurator tuus tanto amore ac liberalitate dat mihi quæcumque peto, ut facilè appareat: conscium tibi participemque esse illum benevolentissimi ergà me affectûs, quo non paratissimus modò es, sed etiam cupis, ac quodammodo gestis, donare mihi semper plus quàm postulem, & ultrà quàm egeam. Rependat tibi utinam, qui solus potest, Deus Dominus Noster, quod me imparem solvendo, debere quamdiu vivam erit utique necesse. atque hujus debiti si minus Sortem unquam refundam ac caput, saltem usuram velut quandam & quotidianam mercedem non omittam tibi, prout valuero, quoad vivam pendere, Deum Dominum Nostrum assiduè orans, ut te ab omni malo custodiat, nec permittat excidere unquam in hâc vitâ, suâ gratiâ; sed ita te vegetum semper ac florentem inter valetudinis ac jacturarum rei familiaris varia discrimina conservet in fide ac diligentiâ suæ Sanctæ Religionis Divinique obsequij, ut me-

ren-

rentem aliquando coronare Paradisi sui Gloriâ tuam animam possit. Et quoniam quantumvis in hoc coner, mihi parùm satisfacio, succenturio mihi auxiliarem operam omnium Fratrum meorum, Patrum Societatis IESV, qui variè per Indiam Ecclesiæ Sanctæ deserviunt; quibus cunctis, etsi per se id agere paratis, tamen calcar addens currentibus, mandavi; ut & tibi velut singulari Nostri Ordinis Patrono, omnia verissimæ benevolentiæ officia persolvant; & eundem te, tanquam columen Christianæ Religionis in his partibus, quippe quo uno præcipuè spes nitatur promulgandæ in Regno Sinarum Sanctæ Legis IESV Christi Dei Filij, latéque celebrandæ ipsius gloriæ, quotidianis Orationibus & Sacrificijs Deo enixè commendare non desinant. Quamquam ipse optimus per se Dominus, intimè conscius tuæ incensæ in ejus obsequium voluntatis, & æquus æstimator tam utilium ad Regni sui dilatationem tuorum operum, seclusâ etiam suffragatione servorum suorum, suapte sponte non deerit, quin peculiari te resque tuas favore ac patrocinio semper amplectatur; & vota desideriaque fortunet ad tam sanctum finem juvandæ Prædicationis Evangelicæ, aggregandarumque

que ad Christi Fidem Animarum errantium intenta. Si negotium demandatæ tibi, Domine, ab Indiæ Prorege legationis ad Sinarum Regem, exitum tandem prosperum in annum sequentem nanciscereturage, quæso te, cum Patre Francisco Perezio meo jussu Goam navigaturo, ut illic impetret à Patre Gaspare Barzæo Rectore Collegij Goani unum è Nostræ Societatis Sacerdotibus, quem tecum, Domine, solvens in Sinas duceres. Huic vellem ferendas tradi sacras vestes exquisitioris pretij, quas, ut scis, ad illam profectionem paraveramus. Eas, disturbato negotio, reliqui Malacæ custodiendas Francisco Perezio, à quo illas poteris recipere, ostensis illi meis hisce literis, quæ abundè fidem facient meæ circa hoc voluntatis. Calicem, partem illius sacræ supellectilis alteram, quem mecum hùc extuli, mittam ad Te per Thomam Scandelium, ut, si tibi videtur, ei quoque Patri tuæ Legationis comiti tradatur. Irem, Domine, cum tuis Malacam, si sperarem te anno proximo in Sinas profecturum. nunc sequor verisimiliorem spem in Sinas hoc anno transmittendi, quam in Mercatore Cantonensi constitui; quæ si (quod Deus prohibeat) me deficeret, omninò jam decrevi adjungere

re me comitem Iacobo Vasio Aragonio, Sionis Regnum, ut dictum est, petenti; unde facilè confido, me anno sequente, Lembo Sinico ex ijs quos Iuncos vocant, Cantonem appulsurum: atque adeò, si tua, ut modò dicebam, legatio, anno saltem sequenti, cursum suum teneat, spero nos invicem (quantâ mutuâ consolatione Deus scit) Comaij aut Cantone occursuros. Scribe, oro te, ad me, si qua erit occasio, in Sionis Regnum, quid constitueris; nam in omni eventu gratissimum mihi erit, qui sit rerum tuarum status ex tuis literis cognoscere. de minutis singularitatibus conventionis nostræ cum Mercatore Sinensi circa meam deportationem in Vrbem Cantonem, plura modò non refero, quòd ea differere tutius & jucundius fuerit re jam transactâ: Itaque illa expecta literis quas ad te spero me daturum Manuëli de Chaves. Si quid Nostri Patres Malacæ, Goæ, aut uspiam conferre possent ad expediendum negotium tuæ legationis, adhibere illorum operam ne dubita. Franciscum Perezium, Gasparem Barzæum, alios omnes ubicumque fuerint, quidquid potuerint ad nutum exequi paratissimos habebis; utique qui præclarè sciant, quàm id mihi cordi sit: sed & (quod

caput

caput est) persuasissimum habeant, esse totum istud negotium multò maximi momenti ad Dei Domini Nostri Gloriam, & Redemptionem infelicium magno numero Lusitanorum, qui servitutem miserrimam in Ergastulis Sinarum patiuntur. in quale infortunium incidisse nuperrimè, tristissimo quodam casu, summum meum Amicum Franciscum Pereriam de Mirandâ, modò audio, dolore meo sanè maximo. Sentio enim, & nequidquam gratus recolo, quantum illi viro debeam; ob multa magnaque humanissimè nobis impensa officia & beneficia, cum Firandi apud Iaponem unà nobiscum esset, habens secum numerosam Comitum, quibus præerat, pariter benevolorum manum. Literas quas Dominus Prætor Indiæ, Regi Sinarum à te reddendas dederat, imprudens mecum hùc tuli. Eas ad te cum his remitto. Iterùm rogo ne, Domine, gravêre, literas ad me in Regnum Sionis dare. nam planè, ut jam significavi, certum mihi est, si spes (quod absit) à Mercatore Sinâ evanesceret, in Regnum Sionis tendere; & viam illam penetrandi ad Sinas tentare. quàm si saltem fortunare Deus Dominus Noster dignabitur, ibo expectatum te scilicet in Aulâ Regis Sinarum

rum, nisi vinctus Cantone detinear. Omninò, inquam, si qua mihi, propitio Superûm favore, pandetur adeundi Sinas via, in altero diversissimorum inter se locorum, dissimillimarum vitæ conditionum ac statuum me reperies; aut captivum in Cantonensi carcere, aut Pechini (quâ in Vrbe commorari Regem Sinarum aiunt) operientem adventum tuum, & quasi anteambulonis, aut metatoris tui fungi officio conantem. Verbum non addam, postquam rem verissimam affirmavero; tanto me teneri desiderio sciendi quid agas, ut valeas, quo loco res & spes tuæ sint, ut si essem locuples, talium nuncios auro contra non caros habiturus: quin & pretiosissimorum profusione donativorum promptissimè fuerim empturus: præsertim cum ex Christi IESV prono in te, quantum intelligo, favore confidam, ea me de te à vera referentibus cogniturum, quæ maximè cupio. Deus Dominus Noster, si quidem ad sui sancti obsequij rationes ita expedire noverit, nos in Sinensi Regno videre invicem annuat. Sin aliud ipsi fortè decretum est, in sui certè nos congreget felici Statione Paradisi. Vale. Sanciano, pridie Idus Novembris Anno CIↃIↃLII.

Tuus

Tuus Servus & ſummus Amicus ex animo.

*Franciſcus.*

## EPISTOLA XII.

### PATRI FRANCISCO PEREZIO SOCIETATIS IESV.

*Gratia & Amor Domini Noſtri* IESV *Chriſti adſit ſemper nobis auxilio & favore. Amen.*

LEmbo hinc ſolvente Gaſparis Mendezij, uni ex ejus vectoribus Franciſco Sanctio dedi ad te literas, quas ſpero redditas; & quod ijs mandabam, itemque quæ per haſce præſcribo, ut effecta des, magnoperè tibi cordi eſſe; atque adeo ſedulitate accurari maximâ cupio. Octavum jam diem hîc in horas expecto Mercatorem qui me clàm importaturus in Vrbem Cantonem eſt. Hunc ego, niſi caſus humanâ vi major obſtiterit, ut confidam omninò venturum, facit magnitudo promiſſæ mercedis, ipſius etiam æſtimatione

ac

ac judicio notabilis. numerum enim Piperis, si me incolumem Cantone sisteret, eum ostendi me daturum, ex quo lucrum pretij aureorum facilè nostratium plusquam quinquaginta supra trecentos se redacturum intelligit. Hanc facultatem tam carò emendæ transmissionis ad Sinas meæ, summo Amico meo Iacobo Pereriæ debeo. ex hujus enim volentis & liberalissimè condonantis penu tantum istud pondus pretiosæ frugis mihi ad manum est. Rependat illi Deus meâ vice, quod semper debiturus ipsi sum. utique solvendo impar. Vos autem hortor universos, ut pro virili annitamini de hoc viro quàm optimè mereri, ubicumque per Indiam opis, officij, auxilijve ipsi cujuspiam impendendi sese obtulerit occasio. arripite avidè ansas omnes ejus causâ operæ navandæ, nec contentioni in hoc ulli parcite. nunquam, vel extremo conatu, conspirantes utcumque simul omnes, valebimus rependere, uel hoc ultimum beneficium redimendæ tantâ suâ impensâ, tam utilis ad propagationem Nostræ Sanctæ Fidei, introductionis nostræ in Sinarum Regnum, tam impenetrabiliter hactenus Evangelio clausum. Per hanc quippe habebit Societas Iesv quam votis omnibus exoptat

ptat facultatem dilatandi Regni Christi, adjungendis Ecclesiæ tot illis Imperij vastissimi Populis; & videlicet (ut jure principijs progressus imputantur) totum illud debebit beneficientiæ hominis unius Iacobi Pereriæ, qui è re suâ privatâ sumptûs omnes suggesserit itineris hujus mei ad tantam rem auspicandam necessarij. Rescias ex ipso velim, ecquid se confidat eluctaturum obstacula Legationis, & anno consequente Cantonem venturum? Ego id quàm valdè cupio, tam parùm spero. Vtinam meam diffidentiam successus opinione lætior refellat. Ignoscat Deus illi homini qui est causâ tanti mali. Plurimùm metuo ne graviſſima illum citò excipiat læsi Numinis ultio. nec multùm aberit quin ejus jam sentire primos occeperit appulsus. Scribo ad ipsum Pereriam, ut si, contra quam spero, negotij exitum expedierit, adjungere sibi ne gravetur soluturo in Sinas Comitem unum è Noſtris, quem illi Gaspar Barzæus Goâ submissu.us ad hoc est, modò admoneatur in tempore. Sic enim illi per literas mandavi. Sin, quod verisimilius reor, desperato Legationis successu, Pereria navem suam, Malacâ omissâ, directurus Sundam est, nihil erit tum necesse destinatum illi Sinicæ profectionis comitem

Sacerdotem Noſtrum Goâ Menſe Majo Malacam petere. de quo, ut dixi, Gaſparem Goanum Rectorem tempeſtivè præmoneri oportebit per te ipſum; quem propterea vellem, antequam Malacâ ſolveres, exploraſſe ad liquidum quid ſit Pereria facturus. Ferreriam eieci è Societate. nam ineptus ad illam eſt. quare tibi, cum Cocinum appulſus Collegij regimen capeſſieris, mando in virtute Obedientiæ, ne illum Domo excipias. Eum tantum quoad poteris hortare, ut ad Franciſcanorum vel Dominicanorum Fratrum ſe inſtitutum transferat; tum ſi perſuaſeris, age cum illis Patribus, ut eum admittant. Scribes etiam Patri Gaſpari Barzæo Goam: me omninò pro imperio vetare; ne Ferreriam in convictum noſtrorum, aut ſub tectum Collegij recipiat. ſolùm juvet illum quantum poterit ad Tranſitum in alterum ſacrorum Ordinum Sancti Franciſci aut Sancti Dominici. *Si* DEUS volente Cantonem tenuero, dabo anno ſequente pro virili operam, ut vos ejus ipſius rei nuncio impertiam, ſcriptis illinc in Indiam literis, quas curabo quàm optimè licebit, perferri ad navem Choromandelem petituram. Vtar ad hoc navigio Pereriæ ex hac Orâ redituro Malacam. ubi utinam occurrat

in

in tempore ante discessum navium quæ Choromandelem versùs statâ tempestate consueverunt inde solvere. Hoc si successerit, poteritis intra Mensem Martium Cocini de meo Cantonem appulsu certiores fieri. Ad eam rem expediet, te Malacâ discedentem commendare Vincentio Viegæ, ut simul appulisse illuc cognoverit navim Pereriæ reducem ex Orâ Sinicâ, requirat recipiatque si quæ in eâ literæ meæ fuerint; easque Choromandelensi viâ dirigat Cocinum. ne autem, cum in Choromandelis Oram fuerint perlatæ, ibi negligantur; præsertim si, quod pronum eventu est, illic tum fortè defuerit opportunitas ulterioris maritimæ vecturæ, Iacobum ipsum Pereriam te præmuniviſse conveniet, maturéque orasse: ut eas literas cum suis ad Te Cocinum, expedito viâ terrestri Tabellario, mittere ne gravetur. Quod tuum Malacâ discessum attinet, in ejus procinctu commendes censeo Vincentio Viegæ custodiendam tum Domum illic urbanam nostram, tum suburbanam Ædiculam, à Sacello adjuncto Dominæ Nostræ Deiparæ dicato, nominatam. Orabis ergò eum, ut curæ custodiæque suæ utrumque illud Societatis Domicilium committi patiatur. Ac ne fortè processu temporis, aut ipse, aut ejus

nomine quispiam, quæsitum illi jus quoddam in loca illa opinetur, trade in manum ipsi exemplum Donationis, quâ Dominus Episcopus Ædes illas jure quàm optimo Societati Iesv in perpetuum transcripsit: simulque Syngraphum exige quâ Vincentius testetur, se depositi nomine, ad custodiam duntaxat, habitationem utramque illam, Societati cum repetierit reddendam, sub tutelam & patrocinium suum sumere. Ipsas verò authenticas Donationis tabulas, & Archetypum diploma Domini Episcopi tecum ablatum, Cocino viâ tutissimâ deportandum Goam cura, illic in Sancti Pauli Tabulario servandum. Porrò te in consilio Malacâ discedendi planè jubeo irrevocabiliter fixum persistere. vetoque omninò, ne cujusquam quantisvis precibus, aut fallacibus promissis, induci patiaris ad illic hærendum; neve pergas operam, longè utiliùs, ut nunc res est, ubivis alibi locandam, in eâ ingratâ, & eo subsidio indignâ Civitate perdere, prout ex aliquo jam tempore contigit. Cum bono isto Sacerdote, quem modo nominavi, Vincentio Viegâ, poteris, si tibi videbitur, relinquere isthic Bernardum nostrum, ut quod hactenus fecit, docere pueros primores literas, & orationes elemen-

mentares, ac Fidei Christianæ rudimenta, pergat. Hoc tamen totum arbitrio tuo permitto. delibera quid magis expediat: & prout conducibilius judicaveris, aut illum abduc tecum, aut permanere ibi jube. Ferreriam è Societate amandatum navigare in Indiam nollem in eadem tecum navi. quare da operam, quantum poteris, ut aliam conscendat. Sin aut copia navis alterius non erit, aut ipse utique non feret avelli à te; magnoperéque oraverit, ut tecum eum tollas, indulgeas id licet: sed eâ disertè denunciatâ conditione: si sanctè polliceatur, se in alium Religiosum Ordinem transiturum. Id duntaxat ubi clarè promiserit, juva illum & fove pro tuâ copiâ, eâ benignitate caritatis, quæ ipsum possit in isto proposito firmare. Interpres quem scripseram, velle mecum in Sinas ire, ab illo consilio metu resilijt, meque destituit, hîc hærens. nos in jaciendæ cujuscumque aleæ decreto persistimus, freti Dei auxilio, tria omninò capita, Antonius, Christophorus, & ego tertius. Ora plurimum pro nobis Divinum Numen. nam periculum diræ servitutis præsentissimum adimus. Sed consolatur nos hoc reputantes, quod persuasissimum habemus: longè præstare captivum

& vinctum esse solo Dei Amore, quàm libertatem quantumlibet jucundam, fugâ laborum Crucis Christi ignavâ ingratâque emere. Si fortè contingeret Mercatorem Sinam, ex quo spes nostri Cantonem trajectûs pendet, aut metu, aut aliâ ex causâ, consilio mutato, fidem fallere, in tali jam nunc eventu constitui navigare in Sionis Regnum, cujus cursûs præsens facultas adest. Causa consilij est: quod comperi adornari navem illic Cantonem ituram, intra quàm me insinuans, si Deus faverit, appellam ante annum vertentem in tot votis optatum littus. Salutabis à me perofficiosè Amicos illic nostros omnes, præsertim Vincentium Viegam. Deus Dominus Noster nos in Paradisi Gloriâ conjungat. Vale. Ex hoc Sancianensi Portu pridie Idus Novembris Anno CIↃIↃLII.

*Franciscus.*

EPI-

## EPISTOLA XIII.

### PATRIBVS FRANCISCO PEREZIO MALACAM, ET MAGISTRO GASPARI BARZÆO SOCIETATIS IESV GOAM.

TIbi Pater Franciſce Perezi ſoluturo, prout antea mandavi, verſus Indiam ex Vrbe Malacâ, enixè per has mando, magnopereque oro, ut miſſis his ipſis meis Goam ad Gaſparem Noſtrum literis, per eum alioſque qui ſunt illic Socios; impetrari quamprimum cures à Domino Epiſcopo canonicam declarationem excommunicationis in quam incurrit Alvarus Præfectus Malacenſis, ob impeditam profectionem meam in Sinas. In eâ re ſic procedi debere cenſeo. Adeatur à Noſtris cùm Dominus Epiſcopus, tum ejus Vicarius. utrique oſtendantur Bullæ Pontificiæ circa Inſtitutionem, Confirmationem, & Privilegia Societatis Iesv. Exhibeatur etiam ſeorſum Breve Pontificium in Pergamenâ chartâ, promendum ad hoc ex arcano Collegij Sancti Pauli apud Goam Tabulario, quo Brevi me nominatim Summus Pontifex creat & conſti-

tuit Legatum ſuum in his partibus Indiæ. His viſis, rogentur ambo, ut quoniam, contra manifeſtum in contrarium Societatis Iesv, vi Pontificiorum diplomatum, & meum privatim jus, ob ritè collatam mihi autoritatem Legati Sedis Apoſtolicæ, Dominus Alvarus Gama Præfectus Vrbi Malacenſi per vim obſtitit, ne in Regnum Sinarum Prædicandi causâ Evangelij me conferrem; & quam ad id facultatem à Domino Indiæ Prætore ritè perſcriptam demonſtrabam, flocci fecit, irritamque rebelli contumaciâ reddidit; contemnens præterea præſentem autoritatem, jus meum & Domini Noſtri Regis non dubiam in id voluntatem aſſerentis Domini Franciſci Alvari, tum Arci Regiæ, ſitæ in Vrbe Malacâ, præſidentis, ſupremique inſuper Quæſtoris & Ærarij cuſtodis, cui obedire præfractè abnuit. His ſceleribus quoniam is, præter crimen perduellionis in Regem, etiam Eccleſiaſticum anathema Bullis Pontificijs intentatum, haud dubiè conſcivit; petere nos ut id ipſum declaretur ritu ſolito, & in eo loco, ubi piaculum iſtud patratum eſt, ejus Autor palàm denuncietur ſegregatus à Communione Catholicâ, & ab Eccleſiæ corpore tam nefarij facinoris meritò reſectus. Mittatur autem diploma Domi-

ni

ni Episcopi hoc clarè indicans, Malacam, cum ejusdem literis ad suum Proëpiscopum ibi residentem; quibus eum jubeat curare, ut è sacro pulpito ad congregatum die Dominicâ populum in Ecclesiâ, suæ istæ de more literæ recitentur. Hoc cur per vos postulari, & reipsa sic fieri omninò velim, duplex mihi causa est. Prior, quia cupio, quantum possum ipsi illi, cujus me miseret, consulere tam acerbæ injuriæ autori. nempe is adhuc ignorat in quantam perniciem inciderit. quem est verisimile, per declarationem publicam, diri, quod suum in caput temerè attraxit, anathematis, quodam horrore tantæ calamitatis excitandum in aliquem fortè sensum pœnitentiæ, qui ei salutis initium esse possit; curam utique injciens emerendæ legitimis piaculis ab Ecclesiâ, per ei Præpositos, canonicæ absolutionis. Altera quæ me ad hoc impellit ratio pertinet ad prævertendos in posterum tam pernicioses Evangelicæ Prædicationi ausus improborum hominum. Video enim usu plerumque venturum, ut Apostolici Operarij Societatis Nostræ in varijs Indiæ Portubus opportunitates nanciscantur navigandi, promulgandæ Christi Legis gratiâ, in Iaponem, Moluccum, aut loca similia; quos, qui habent in ijs locis potesta-

ſtatem Præfecti Regij, avaritiâ, invidiâ, ſeu quo alio furore in tranſverſum acti, ludificare ac fruſtrari, prout mihi contigit, poſſent. ne id ergò iſti ſe impunè attentaturos autument, infamandum fœdo eventu noxium exemplum eſt, & tantâ ignominiâ deformandum, ut quos Dei reſpectus parùm movet, judicia hominum, macula nominis, ſtigmaque velut inuſtum fronti ad ſummum dedecus, abſterreat. Compertum habeo quoſdam iſtorum eò in talibus ruere fidentiùs, quòd nefarijs id genus factis quantæ ſint pœnæ conſtitutæ, partim non meminerint, demerſis in ſordidas curas animis, partim etiam Chriſtianæ Diſciplinæ pudendum in modum rudes, ignorent. Horum obijci admoverique ſemel ſenſibus oportet experimentum Eccleſiaſticæ ſeveritatis conſtitutum in illuſtri capite, quo admoniti cunctentur aliquantulum, dum inſtigabuntur ad attentandum Religioni noxium facinus; & gnari quanto in iſtis periculo peccetur, licentiam formidine coërceant. Has Domini Epiſcopi, vel ejus Generalis Vicarij literas exortem Sacrorum & diris devotum Præfectum Malacenſem declarantes, deportet Malacam Ioannes Beira, vel quicumque alius noſtrorum eò ſe conferet ſoluturus

turus inde versùs Iaponem; Ibique Malacæ in manus tradat Proëpiſcopo. qui ne moram exequendi quod opus eſt faciat, exorandus erit Dominus Epiſcopus, ut vel ipſe per ſe, vel juſſu eius ac nomine Vicarius ipſius, Epiſtolâ in id propriâ, Proëpiſcopo Malacenſi ſub anathematis pœnâ imperet, ne promulgare differat in Eccleſiâ excommunicationem contractam à Domino Alvaro. Vos verò, per Deum, cavete ne hoc meo mandato negligendo graviſſimum violatæ obedientiæ conſciſcatis crimen. Facite autem, ut ante annum vertentem veſtris literis cognoſcam quâ veſtrâ diligentiâ, quove ſucceſſu totum hoc negotium accuraveritis. Me quod attinet, dum hæc ſcriberem hîc ſtabam in anxio procinctu trajectûs ex Inſulâ in Continentem Sinicam. Curſus eſt, propter rerum præſentes anguſtias, peræumnoſus; tum ob præſentiſſima pericula gravium malorum ſupra modum anceps, & ſævis terroribus æſtuans. quò tandem ſit alea caſura, pendeo equidem incertus animi; certus tamen conſilij, nec non arcanâ vigens fiduciâ ſucceſsûs, eventu qualicumque, tamen in bonum aliquando profecturi. Spes Cantonenſis Portitoris in horas expectati, ſi me ad extre-

extremum, quod abſit, deficeret, deliberatum, ut dixi, habeo, navigare in Sionem, unde tranſmiſſionis in Sinas nonnulla facultas oſtentatur. Ea quoque ſi caſu quopiam evaneſceret, tum ſanè reflecterem curſum in Indiam. Sed auguratur animus, opus eo extremo conſilio haud fore, credere pertinax ratas futuras priores ſpes; me voti compote aliquando ad Sinas appulſuro. Vnum vobis, mihi planè certiſſimis compertum argumentis, omni aſſeveratione confirmo, perſuaſiſſimumque volo eſſe: incredibiliter exhorreſcere Diabolum Societatis Iesv ingreſſum in Sinarum Regnum. apparet omni ejus rei conatu tangi velut pupillam ejus oculi. ita impotenter efferatur; ſic ſe in adverſum arrigit; adeo vehementibus contrà furijs erumpit. Accipite hunc à me indubitatiſſimum Nuncium ex hoc Portu Sancianenſi, ubi cum in ſingula momenta admoliri eum nobis tot alia ſuper alia, velut ſemper prioribus diffiſum, Sinici trajectûs obſtacula ſentiam, quot enumerare, aut fando exequi ſi coner, nullus finis ſit: clarè videlicet intelligo, cani claſſicum in caſtris Tartari, conſternatoſque malos Dæmonas univerſos in armis, pro ſuo quaſi vallo, contra nos ſtare. Sed & illud nihilò

hilò vobis minus liquidò perſpectum eſto: certò confidere me, fretum utique auxilio, gratiâ, favore nuſquam defuturis Dei Domini Noſtri, fore omninò ut Iesvs Chriſtus Noſter Redemptor ac Dominus, irritum immanis voti, ac ſpei caſſum inſanæ, ſalutis humanæ hoſtem, Orbis univerſi ludibrijs exponat; tantò illuſtriore Divinæ ipſius Majeſtatis Gloriâ, quantò viliore uſus ad rem tantam inſtrumento, me videlicet omnium deſpicatiſſimo, ſuperbiſſimum illum Genium tantâ ſui opinione ſubnixum dejecerit ac riſui propinaverit incomitiatum & exploſum. Te deinceps hîc propriè appello Magiſter Gaſpar, orans etiam atque etiam, ut memineris ſummâ diligentiâ cuncta exequi quæ tibi diſcedens partim voce præcepi, partim ſcriptò complexus in chartis tradidi. Horum cave oblivio tibi obrepat, quominus effecta reddas in tempore ſingula; quòd fortè me mortuum autumans, tibi videaris juris tui factus, nec meo ampliùs obnoxius imperio. Recolo pari occaſione meæ longinquæ abſentiæ quoſdam iſthic errore ſimili prolapſos. Atqui ego quidem non prius moriar quàm Deus me mori voluerit. diù profectò eſt, quod mihi vita tædio, mors in voto eſt. fruſtra tamen humana

mana curiositas conflictetur circa horam mei obitûs. quam æterno utique decreto fixam, nec præcipere nec morari vanæ opiniones queant. Hoc monitum eò pertinet. uti ne nimis tribuendum judicio tuo putes: prout aliàs, si recordaris, Tibi excidit aliquid indulgere proprio sensui contra præscriptiones meas; in quo rem-ne acu tetigeris, an ratio te fugerit, Deus scit. nollem anno fortè proximo revertens, isthic invenire quod foret necesse castigare. Adverte sis animum ad quod mox addo. Admittendorum in Societatem habeas, moneo, severissimum, pene dixero, fastidiosissimum, delectum. qui pauci examinis, ut sic dixerim, præliminaris acerrimis indagationibus satisfecerint, ij rursùs explorentur cunctis per ordinem experimentis domestici Tyrocinij, nempe aliquorum ultrà rudimenta progressorum eos mores video, qui me cogant diffidere judicijs quibus probari potuerunt, homines (ut res demonstrant) tales quos Domo extrudi famæ ac quietis Nostri Ordinis interest. Ejusmodi exemplum vitare non potui quin ederem in Alvaro Ferreriâ; quem à me deletum ex Albo Sociorum, cave, isthuc si venerit, Domo recipias. Ad transeundum in aliam Religiosam Familiam consilio licet

ho-

hominem operâque adjuves: reditum in Societatem quantavis instantiâ poscenti ne indulgere possis unquam, scias te, quam mihi debes, obedientiâ prohibitum. nam ex animi mei sententiâ pro potestate veto: ne Alvarum Ferreriam Domum admittas, quem scio ad Instituti Nostri rationes minimè accommodatum. Si quo casu hæc Epistola alium Goæ Rectorem quàm Gasparem Barzæum reperiet, is Rector quicumque fuerit, quæ Gaspari mandabam, sibi perinde præscripta intelligat. Ex Portu Sancianensi Idibus Novembris Anno CIↃIↃLII.

*Franciscus.*

LAVS DEO.

AD EPISTOLAS NOVAS

# S. FRANCISCI XAVERII

## INDICVLVS EXEGETICVS

*Quo ad singulas, quoties visum est necessarium, nonnulla declarantur utilia scitu Lectoribus.*

## LIBER PRIMVS.

### *EPIST. I. D. Capit. Aspilcuetæ Obanum. Pag. 1.*

HVjus Epistolæ duo exemplа accepi. Alterum à R. P. Sebastiano Isquierdo Assistente Hispaniæ, descriptum ex Archivio Collegij Complutensis, curâ R. P. Laurentij de Colomes ejus Collegij Rectoris, Kalend. Iulij Anni 1665: Alterum missum à R. P. Michaële de Arbizù Præposito Provinciæ Castellæ Societatis IESV, ex cujus literis ad R. P. Martinum de Esparza Romam datis 6. Martij An. 1666. hæc apponenda hoc loco visa sunt: *Capitaneus Aspilcüeta, cui S. Franciscus Xaverius inscripsit Epistolam, cujus exemplum cum hac mitto, dandam P. Possino, vocabatur, Capitaneus Ioannes de Aspilcueta & est idem ipse quem Doctor Navarrus laudat in suo Manuali cap. XV. num. 18. Habebat ille tunc in Matrimonio Filiam Domini de Sotes, Sororem Nostri*

*Proa-*

*Proavis & diversabatur in Ædibus nostræ Familiæ, Obani*. Hactenus ille R. P.

Ad Calcem huius Epistolæ in neutro exemplari comparebat anni nota. Sed in fronte alterius à R. P. Michaële de Arbizù missi, hæc leguntur: *Exemplum Epistolæ S. Francisci Xaverij scriptæ ad Capitaneum Aspilcüetam eius fratrem, diversantem Obani, qui locus tribus leucis Pampelona distat. Scripta autem est an. Chr.1535.* Ita ibi. rectissimè. Non enim est dubium in Nostrâ Historiâ, Sanctum Ignatium, cui Lutetiâ in Hispaniam proficiscenti hæc Epistola tradita est ferenda, memorato anno 1535. istud iter suscepisse. Verum de Anni tempore cui potissimùm ista Sancti Patris profectio assignanda sit, controversia est inter antiquiores Rerum nostrarum Scriptores, & recentem accuratissimum Danielem Bartolum. Nam Ioannes Polancus in Historiâ Societatis Manuscriptâ, quæ asservatur in Nostro Archio Romano, disertè tradit: sub finem anni 1535. profectum esse Sanctum Patrem Lutetiâ in Hispaniam. at Ioannes Petrus Maffeius Vitæ Ignatij Lib.2. cap.1. discessisse illum inde *Anno 1535. per autumni tempus*, affirmat. Postremò Nicolaus Orlandinus Lib.1. Hist.Soc.num.99, *vergente ad exitum huius sæculi anno quinto ac trigesimo*, relictis Lutetiæ socijs S. Ignatium se in Hispaniam contulisse memorat. Hæc invicto argumento evidentissimè Bartolus refellit, lib.2. de Vitâ S. Ignatij num.23. demonstrans ex certâ fide Actorum Sancti Patris in Hispaniâ, fuisse illum Aspetiæ, propè natale Castrum Loyolæ, ante festum Ascensionis Christi illo anno 1535. celebratum; atque adeo decem diebus qui

Ascensionem & Pentecosten intersunt, decem legis Dei præcepta, ununquodque ipsorum uni diei assignando, ibi Auditoribus magno numero concurrentibus declarasse. Vnde manifestum est, multò ante autumnum ejus anni S. Ignatium discessisse. quando autem præcisè discesserit, docet nunc primùm hæc Epistola, procincto ad iter Ignatio à Xaverio data, scriptaque ab ipso, die, vt in eâ notatur, quintâ & vicesimâ mensis Martij, pridiè, ut verisimile est, profectionis ejus. Atque hinc manasse arbitror famam quæ Polancum in fraudem induxerit. Audiverat is scilicet à Primis Patribus: Ignatium Lutetiâ Hispaniam versus in viam se dedisse sub finem anni. revera enim, more tunc in Galliâ recepto numerandi annos non à Nativitate, sed ab Incarnatione, & auspicandi eos non à Ianuario, sed ab Aprili, aut festo Paschæ, Ignatius sub extremum spatium vergentis ad metam anni Parisios reliquit. Anni tamen non 1535. sed 1534. hunc enim annum Mense Martio alibi currentis anni 1535. adhuc numeratum Lutetiæ, certò constat ex veteri Codice hodieque servato in Tabulario Academiæ Parisiensis, in quo scriptum extat: Claudium Iajum ad Magisterium ritè fuisse promotum die Sabbati, sexto Martij Anni 1534. Annus Æræ communis 1534. inchoatus à Kal. Ianuarijs Cycli Solaris numerum habuit tertium, cui respondet litera Dominicæ index, D. Ea porrò litera cum in Kalendario Romano diem Martij octavum insigniat, septimus vero ejusdem mensis dies literâ C. notetur & sextus literâ B. manifestum est illo anno 1534. sextum Martij diem Sabbati non fuisse. Id enim competit sequenti anno 1535. qui

Cyclum

## Indiculus exegeticus.

Cyclum numeravit Solis 4. Dominicalem habuit literam C. quam cum immediatè præcedat B. diei sextæ Martij index, apparet illo anno Sabbatum in sextum Martij diem incurrisse. Itaque qui alibi numerabatur illo Martij Mense Annus Christi 1535, Parisijs 1534. computabatur. Definebat igitur Lutetiæ, more illic tunc recepto numerandi, annus 1534, cum inde discessit Ignatius. Polancus porrò, quòd Ignatium iviſſe Parisijs in Hispaniam sciret eo planè anno quem plerisque in locis Christiani 1535. numerabant, idque comperisset ex Traditione domesticâ, contigisse sub finem anni, & credidit & persuasit Maffeio & Orlandino, discessum illum contigisse anno 1535. in exitum vergente. Atque ego dum perpetuam Xaverij consuetudinem reputo anni notam apponendi suis literis, facilè adducor ut credam, ideo illum hoc facere omisisse in hâc duntaxat Epistolâ, quòd sciret in Hispaniâ, quò scribebat, annum iam tum 1535. à Kal. Ianuarij numerari ceptum. unde cum nec Parisijs ubi tunc erat, aliam posset anni notam quam illic usitatam ponere, & si eam poneret, vereretur ne sua Epistola minus recens quam vellet Fratri videretur, facilè opinaturo datam illam Mense Martio superioris anni, abstinuisse indicatione anni, solâ diei expressione contentum. Hæc in hanc primam Epistolam admonitu non inutilia sunt visa. reddamus deinceps cæteras.

## EPISTOLA II. Pag. 10.

S. Ignatio. Exscripta est à me ex Archetypo in Tabulario Domûs Romanæ servato.

Epistola III. Eidem pag. 13. Descripta item ex Archio Romano.

Epistola IV. Eidem pag. 26. Ex Archio Romano.

Epistola V. Doctori Martino Navarro. pag. 30. Hujus exemplum accepi à R.P. Dominico Langa Assistente Hispaniæ.

Epistola VI. Petro Codacio. pag. 33. Ex Archio Romano.

Epistola VII. PP. Ignatio & Codurio. pag. 37. Hujus exemplum duplex ex Hispaniâ accepi. alterum communicavit mihi R.P. Sebastianus Isquierdo successor modò memorati R.P. Dominici Langa in Assistentiâ Hispaniæ. alterum misit R.P. Michaël de Arbizù Provincialis Castellæ.

Epistola VIII. PP. Iajo & Lainez. pag. 49. Hujus Autographum principio mutilum asservatur in Collegio Mussipontano Soc. Iesu, unde gratiâ R.P. Nicolai Rogerij Præpositi Provinciæ Campaniæ Soc. Iesu, & R. P. Caroli Francisci de Haraucour ejusdem Collegij Rectoris, Apographum accepi.

Epistola IX. Francisco Mansillæ. pag. 58. Descripta ex Aurographo servato in Tabulario Domus Professæ Goanæ Soc. Iesu operâ P. Alexandri Philippuccij nunc Francisci Xaverij vocati. Idem monuit Ioannem Artiagam cujus in illa fit mentio, fuisse Sæcularem Laicum, professione Militem, qui S. Francisco Xaverio sponte ministrabat. nec obstat quod eum alicubi fratrem vocat. Sic enim & Epist. 2. Lib. 1. quendam D. Petrum Sæcularem hominem, fratrem carissimum appellat.

Epi-

Epistola x. Eidem. pag.60. Ex Tabulario Goano. Fana sive Fanoë moneta est Indica æquivalens duobus Regalibus argenti. Orracha vini genus ex palma expressi. Patangates vel Patangatini erant quasi Decuriones, aut Magistri Vicorum, singuli singulis Holdeis, hoc est Mapalibus certo numero familiarum Pauperum in Tugurijs sparsim habitantium constantibus, Præfecti.

Epistola xi. Eidem. pag.64. Ex Tabulario Goano.

Epistola xii. Eidem. pag. 66. Ex Tabulario Goano. Iniquitribirimus, nomen Regis Travancoris.

## LIBER II.

Epistola i. Catechistis è Soc. Iesu. pag. 72. Ex Archivio Goano.

Epistola ii. Animabus sal. æt. cupidis. pag.78. Hoc scriptum prout hïc Latinè è Lusitanico Sermone redditum legitur, concinnavit è varijs exemplaribus P. Xaverius Philippuccius. Solitus erat Sanctus Indiarum Apostolus, prout ipse aliquoties in his ipsis Epistolis testatur, ijs quos è fæce vitæ improbæ, salutari pœnitentiâ instinctos eduxerat, proponere formulam emendatè pieque vivendi, hanc ipsam, partim ore ac voce vivâ rudibus tradens, partim literis expressam & in multa vulgatam exempla, quoquo versum spargens; aut etiam in loco publico defigens unde facultas describendi esset, quod Gaspari Barzæo ut faciat suadet Epistola iv. Libri iv. post medium, ubi se hanc for-

formulam Christianè vivendi clarè testatur digessisse. Quid igitur in eâ concinnandâ (quod modò indicavi) Philippucius fecit? dicam. Multa & varia per Indiam fuerunt hujus Paræneseos exemplaria, alia alijs auctiora, quibusdam aut detractis, aut additis, pro conditione locorum in quibus vulgabantur, aut singularium personarum ad quarum præsentem accommodabantur usum. Ex his comparatis Philippucius unum hoc exemplum contexuit; cui etiam inseruit versiculos affectum puri amoris in Deum informantes, quos nos ex Cantilenâ adhuc hodiè per Indias in usu ac hominum memoriâ vigente, rhythmicis numeris linguæ Lusitanicæ illic vulgaris à Sancto ipso Xaverio, ut fert traditio, compositâ, Latino, ut proximè potuimus, metro expressimus.

Epistola III. Francisco Mansillæ Soc. Iesu. pag.97. Ex Archio Goano.

Epistola IV. Eidem. pag. 101. Ex Archio Goano.

Epistola V. Eidem. pag.104. Indidem.

Epistola VI. Eidem. pag. 106. Indidem descripta. Franciscus Coëllius cujus in hâc, & alijs quibusdam, Epistola fit mentio, fuit Sacerdos sæcularis quo S.Franciscus Xaverius adiutore in multis per ea tempora & loca utebatur. Pulæ vocabulum illis locis sonat Satrapam aut Dynastam alicui Provinciæ jure propè regio imperitantem.

Epistola VII. Eidem. pag. 107. Indidem. Toni sive Tonæ hâc & sequentibus memoratæ Epistolis, naviculæ sunt, parvæ, remis actæ, crebri per illam oram usûs.

Epi-

## Indiculus exegeticus.

Epistola viii. Eidem. pag.110. Careæ hîc nominati sunt accolæ littoris per Oram Comorinensem piscatu victitantes.

Epistola ix. Eidem. pag.112. Indidem.

Epistola x. Eidem. pag.114. Indidem.

Epistola xi. Eidem. pag.117. Indidem.

Epistola xii. Eidem. pag.119. Indidem. Canacar hîc usurpatum nomen, in illis partibus designat Iudicem Majorem, Magistratum autoritatis illic magnæ.

Epistola xiii. Eidem. pag.123. Indidem.

Epistola xiv. Eidem. pag.126. Indidem.

## LIBER III.

Epistola i. P. Fr. Mansillæ Soc. Iesu. pag. 128. Indidem. Mudaliar nomen est in illis Partibus. significans quasi Prætorem aut Proconsulem, Regiæ autoritatis in aliquâ Provinciâ vices delegatas obeuntem.

Epistola ii. Eidem. pag.131. Indidem. Adigares hîc memorati sunt Regij Gubernatores Provinciarum subjectarum Regi Travancoris.

Epistola iii. Eidem. pag.137. Indidem.

Epistola iv, Eidem. pag.140. Indidem.

Epistola v. Eidem. pag.143. Indidem.

Epistola vi, Eidem. pag.149. Indidem.

Epistola vii. Eidem. pag.151. Indidem.

Epistola viii. Eidem. pag.152. Indidem.

Epistola ix. Cuidam è Soc. Iesu. pag.156. Ex Archio Goano nunc primùm integra prodit. fragmentum aut excerptum ejus breve dederat Tursellinus noster Ep.ix.lib.i.

Epistola x. Ioanni III. Regi. pag. 162. Ex Archio Regio Vlyssiponensi.

Epistola xi. Simoni Roderico Soc. Iesu. pag. 172. Ex Antiquo Exemplari apud PP. Soc. Vlyssipone servato.

Epistola xii. Francisco Mansillæ Soc. Iesu. pag. 179. Ex Archio Goano integra. particulam ejus Tursellinus edidit titulo Epistolæ vi. & xi. Libri i.

Epistola xiii. PP. Paulo, &c. pag. 189. Ex Antiquo Exemplari apud PP. Soc. in Lusitania servato.

## LIBER IV.

Epistola i. Catechetica ad Moluccenses. pag. 194. Ex Archio Goano.

Epistola ii. Ioanni III. Regi. pag. 231. Ex Archio Regio Vlyssiponensi.

Epistola iii. PP. Soc. Iesu in Oram Travancoris, &c. pag. 246. Ex Archio Goano.

Epistola iv. P. Gaspari Barzæo Armuziam eunti. pag. 260. Hanc nunc primum integram damus ex Archio Goano. non ignorantes editam alias hanc Parænesim, primùm à Ioanne Petro Maffejo inter Epistolas Indicas, deinde ab Horatio Tursellino Cap. xii. Libri vi. de vita S. Francisci Xaverij. Sed quia neuter illorum plenum exemplar videtur habuisse, visum est necessarium totam ex originibus denuò interpretari: confidimusque qui comparaverit, judicaturum; non frustra id factum.

Epistola v. Simoni Roderico Soc. Iesu. pag. 304. Ex Autographo apud PP. Soc. Iesu in Lusitaniâ servato.

Epi-

## Indiculus exegeticus.

Epistola VI. Ioanni III. Regi. pag.307. Ex Archio Regio Vlyssiponensi.

Epistola VII. Simoni Roderico Soc. Iesu. pag.314. Transmissa Vlyssipone.

Epistola VIII. P. Paulo Rectori Goano. pag.318. Ex Archio Goano.

Epistola IX. Ioanni III. Regi. pag.327. Ex Archio Regio Vlyssiponensi. Scripta dicitur die Corporis Christi. hoc est XII. Kal. Iulias. nam illo anno 1549. Cyclo Lunæ II. Cyclo Solis 18. Pascha fuit 21. Aprilis, Ascensio 30. Maij, Pentecoste 9. Iunij, Dominica S. Trinitatis 16. Iunij, Festum Corporis Christi 20. Iunij. quare tam hæc quam duæ sequentes Epistolæ eodem die scriptæ sunt.

Epistola X. Eidem. pag.333.

Epistola XI. PP. Paulo, Antonio Gomezio, &c. pag.336. Ex Archio Goano.

## LIBER V.

Epistola I. P. Ioanni Beiræ Soc. Iesu. pag.354. Ex Archio Goano.

Epistola II. PP. Paulo, & Antonio Gomezio Soc. Iesu. pag.364. Ex Archio Goano. hujus aliquod excerptum posuit Torsellinus titulo Epist. I. Libri III. semel hîc monendum, quod certò se comperisse scribit ad me Goâ Philippucius noster 4. Novembris 1661. multarum Epistolarum exilia & imperfectissima compendia ad Torsellinum à quodam Goano Patre fuisse missa.

Epistola III. PP. Conimbricensibus Soc. Iesu. p.373.

Hujus

Hujus exemplar accepi à R.P.Ioanne de Brisacier, Romæ, cum is rediret è Lusitaniâ, quò fuerat à R.P.N. Gosvvino Nichel Præposito Generali Societatis Iesu Visitator missus. Maximam ejus partem dudum ediderat Ioannes Petrus Maffejus Noster Lib. 1. Epistolarum ex Indiâ Epist. 1. quæ illic inscribitur, Ad Socios in Europam, cum in Nostro Exemplari PP. & FFr. Societatis Iesu Conimbricensibus inscribatur. Propter quam tamen diversitatem, exigui momenti, non fui novæ Interpretationis operam sumpturus. Verum ex collatione deprehendi sat multa in eâ Maffejanâ Editione non comparere, præsertim autem prætermissum locum insignem de gratiâ sufficienti, quam cum Hærefis Iansseniana nuper exorta reijciat, interesse publicè putavi, demonstrari quid de illâ crediderit S.Franciscus Xaverius, cujus fidem tot ac tantis insignibus miraculis Deo placuit approbare. Ac quia periculum esse video ne damnatæ sectæ Partiarij meæ Interpretationi falsi calumniam intentent, verba ipsa Lusitanica prout Sancti Xaverij manu exarata in Autographo, unde meum exemplar exscriptum est, visuntur, hîc apponam. Sic igitur se habent: *E pois à todos Deos Nosso Signor da Graça sufficiente para ò servirem, è gardarem se de peccar, esperamos em Sua Divina Magestade que no la dara. è porque todo nosso bem ou mal esta em usar bem ou mal de sua graça, confiamos muyto em os merecimentos da Santa Madre Igreja esposa de Christo Nosso Signor, è em special em os merecimentos de todos os da Compañia de Iesu, è de todos suos devotos e devotas, que nos abranjeraon tanto seus merecimentoc, que viremos à usar bem da graça do Signor Deos.*

Hæc

Hæc ibi. quæ si quis cum meâ Interpretatione contulerit, fidem, spero equidem, ejus non requiret.

Epistola iv. PP. Paulo, & Antonio Gomezio Soc. Iesu. pag.391. Ex Archivio Goano.

Epistola v. Ioanni Bravio. p.398. Ex Archio Goano.

Epistola vi. D. Petro de Sylva Præfecto Malacensi. pag.404. Ex Archio Goano. Quod in hac Epistolâ mentio fit Patris Domini Petri de Sylvâ: quodque Epist. iii. Libri vii. Frater ejus nominatur ille Præfectus Vrbi Malacæ qui legationem Pereriæ Sinicam disjecit, ut ea omnia intelligantur, non erit abs re semel hîc admonere: Vascum Gamam, qui primus, à Rege Lusitaniæ Emmanuële Anno Christi 1497. cum navibus quatuor in Orientem missus, superato Bonæ spei Promontorio in Indiam pervenit, reduxque feliciter à Rege honoratus est titulo Comitis & dignitate Almirantis sive Præfecti supremi rei maritimæ, quibus vocabulis in hâc Epistola insignitur, quatuor reliquisse Filios, quorum memoria extet. Primum Stephanum Gamam qui Prætor Indiæ fuit, succedens Garziæ Noroniæ morienti anno 1540, ex Regis Ioannis III. Chirographo. Alterum Christophorum Gamam, qui missus in Æthiopiam Anno 1541. auxilio Abyssi nis contra Saracenos, post duas insignes relatas de Gradaa. mete Saracenorum Rege victorias, ab eodem validis Turcarum auxilijs firmato victus, captus, & in odium Christianæ Fidei, eam constantissimè usque ad extremum spiritum profitens, crudelissimè trucidatus est. Tertium Petrum Gamam de Sylvâ dictum, ad quem est hæc Epistola. Quartum denique Alvarum Gamam, cognominatum, de Ataïda, qui S. Franci-

sco

sco Xaverio Sinas petenti obstitit.

Epistola VII. P. Antonio Gomezio Soc. Iesu. p. 412. Ex Archio Goano.

Epistola VIII. PP. Barzæo, Gago, & Carvallio Soc. Iesu. pag. 429. Ex Archio Goano.

Epistola IX. quibusdam Mercatoribus Lusitanis. pag. 442. Hujus Exemplar ad me misit Amacao P. Franciscus Xaverius Philippucius. Eandem in Linguam Castellanam è Lusitanâ mutatam refert Matthias de Peraltâ Calderon in Libro cui titulum fecit: *Apostolus Indiarum, &c.* Edito Mexici Anno 1661. profitens se descripsisse ex Libri Peregrinationum Fernandis Mendezij Pinti Capite CCVIII.

Epistola X. P. Paulo Herediæ Soc. Iesu. pag. 431. Hunc alibi etiam Antonium dictum reperio. Ex Archio Goano.

Epistola XI. S. Ignatio. pag. 444. Pars hujus manu S. Francisci Xaverij exarata servatur in Archio Domûs Professæ Romanæ, reliqua supplevi ex Apographo è Lusitaniâ misso.

Epistola XII. P. Paulo Soc. Iesu. pag. 461. Ex Archio Goano.

Epistola XIII. P. Melchiori Nunnezio. pag. 464. Ex Archio Goano.

Epistola XIV. cuidam è Soc. Iesu. pag. 471. Aliquod hujus excerptum dat Tursellinus Epist. III. Lib. IV. Ioanni Roderico inscriptum, & credo ad hunc ipsum datam. Cæterum quia exemplar Goanum nomen id non exprimit, plus sapere quam erat necesse non volui. Scribit ad me P. Philippuccius, clarè se deprehendisse, compendiolum quoddam hujus Epistolæ ab ali-

quo

quo è nostris Romam missum, quod Tursellinus Latinè verterit.

Epistola xv. P. Simoni Roderico Soc. Iesu. p. 482. Hujus Epistolæ Autographum Exemplar asservatur in Sacello Deiparæ Sacro in Collegio Conimbricensi Soc. Iesu, unde R.P. Nonius Da Cunha, qui id Sacellum magnificè ornavit, Apographum ad me misit. aliud ante ejus exemplum Vlyssipone acceperam.

Epistola xvi. P. Melchiori Gonzalez Soc. Iesu. pag. 484. Ex Archio Goano.

## LIBER VI.

Epistola i. P. Gaspari Barzæo. pag. 492. Ex Archio Goano.

Epistola ii. Eidem. pag. 501. Indidem.

Epistola iii. Eidem. pag. 507. Indidem.

Epistola iv. Eidem. pag. 509. Indidem.

Epistola v. Eidem. pag. 510. Indidem. Extat ex parte apud Tursellinum Lib. vi. de vita S. Francisci Xaverij Cap. xiv. nos totam ex pleno Apographo damus. quod in eâ & in alijs quibusdam aliquoties S. Ignatium S. Xaverius vivens viventem beatum vocat, ex Archetypo clarissimè sumptum est; ubi toties, *benaventurado*, ponitur. quæ vox, ut omnes Lusitanicæ linguæ periti norunt, alio quam Beati vocabulo reddi non potuit.

Epistola vi. Eidem. pag. 542. Indidem.

Epistola vii. PP. Coll. Goani S. Iesu. p. 545. Indidem.

Epistola viii. P. Gaspari Barzæo Soc. Iesu. p. 548. Indidem.

Epi-

Epistola IX. Eidem. pag. 563. Indidem.
Epistola X. Eidem. pag. 575. Indidem.
Epistola XI. Eidem. pag. 580. Indidem.

## LIBER VII.

Epistola I. P. Cypriano Soc. Iesu. pag. 594. Hanc repræsentat Tursellinus Lib. IV. titulo Epistolæx, prout acceperat. qui enim misit, non describere curavit, sed super eo argumento quædam arbitratu suo scripsit. Archetypum hujus Epistolæ exemplum, quale à S. Xaverio missum est manu ejus subscriptum, pro sacra reliquia servatur in Ornatissimo Sacello Sanctissimæ Deiparæ dicato, in Collegio Conimbricensi Soc. Iesu. Vnde R. P. Nonius da Cunha qui sacram illam ædiculam & hac & multis alijs sacris Lipsanis ditavit, splendidissimeque decoravit, egregiâ humanitate Apographum fidelissimum curare & ad me mittere dignatus est. Id exacte congruit duobus alijs missis Goâ, quare tribus consentientibus testimonijs hæc mea hujus Epistolæ editio comprobatur.

Epistola II. P. Gaspari Barzæo. pag. 601. Hujus Exemplum ad me misit Amacao Sinarum P. Philippucius à se paulò prius quam Goâ solveret, ex Archetypo forte reperto descriptum, post multo jam ante ad me missas Epistolas cæteras in Goano Tabulario servatas.

Epistola III. Eidem. pag. 604. Ex Archio Goano.

Epistola IV. P. Ioanni de Beira Soc. Iesu. p. 607. Indidem.

Epi-

## Indiculus exegeticus.

Epistola v. P. Gaspari Barzæo Soc. Iesu. pag. 610. Indidem.

Epistola vi. Ioanni Iaponi. pag. 613. Indidem.

Epistola vii. Iacobo Pereriæ. pag. 616. Hanc ponit Turſellinus xii. Libri iv. ſed mutilam qualem acceperat. Hîc integra eſt ex Apographo Goâ miſſo.

Epistola viii. P. Perezio Soc. Iesu. pag. 623. Ex Archio Goano.

Epistola ix. Iacobo Pereriæ. pag. 626. Et hujus exhibet aliquid Turſellinus. nos feliciores integram nacti, jucundius, ut ſperare licet, legendam damus ex Apographo Goâ miſſo.

Epistola x. PP. Fr. Perezio, & Antonio Herediæ. pag. 631. Ex Archio Goano.

Epistola xi. Iacobo Pereriæ. pag. 632. Hæc apud Turſellinum cum aliâ conflatur in unam. En ut in Apographo Goano diſtinguuntur.

Epistola xii. P. Fr. Perezio Soc. Iesu. pag. 639. Ex Archio Goano.

Epistola xiii. PP. Fr. Perezio & Gaſpari Barzæo. pag. 647. Indidem.

LAVS DEO.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Collegij Soc. Jesu Paderb. liber.


# ERRATA sic CORRIGE.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Pag. | 39. | v. 5. unum | unus |
| | | v. ult. obsequissimo | obsequiosissimo |
| | 42. | v. ult. fidit | sidit |
| | 46. | v. 23. fbitigio | fastigio |
| | 49 | v. 15. carissimus | carissimis |
| | 285. | v. 13. Exercitio | Exercitatio |
| | 318. | v. 3. Collegio | Collegij |
| | 447. | v. 21. ecquisitis | exquisitis |
| | 580. | v. 16. Patre | Patrem |
| | 589 | v. 9. offensiovi | offensioni |
| | 591. | v. 13. illis | illic |

Epistola nona Libri v. postponi debet sequenti, & decima numerari.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


042
Th
2678



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN